R. P.

MAXIMILIANI SANDAEI

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

MILITIÆ CHRISTIANAE

TOMVS IV.

CORONIS MILITIÆ CHRISTIANÆ

In quo repræsentantur Præmia, Decora, Coronæ Militum Christianorum Ecclesiæ Militantis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud JODOCUM KALCOVIUM. Anno M. DC. LI.

Permissu Superiorum & Privilegio



MICHAELI
ARCHANGELO
PRINCIPI
MILITIÆ ANGELICÆ
DEFENSORI
MILITIÆ HVMANÆ
CHRISTIANÆ.
BELLATORI
SEMPER
VICTORIOSO.

Cui idcircò Iure meritissimo, Quicquid de ECCLESIA MILITANTE,& MILITIA CHRISTIANA Legi,Dixi,Scripsi, ECCLESIASTES.

D. D. C.

Et post SS. TRIADEM, IESVM,& MARIAM adscisco in Patronum

MICHAELEM

ET quem possem conuenientius,quàm Te Angelorum Bellicosissime,idemque Fortissime,& Peritissime: Qui Ecclesiæ Militantis non tantùm es Præses,& in Militia Christiana ARCHISTRATIGVS verùm etiam CAMPI-DOCTOR,docens Militum Christianorum manus ad prælium,& digitos ad bellum. A TE,Magister Equitum Peditumque doctissime, non solùm Armorum subsidium, sed etiam,Documenta Militaria, & Præcepta Belli gerendi accommodata decretis Diuinis,accipere potest,debetque Miles Christianus.Et quidem, quod iustæ Militiæ fundamentum vnum est,nunquam TV,quod fecerunt proditores Angeli,contra DEVM sed pro DEO semper,& pro æquitate pugnasti. QVIS VT DEVS? vnicum Tibi est nomen:Armorum omnium Titulus vnicus Vnica materia STATVS,ac Belli Tessera semper fuit.Hac TV, quasi lance Armorum caussas appendisti: ad hanc Regulam examinasti Iura Belli & Pacis. Huc quæcumque in cælo vel terra gessisti Bella semper reuocasti.Huc TV respexisti cùm Luciferum armis omnium primus inuasisti, & vicisti.Huc cùm in Persarum Tutorem Angelum,pro Angelo, Græcorum Defensore pugnasti,Huc cùm in Gargano Monte,iumenta etiam protexisti.Huc denique cùm primæ Iudæorum,& nouissimæ Christianorum ECCLESIÆ MILITANTI Protectora DEO datus totius Humanæ Angelicæque Militiæ meruisti habere PRINCIPATVM,A quo Titulo ECCLESIA CHRISTI ita TE compellat suauiter accinens;

 Collau-

Collaudemus venerantes
Omnes cæli MILITES,
Sed præcipuè PRIMATEM
Cælestis Exercitus
MICHAELEM in virtute
Conterentem Zabulon.

Ita autem Ego Seruulorum tuorum minimus, TE MICHAELEM Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium Domitorem, Tutorem, & Hyperaspistem meum frequenter veneror, & exclamo: PRINCEPS *Gloriosissime* MICHAEL ARCHANGELE, *esto memor nostri. Hic & vbique semper præliare pro nobis, cum subiectis Tibi Cælicuum Turmis, donec plenam reportemus de hostibus omnibus nostris* VICTORIAM.

ORDO
Librorum Tomi IV. & Argumenta.


I. *CORONA Militares Ecclesiæ Militantis. Quibus, & Milites suos coronat: & iisdem ipsa Corona Triumphabit.*

II. *Ordines Militares Sacrorum Equitum Ecclesiæ Militantis : quibus ipsa Coronata certat fortiter & constanter; identidem inclamans his Militibus suis:* Fratres mei Charissimi, & desideratissimi Gaudium meum & CORONA mea. Sic state in Domino Charissimi. *Ad Philippenses Capite IV. 1. Nominantur hic & celebrantur Ordines Militares Equitum Sacrorum omnes per Orbem Christianum sparsi.*

III. *Theatrum Militum Coronatorum. Siue, Sanctorum, Beatorum, Piorum Ecclesiæ Militantis Quorum exhibetur Nomenclator, ex quacumque gente & natione, quæ sub calo est: in quo exprimuntur singillatim quotq tot ab Vrbe condito celebres fuerunt Milites, Sancti, Beati, Pii, qui longá disquisitione in libris Sacris profanisq; reperti ad meam notitiam peruenerunt. Hi locum quisque suum obtinet, non absque commendatione, & Elogio.*



MAXI-




MAXIMILIANI SANDÆI

ECCLESIA MILITANS MILITIA CHRISTIANA THEOLOGIA MILITARIS.

PRÆFATIO

Ad Academicos Christianos

Haud stultè, aut vanè disseritur de Militiâ Christianâ, in Ecclesiâ Militante, à Philosopho & Theologo Christiano.



DE MILITIA Commentationes instituimus (ACADEMICI) sed non de qualibet. Non de profana, sed de Sacra; nō de corporea, sed de Spirituali; nō de Romanâ (quāuis hæc nobis ad analogiā deseruiat) sed de CHRISTIANA, ne nobis contingat, quod Phormioni Peripatetica secta Philosopho, (a) ad cuius exedram cum ab Antiocho ductus esset Annibal Carthaginiensis, Italiæ terror, Philosophus animaduertens, materiam, quam præ manibus habebat, ijs auditoribus nō esse accōmodatā; argumentū, quod pertractare instituerat, omisit, & exemplò cœpit (factus extemporaneus Orator) de officio Imperatoris, deq; omni re militari copiosissimè differere; idq; tā sublimi & præclaro dicendi genere, vt nō solùm ijs, à quibus nunquam auditus fuerat, sed illis etiam, qui quotidie dicenti applauserant, in stuporem daret. Quocirca Antiochus dissertatione illa magnoperè delectatus, quæsiuit ab hospite suo Anniba!e, An non placuisset Philosophus, de re bellica accuratè atque ingeniosè disputans? Cui Pœnus: Scire te velim Rex Antioche, multos sæpe me vidisse & audiuisse senes deliros, sed qui magis, quàm Phormio deliraret; neminem.

Nimirum, arbitrabatur Annibal, nullum de Militiâ, nisi Militem peritè posse differere. Malè vt alio tempore est demonstratum. Sed etiamsi hoc daretur, perperam argueremur, aut in nos quadraret Annibalis scomma, cùm non agamus de MILITIA profana: cuius tamen præceptiones, ex dictis scriptisque experientissimorum percepisse potuit Philosophus ac Theologus; sed de Sacra Diuinaque, ad quam à puero me nomen dedisse, & in eâ consenescere velle non pænitebit.

(a) Cic lib 2. de Orat.

LIBER I.

CORONÆ MILITARES ECCLESIÆ MILITANTIS

Quibus.

CORONATA TRIVMPHABIT.

Omnis, qui Te colit Deus, si vita eius in probatione fuerit, coronabitur. Tobiæ III. 21.

Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. II. ad Timoth. II. 5.

COMMENTATIO I.

CORONA

GRAMINEA. ROSEA. FLOREA. GEMMEA.

Diuina. Mariana. Angelica. Humana.

DEI & MARIÆ.

MEMBRVM I.

STRENA MILITIS CHRISTIANI CORONA.

Adprecatio felicitatis annuæ. Strena Ianuaria. Præmia Militaria. Coronarum diuersitas.

ACADEMICI, simulque MILITES CHRISTIANI, *Dominus coronet Vos in misericordia & miserationibus.* (a) DEVM OPT. MAX. temporum non Directorem modò supremum, ac Arbitrum, sed Procreatorem quoque suppliciter veneratus ad aram, mihi, vobisque omnibus, vt anni recèns inchoati auspicium felix faustumque largiretur, efflictim etiam atque etiam rogaui. Et, quoniam confido, me impetrasse quadamtenus, quod expetij, Auditoribus meis carissimis, Anni huius adalbescentis exordium, animi corporisque commodis fæcundum, & progressum fæcundiorem, nec non fæcundissimum, non huius modò, sed multorum quoque subsequentium exitum ex animo precor. Idem mihi omnes tacitè vicissim adprecari haud ambigo. Quo quidem mihi abundè est satisfactum: reor etiam vobis: cùm ab homine, religiosam paupertatem professo, alia, quàm verbalis apprecationis faustæ, *Strena* expectari non

(a) *Psal.* CII. 4.

non soleat. Sed, vt animaduertatis peculiarem meum erga vos adfectum, & experiamini liberalitatem haud vulgarem, distribuam prætereà singulis Strenarum Ianuariarum titulo, *Munera* amplissima, & vniuscuiusque conditioni maximè consentanea, atque materiæ, quam pertractamus, accommodatissima.

DISSERIMVS de ECCLESIA MILITANTE, & explicamus in eâ MILITIAM CHRISTIANAM, seu, sub metaphorâ, aut figurâ *Militia*, rerumque militarium, de Virtutibus Vitijsque, & omnibus alijs ad eam materiam pertinentibus, disputamus. Vt autem facilior sit singulorum intellectus, *Militia Sacra* imaginem efformamus ad modum *Militia profana*, tum recentis, tum veteris, maximè verò *Romana*, cuius cognitio magis est vulgata, & adolescentibus in gymnasijs litterarijs traditur. In hac autem, vt excitarentur, & prouocarentur iuuenes ad pericula subeunda, honorabantur præclari facinoris auctores præmijs militaribus. De quibus fusè Polybius: cuius obscuritatem in multis illustrat, & breuitati consulit, adiuncto commentariolo, Iustus Lipsius, qui libro V. de Militiâ Romana horum præmiorum indiculum texit. Quod ante illum fecit accuratè ex Ordine nostro Ioan. Anton. Valtrinus, meus olim Romæ Magister in Scriptura diuinâ, libro VI. de re militari veterum Romanor. Singula recensere, aut explicare velle, non est nostri instituti. Omissis igitur Hastis, Phialis, Armillis, Torquibus, Phaleris, Spolijs, illud selegi, ac vobis seposui donariorum genus, quo nullum est magis exoptandum, quia nullum splendidius aut magnificentius; &, in quo ceterorum continetur vel pretium vel dignitas.

QVOD autem est illud? CORONA, quæ in *Militia* est multiplex, pro diuersitate eorum, qui illam fortibus factis merentur. Coronam vt seligerem, præter alia, mouit me STEPHANVS Protomartyr, totus quantus *Corona*, & *Coronatus*, vt postea spectabitis: idemque numeris omnibus absolutus *Miles Christianus*, cuius hodie est octaua annuæ festiuitatis nobis minimè negligenda. Porro Coronarum diuersitatem, materiam, formã exhibent, ex Plinio & Gellio, alijsque antiquis auctoribus, recẽtiores; præter paullò ante nominatos, Godeschalcus Stewechius, Commentario ad Flauium Vegetium de re militari, & Iacobus Pamelius, Notis ad librum Tertulliani eruditissimum de *Corona Militis*. Sed nemo exactius totam de Coronis materiam pertractauit, quàm Carolus Paschalis libris IX. de Coronis, & ab hoc proximi, Gruterus, Scriuerius, alij: ex quibus nonnihil interdum delibabimus.

MEMBRVM II.

CORONA DEO MILITIÆ SACRÆ IMPERATORI

debita: ideoque illi quotannis submissè Kalendis Ianuarijs offerenda.

PRINCIPIO itaque, ne ingratitudinis pudendæ arguamur, offeramus hoc anni initio CORONAM illi, cui maximè debetur, Imperatori Militiæ Christianæ,

DEO SABAOTH. Est enim hoc tale donum vt proprium sit, ac debitum Numini supremo. Quocirca antiquissimis temporibus soli, Ioui, ac Dijs dabatur ab ethnicæ superstitionis mystis. Siquidem *Corona* symbolum est absolutæ perfectionis, indicans cumulum bonorum, regni, victoriæ, triumphi; quæ SOLI DEO primariò competunt. *Antiquitus nulli Corona, nisi* DEO *dabatur*, inquit Plinius. (a) Deinde factum, vt Heroibus quoque, qui proximi Dijs, imponerentur. Vnde subiungit: *Feruntque primum omnium, Liberum Patrem imposuisse capiti suo ex hedera. Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis*. Idem *Coronas ex Cinnamo, interrasili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolij & Pacis dicauit Vespasianus Imperator.* Sic Pausanias in Eliacis memorat, Iouem ex auro & ebore factũ, ac oleâ coronatũ in sede sua sedere. Hoc exemplo Samij, ob placatum sibi ab Æsopo Cræsum, Æsopo ad ipsos redeunti, velut salutari Numini Coronas attulerunt: vt in eius vita scribitur. In Actibus etiam Apostolicis, (b) cùm Paulus & Barnabas Lystræ Sanassent claudum, turbæ clamabant: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Sacerdos quoque Iouis tauros & *Coronas* ante ianuas adferens cum populis volebant sacrificare. Sed diui nos hos honores Apostoli refutarunt. Contrà, irrisus fuit Metellus Pius, qui se in Hispaniâ Deum faciebat, dum patiebatur sibi in transenna sedenti, à demisso Victoriæ simulachro cum tonitruũ machinato strepitu sicuti capiti cælesti (c) *Coronas* imponi, vbique adeò supplicari, vt Maximus Valerius & Macrobius referunt. Quoniam autem nulli præterquã DEO est sacrificandum, quia Sacrificium est præcipuus religionis actus, & latriæ Procreatori debitæ officium, hinc *Victimæ* coronabantur. Et sanè DEO *Coronato* non nisi *Coronata*, id est absoluta, perfecta, selecta, & eximia offerenda sunt. Hinc Ouidius: IV. Metam. & I. Fastor.

Victima labe carens, & præstantissima forma
Sistitur ante aras, vittis, præsignis & auro.
Stat e coronatis plenum ad præsepe iuuenci.

Ita Iphigenia Agamemnonis filia cum immolanda duceretur ad Sacrificium coronata fuit, vt illam effingit Euripides. Denique Plutarchus in Paulo Æmilio: *Post hos, inquit, ducebantur auratis cornibus armentales boues centum viginti, mitris armati accorollis.* Erant autem istiusmodi *Coronæ* plerumque ex herba illa aut flore, qui DEO, cui erat sacer, sacrificabatur. Scilicet, ex hedera, si Baccho; ex pinu, si Pani; ex oleâ, si Mineruæ sacrificium offerebatur. Pulchrè Prudentius in Apotheosi:

Fortè litans Hecaten placabat sanguine multo
Pontificum festis ferienda securibus illic.
Agmina vaccarum steterant, vitulasq; reuinctæ
Fronte coronatas vmbrabat torta cupressus.

ITAQVE, vt in Strenarum distributione, à DEO sumatur principium, à quo est deducendum omnis boni exordium; offeramus illi CORONAM debitam, quæ est HONOR & GLORIA. Hanc hoc anni inchoati initio illi consecremus. Proponamus nobis firmiter, omnia nos toto anni decursu facturos ad ipsius honorẽ & gloriam omnia dicta, omnes cogitatus, meditationes omnes nostras ad il-

(a) *Lib. xvi. c. 4.* (b) *Lib. xi, cap. 19.* (c) *Cap. xv.* (d) *Val. lib. ix, cap.* *Macro, lib. 3. satur. cap. 13.*

ad illum finem relaturos: nihil nos incepturos, nihil in progressu tentaturos, nisi quod ipsius Honori & Gloriæ velificetur. Hanc ille à nobis petit *Strenam*, hoc postulat *Xenium*, hæc sibi dicari vult, ac capiti suo, id est, Diuinitati imponi *Coronam*. Qua nulla ei potest esse gratior, nulla magis debita. Hoc propositum quotidie renouate: & actus, dicta ac cogitata ad Gloriam DEI augendam, mane, primò, dum surgitis, & vesperi cùm ad quietem vos confertis, dirigite, sicque DEVM coronabitis. Quo nullum potest Imperatori à milite officiũ præstari acceptius. Vsurpemus frequenter, dum quidpiam est agendum, aut dicendum, quod Vir ille sacertimus, tanquã gnomen suam continuò ferè proferebat: *Ad maiorem DEI Gloriam*.

Hoc monebat Paulus Apostolus celebri illo effato: *Regi Seculorum, Immortali, Inuisibili, Soli* DEO HONOR & GLORIA *in secula seculorum*, 1. ad Timoth. 1. Nimirum, imprimis, *Gloria Diuina*, siue *Latriæ*, quæ soli supremo Numini debetur: non Angelis, non Idolis, non Dijs Gentium. Non Cereri, non Veneri, non Baccho, non Priapo. Non Gulæ, non Ventri, non Marsupio, non Pluto, non Mammonæ, non Floræ, non Helenæ, non Canidiæ, non Agapitæ, non focariæ, non creaturarum vlli. SOLI DEO HONOR ET GLORIA piorum operum quorumcumque, orationis, ieiunij, eleemosynæ: non tibi, non naturæ, non tuis viribus, non tuis conatibus. *Soli* DEO *Honor & Gloria*, vtiliũ ad multorum salutem consiliorũ: non tuæ prudentiæ, non solertiæ tuæ, non subtilitati tuæ, non tuæ industriæ. *Soli* DEO *Honor & Gloria* præclarorum facinorum: non tuis artibus, non tuo robori, non tuis molitionibus.

MEMBRVM III.

CORONA GRAMINEA DEO OPT. MAX.

Quà Imperatori Exercitus, offerenda, imponenda, dicanda.

FVIT apud Romanos *Corona* genus quoddã, quæ soli Imperatori exercitus à milite dabatur, eaque erat *Graminea*, quâ, Plinio auctore, nulla fuit nobilior in maiestate Populi Romani, præmijsque gloriæ. Ceteras enim Coronas omnes singuli & Duces ipsi, Imperatoresque militibus, aut aliquando Collegis dedere; decreuit etiam in triumphis Senatus, & Populus ociosus; *Graminea* nunquam, nisi in desperatione supremâ contigit; nulli, nisi ab vniuerso exercitu seruato decreta. Ceteras Imperatores dedere, hanc solam Miles Imperatori. Quod si *Ciuica* honos, viro aliquo, ac vel humillimo, ciue seruato, præclarus sacerque habetur, quid tandem existimari debet, vnius virtute seruatus exercitus vniuersus? Talis *Corona* est *Gloria*, à nobis DEO in cunctis operibus nostris tribuenda, quæ esse deberet semper in animis nostris *Graminea*, semper viridis, vernans, læta, nunquam non in promptu. Cantandum nobis esset assiduè cum

Angelis Natalem Christi celebrantibus: *Gloria in Excelsis* DEO. *Gloria* Patri rerum conditori, *Gloria* Filio Restauratori, *Gloria* Spiritui-Sancto Viuificatori. Suggerenti vanæ gloriæ insusurratori: papæ! quàm eleganter composuisti, quam eruditè disseruisti, quàm bellè declamasti, quam subtiliter disputasti, quàm emendatè scripsisti: quàm piè, quamque diu genibus nixus orasti, quàm constanter ieiunasti, quàm frequenter communicasti, quàm prudenter sententiam dixisti, quàm iustè, quàm fortiter, quàm temperatè egisti. O honestum modestum, pium, deuotum adolescentem! O eruditum Philologum! ô acutum Philosophum! ô sapientem virum! O subtilem Scholasticum! ô eximium Theologum! respondendum esset: *Soli* DEO *Honor & Gloria.*

EN *Coronam Gramineam*, DEO Imperatori à Milite suo offerendam, imponendam, consecrandam. Eam autem, melleis quibusdam guttulis inspergendam, vt rore gramen humectatur, monet mellifluus Bernardus, (a) *Exigit* DEVS, inquit ille, *timeri, vt Dominus, honorari, vt Pater, vt Sponsus amari. Quid in his præstat? quid eminet? nempe Amor. Absque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Seruilis enim timor est, quàm diu ab amore non manu mittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem*, Soli DEO Honor & Gloria, *Sed horum neutrum acceptabit* DEVS, *si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse proximum sibi est Amor: præter se non requirit caussam, non fructum. Fructus eius, vsus eius. Amo, quia amo: Amo, vt amem. Magna res Amor. Si tamē ad suū recurrat principium, si suæ origini redditus, fi refusus suo fonti, semper ex eo sumat iugiter vnde fluat. Solus est Amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura etsi non ex æquo, respondere Auctori, vel de simili mutuam respondere vicem.*

ITAQVE *Soli* DEO *Honor*, & *Gloria*, non tantùm peculiaris illa, quæ Latriæ dicitum, sed omnis omninò, quoniam ad illum solum omnis vltimatè referenda est. Is solus propter seipsum *Honore & Gloria* est dignus, cetera eatenus tātùm, quatenus Diuinorum munerum aliquā veluti particulam in se habent, & exhibent. Atque huncin modū, tū hoc tempore, cōstantissimo piæ voluntatis proposito, nunquam retractando, nunquā peccato vllo mortali interrumpendo; tum quotidie, prima luce, mentis in Diuina eleuatæ firmissima destinatione CORONEMVS DEVM IMMORTALEM Quod ad totam sanctissimam. (b) TRINITATEM, referunt S. Augustinus & Oecumenius. Ac REGEM SECVLORVM. Quod peculiariter Christū D. respicere existimat S. Cyrillus; (c) de quo Angelus apud Lucam: *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Et planè mihi persuadeo, voluisse Apostolum eā sententiā mentes fidelium erigere ad Diuinitatem Saluatoris, cui meritò ab Angelis & hominibus sempiternus *Honor & Gloria* infinitis nominibus debetur. Hanc Strenam si munificentissimo Benefactori Nostro repræsentemus, nihil aliud magnoperè à nobis, gratitudinis ac remunerationis titulo, exiget.

MEM-

(a) *Serm.* LXXXIII. *in Cant.* (b) *S. Aug. lib. 2. de Trin. c. 8. & 17 lib. 3. cont. Maxim c. 9.* (c) *Cyrill. l. 11. Thesau c. 10.*

MEMBRVM IV.

CORONA MARIANA

Inter Militares in Militia Christiana piè peruoluendo, ac frequenter recitando offerenda.

MARIÆ DEIPARÆ IMPERATRICI.

SOLENT pietatis Marianæ cultores eximij, & potissimùm Clientes DEIPARÆ, Sodales Parthenij, in strenarum exhibitione Patronæ fidelissimæ, & Matris dilectissimæ hoc tempore non obliuisci Et quomodo obliuiscantur, qui ab eius spiritu se spiritum ducere profitentur? Itaque & illi, quod maximè ei gratum arbitrantur, promptè, tenerrimo quodam adfectu deuotionis, sequè ipsos ad omnem cultum, imitationemque offerũt. Huius officij diligens curator fuit B. HENRICVS SVSO QVI DEIPARÆ feruẽtissimus amator, & virtutũ illius nõ minus cumulator, quàm contemplator assiduus, in gallicinio præsertim, eam consalutabat, ac laudes ei pangebat. Ideò meruit vt ipsi frequenter apparuerint Angeli suauiter concinentes:

Stella MARIA *Maris hodie processit ad ortum.*

Cum his ille aliquando concinebat, ab ijs lumine cælesti perfusus, & de arcanis secretioribus instructus. Kalendis Ianuarij, & Maij quibus solent amici, tum strenis xenijsque missitandis, tum cantilenis, tum etiã, qui seculo dediti sunt, festo apparatu, inculina tamen magis & cænaculo, quam in templo tempus transigere, ac genio indulgere, ille conuentus suaues IESV ET MARIÆ, tanquam gratissimas *Strenas*, personabat, & ab vtroque vicissim dona cælestia flagitabat, & dubio procul consequebatur. Hic est ille Suso, qui tantoperè inedia, siti, perpetuis vigilijs corpus macerabat suum, vt neque cibum, neque potum aliquando capere potuerit, nisi Beatissima Virgo clientuli sui curam gerens cælesti illũ liquore recreasset. Idem inter afflictiones animi (quas patiebatur grauissimas) MARIAM vt consolatoriam suam *Stellam* respiciebat, & ab illa visibiliter aliquando apparente confortabatur. Dæmonem sibi insidias struentem, & sagittam iacere parantem solo nomine Patronæ suæ fugauit.

SED quid nos aliam *Strenam* ad Virginem Matrem honorandum quærimus, qui Coronas hodie in dona initialia temporis annui conformamus, cùm *Coronam* habeamus in manibus, quam scimus illi esse acceptissimam: quippe, illius nomine insignitam, cùm dicatur CORONA B. M. V. seu MARIANA, quæ constat LXIII. Salutationibus Angelicis, interiectà ordine quodam septies oratione Dominica. Quantoperè autem delectetur Domina Nostra hac *Strena*, tum annua, ideoque ipsis Iani Kalendis, ei piè offerenda; tum quotidianâ, eapropter quot diebus deuotè persoluenda

da, desumo, ac declaro ex Pelbarto de Temesuar Ordinis Minorum de Obseruantia, qui scripsit librum, quem nominat STELLARIVM CORONÆ Gloriosissimæ Virginis, & Sixto IV. Pont. Maximo dicauit, Anno M. CD LXXII. In eo opere refert rem admiratione dignissimam à B. Ioanne Capistrano, viro Virginis studiosissimo, & in Militia Christianâ contra Turcas mirabilium patratore stupendo euulgatam, à quo potuit eam accepisse Pelbartus, quippe qui eodem tempore cum eo vixit. Cùm Clericus quidam in seculari habitu quotidie serto florum B. Virginis imaginem Coronare solitus Ordinem Minorum ingressus esset, ac post aliquod tempus, ad seculum redire vellet, quòd in Religione *Sertum* illud ex floribus Matri sibi dilectissimæ, more suo offerre non posset, oranti ac solicitudine anxio apparuit DEIPARA, vetuitque vitam religiosam deserere: ac simul docuit *Sertum* quoddam spirituale, ex Angelicis Salutationibus, & Oratione Dominicâ conflatum sibi offerri. Vt scilicet in memoriam VII. Gaudiorum quorum ipsa in diuersis Filij sui Mysterijs iucundissimè perfusa fuit, ad vnumquodque illorum semel Orationem Dominicam, DEO gratias agendo, pro beneficio illo signatè Virgini collato, recitaret, cui Salutationem Angelicam decies subnecteret: præter vltimum, in quo ter solum adijcienda erat Salutatio.

PORRO, septem Virginis Gaudia in hac CORONA recolenda sunt hæc. *Primum*, quod habuit in Conceptione Filij sui. *Secundum*, quamdiu in vtere Filium gestauit, & cognatam Elizabetham salutauit, & ab illa excepta fuit. *Tertium*, in Christi D. Natiuitate. *Quartum*, cùm Christus à Magis est agnitus & adoratus. *Quintum*, cùm Filium in templo inuenit: & inde cum eo proficiscens, eundem subditum habuit secum suauissimè conuersantem. *Sextum*, in Domini Resurrectione. *Septimum*, cùm Assumpta est cælum. Et in hoc postremo, post Orationem Dominicam, subnectenda ter est Angelica salutatio, vt compleatur numerus sexaginta trium, qui congruit annis vitæ Marianæ, vt multorum est opinio. Adiecit DEIPARA, *Coronam* hanc sibi longè gratiorem fore, quàm sertum illud floreum, quod olim singulis diebus studiosè ab ipso præsentabatur. Is verò post aliquod tempus cùm iter ageret cum socio in sylua, Coronam istam Virgini persoluebat. At, qui eodem in nemore delitescebat latrones, venustissimam spectarunt Virginem oranti adstatem fratri, & ad singulis Salutationes Angelicas, rosam colligentem, filoque aureo alligantem circulo cuidā, qui serti ac coronæ speciem præ se ferebat. Absolutâ oratione, Latrones in fratres irruunt, & tumultuariè suscitantur de Virgine illa formosissima, quā cùm fratres religiosi non vidissent, negabant secum fuisse. Orabant autem suppliciter DEIPARAM, vt ab insidiatoribus illis liberarentur. Cùm ecce Virgo sanctissima cætu Angelorum stipata, & Serto illo, quasi *Corona* redimita apparens, grauiter latrones increpuit: & ad Angelos conuersa, *Ecce*, inquiebat, *quali me Corona frater ille ornauit*. Quæ cùm dixisset, ab eorū se oculis subduxit. Mox latrones scelerū pænitentia ducti Religionem sunt ingressi.

gressi. Fratres verò exinde eo diligentius quotidie *Coronam* Virgini offerre non cessarunt, quam ei tam acceptam esse experimento adeò luculento didicerant.

HOC ipsum narratur in Chronicis Minorum; & adiungitur, Fratrem illum Religiosum sanctè obijsse. Contigisse autem hoc prodigium sub initium, quo cæperunt Fratres Minores, quos vocant de Obseruantia. (a) Qui omnes idcirco *Coronam* hanc Dominæ persoluebant. Et in concionibus suis ad hanc precandi formulam ita fideles adhortati sunt, vt in morem vniuersi populi Christiani fuerit inducta. Subnectuntur in Chronicis plurima per Coronam impetrata patrataque miracula, quibus DEIPARA hoc pietatis genus sibi gratum esse apertè declarauit. Hac *Strenâ* Virginis Beatissimæ gratiam ambiebat S. Bernardinus Senensis, qui tam impensè dilexit cæli terræque Reginam, vt eam ex tenero affectu AMICAM suam vocaret. Qua appellatione diu consobrinam suam, fæminam piam, & castimoniæ laude insignem suspensam tenuit, cum ei diceret, se pulcherrimam habere Amicam quam nisi quotidie inuiseret, quietem nocturnam capere haud valeret: metuebat enim illa, nequid mali subesset. Sed non intelligebat Amicam aliam Bernardinus, quàm DEIPARAM, ante cuius imaginem ad portam ciuitatis, quæ hodieque Senas ingredienti occurrit, quotidie iuuenis preces fundebat, quam religiosus factus frequenter, more suo inuisebat. De hoc narrat Pelbartus, quod *Coronam* quodam tempore magno animi sensu recitanti Virgo Mater apparuerit, eumque ita compellarit: Bernardine mi, deuotè famule, multum mihi in tuâ deuotione complacui, pro qua tibi impetraui à Filio meo gratiam verbi, ac miraculorum. Et scito tandem te in cælo gaudij mei participem futurum. Quod vtrumque consecutus est Bernardinus. Qui quicquid gratiæ, & charismatum vnquam cælitus obtinuit, id testatus est, se impetrasse, per deuotam Gaudiorum Matris DEI recordationem, in quorum memoriam & honorem quotidie CORONAM recitabat.

ILLO Aquilæ in Italiâ concionante, illudque ex Apocalypsis duodecimo in laudem Virginis explanante: Signum magnum apparuit in cælo: *Mulier amicta Sole, in capite eius* CORONA *duodecim Stellarum*; cùm primam *Stellam* exponeret de eius Virginitate, sole licet radiantissimo, visa est super caput Bernardini Stella sole splendidior, quæ suos radios in faciem eius vibrabat: quod vniuersus populus stupore plenus vidit: tandem; omnibus admirantibus euanuit. Fuit autem illa *Signum* illud *Magnum*, quod apparuit in cælo, ipsa IESV CHRISTI Mater ineffabili claritate resplendens, indicare volens hunc suum peculiarem Ministrum esse lucidissimum in Ecclesia DEI Sidus, & paullo post in eadem vrbe diem clausurum extremum (quod desitione stellæ denotabatur) & in æterna beatitudine Coronandum.

O si affectum Bernardini hoc anni initio

(a) *Chron. par. 3. lib. 1. cap. 35.*

initio erga Sanctissimam Matrem ingenerare possem Auditoribus meis. Ingeneratem fortasse, si eodem, quo ipse dicerem spiritu, quem in omnibus suis de B. M. V. concionibus prodidit. Cùm Senis in patria sua diceret de Virgine, die eius natali, exclamauit: Ego F. Bernardinus semper fui deuotus B. Virgini: in die Natiuitatis eius natus sum, eodem baptizatus, eodem religiosũ habitum indui; itemque vitam religiosam professus sum: eodem primitias celebraui: eodem cupio exire ex hac vita. Ego verò affirmare hoc possum, inquit auctor, qui gesta eius conscripsit, testis oculatus & auritus, nunquam me quemquam audiuisse de B. Virgine deuotius, lubentius, feruentius concionantem.

MEMBRVM V.

CORONA MARIANA

Defendit in bello piè gestantem. Offendit impiè spernentem.

QVONIAM de *Militia Christiana* disseruimus, meritò Coronam Marianam vt in album donorum militarium relatam celebramus: ideoq; ie non solùm Dominæ Nostræ Bellipotenti & agminum spiritualium Ductrici, illam, ceu *Strenulam* repræsentamus, verùm etiam eam omnibus militantibus enixè commendatam volumus, cùm non tantùm sit ornamentum, vt olim Militiæ profanæ donatiua erant, sed etiam munimentum, ad animæ tutelam præcipuum. Ea tanquam armorum quodam genere hostes Tartarei abiguntur, eorum infestationes cohibentur, eorum impetus sistuntur. Ideò ad eius conspectum frendent, ac ringuntur, & omnibus modis illius vsum impedire conantur. In memoriã mihi versabatur ferijs istis Natalitijs COLVMBA *Rietensis* in Ordine S. Dominici Sanctimonialis, cui ipsa Natiuitatis nocte se visendum præbuit Christus Dominus in præsepi cùm Matre Virgine & Iosepho, audiuitque eodem ipso tempore cælestem Angelorum symphoniam concinentium, *Gloria in excelsis*. Hæc circiter quinquennis, DEIPARA in singularem Aduocatam electâ, frequentius per diem eam Salutatione Angelica, in genua procidens venerabatur. Dæmon autem illi nonnumquam frangebat CORONAM, ex sphærulis precatorijs compositam, globulosque huc illuc dissipabat, vt eam à recitatione illius, ac honore DEIPARÆ deferendo retraheret.

QVID quod in Militia etiam ista exteriore, in quâ corporeis pugnatur membris & instrumentis, plurimum ad incolumitatem, ac protectionem à lethiferis glandibus, reliquique ictibus valeat CORONA Virginis? Quare hanc, tanquam *Strenam* hoc anno maximè conuenientem, do, dico, lego, illis signatè generosi sanguinis Adolescentibus nostris, quos multos esse scio, eosque

que præclarissimos ex Sodalitate Deiparæ, qui periculosissimo hoc tempore, quo ab hostibus undique molestatur Respublica, sponte nomen suum dederunt Militiæ vrbicæ, & cùm quiete agere, vel ociosè tempus dilapidare potuissent, vt plerique alij, maluerunt tamen fortiter, pro patria agendo, tanquam Christiani quidam Horatij, ac Fabij, exercitatione militari interdiu, & vigilijs noctu corpus atterere, & nos aliosque ad id munus idoneos, suo periculo, ac profuso, si opus sit, sanguine, discrimini subducere, & Rempublicam metu, populares exitio eximere. Macti animo, impigri ac intrepidi iuuenes, robusta patriæ pubes, digna maioribus vestris pectora; ita non libris tantùm & legibus Imperatoris Iustiniani monito, sed & armis Imperium, ac Respubl. propugnanda est. Vobis ego Vexillum opto, quod iam diu in gratiam vestri animo concepi, in quo sub CVSTODE, VRBIS CORONATÆ INVICTA, & NICOPOEA centuriati, pro aris & focis depugnetis. Sic olim Respublica Romana, sic ante centum triginta annos, rebus penè deploratis, Veneta restituta fuit, & etiam-num floret. Ita Coloniensi pristinum decus & gloriam, libertatemque DEVS & Alma Mater, victoriarum Curatrix & effectrix restitue.

Sic optamus, sic vouemus,
omnes-omnes.

MEMBRVM VI.

CORONA MARIANA-BALTHEVS MILITARIS.

INTERIM *Coronam* singulis offero in *Strenam*, qua Vos deuinciatis & colligetis Dominæ Nostræ Bellatrici, nunquam ab ea auellendi: & eadem CORONA tanquam BALTHEO; omni purpureo, cæruleo, pictili, aurato, discolori, gemmeo, magis precioso ac æstimando, quolibet cinctu Gabino magis potente, quauis compactili & consuta zona magis impenetrabili vtamini. Ad hunc enim vsum etiam valet *Corona* DEIPARÆ. Sic me docuit superiorum bellorum memoria. Ante annos non adeò multos vita piè functus est *Thomas Saillius*, Societatis IESV Sacerdos Castrensis Missionis, quam Rex Catholicus fundauit in Belgis, Director, vel Socius. Hic pedem domo egressurus ex cubiculo ante non efferebat, quàm genua flexisset, & osculum impressisset Statuæ Marianæ, quæ CRVCIFIXO Filio in oratorioli sui ara adstabat; eoque ritu solebat ab ea maternam benedictionem supplex postulare. Consueuerat, antequam ad altare sacrificaturus accederet opem B. MARIÆ implorare, ad ritè conficiendum Filij sui Corpus & Sanguinem; deinde, posita ante se in altari Hostia Eucharistica, eandem obsecrabat, vt pro se apud Filium caussas suas perageret, & libellos supplices, supplex secum Patrona offerret. Eius in expeditione bellica collateralis constanter adfirmabat, se in morbo graui, precibus ad DEIPARAM à Saillio fusis sanitatem recuperasse.

IN castris MARIAM Virginem maximo esse præsidio adfirmabat. Quocirca vt maiore cultu à militibus celebraretur, impetrauit ab Alexandro Farnesio, Duce Parmensi, Belgij pro Rege Philippo Gubernatore edictum militare, vt sub auroram omnibus castrorum tubis certatim assonantibus, B. Mater MARIA Angelicæ Salutationis precatione tèr, cum sono tubarum repetita, per omnia militum contubernia salutaretur. Huius etiam imaginem piè ac scitè depictam pro labaro, ac vexillo in ineribus præferri, & in stationibus præfigi curabat. Cùm pluribus annis castra sequutus esset, cùm multis etiam ciuitatum expugnationibus cominus interfuisset, cum denique plurimos iuxta se cadentes frequenter vidisset, semper ipse absque vulnere ambulauit. Acceptum hoc se referre aiebat CORONAE seu Rosario prægrandi Mariano, quod ipse, quoties ad arma conclamatum esset, Balthei instar, ab humero per transuersum pectus obtendebat, eaque se tantummodò munitum lorica omnia pericula sine metu illæsum euasisse gloriabatur.

EANDEM habuisse fiduciam in hoc Militiæ Christianæ Baltheo ac Lorica arbitror Archiducem *Ernestum*, Rodolphi II. Imperatoris fratrem, aliquando contra Turcas strenuum Christiani exercitus Ductorem, deinde verò Belgij Moderatorem: cuius in hoc genere pietas superius est declarata. Eiusdem in Virginem Bellipotentem adfectus ac fiduciæ fuit *Franciscus Dux Guisius*, qui licet laicus, coniugatus, ac miles strenuus cùm ciuitatem Mediomatricum à potentissimo exercitu obsessam defenderet, quolibet die sub auroram de strato surgens, tanta constantia ac confidentia in DEI Matrem, recitabat CORONAM illius, vt ob nullum strepitum bellicum, nec ob vllam rerum gerendarum curam ab eo desisteret, donec finem imposuisset. Quod à quodam Hispano eius captiuo fide digno se accepisse narrat Doctor Martinus Nauarrus Diuini humanique Iurisconsultissimus, in Miscellaneis, quæ scripsit centum de Oratione, ac potissimùm de Psalterio & CORONA, seu ROSARIO Virginis MARIAE. Quod vocat genus orandi nunquam satis laudatum: eiusque varios modos recitandi præscribit. In quibus vnum vberius exponit, quem ait post septuagesimum suæ peregrinationis annum, post alios, & præ alijs, quos antea expertus erat, sibi placuisse, & quo etiam nonagesimū agens annū vtebatur, vsurus, inquit, eodem, dum vita manebit, quam Romæ DEIPARÆ semper deditissimus absoluit. Itaque & Virgini Matri, tanquam rem gratissimam, Strenæ titulo, CORONAM persoluimus, & eandem Sodalibus Parthenicis, ac ijs potissimùm, qui sanguinis prodigi, ad patriæ incolumitatem animas suas sub vexillo Bellatricis Diuinæ, oppignorarunt, commendamus.

MEM-

(a) *In Castris B. V. M maximo præsidio est.*

MEMBRVM VII.
CORONA ANGELO TVTELARI
A Milite Christiano, vt debita, piè offerenda.

CVM pauperum ritu, Strenulis nostris aucupemur beneuolentiam Cælitum, ijsque blandiamur munusculis, habenda est maxima ratio Angelorum, & præcipuè Custodium nostrorum. Qui si nos circumsistunt diu noctuque, & custodiunt nos in omnibus vijs nostris, æquum est, vt illos, anni initio, tanquam peculiares Patronos honoremus, & munusculis placemus, si offendimus, aut illorum gratiam demereamur. Iis autem CORONAM gratiorem deferre non possumus, quàm ex triplici florum genere contextã, Heliotropio Reuerentiæ, Rosa Deuotionis, Lilio Fiduciæ. Ita D. Bernardus suggerit, (a) docens, quemlibet Angelo suo debere *Reuerentiam pro Præsentia: Deuotionem pro Beneuolentia: Fiduciam pro Custodia. Cautè ambula*, Adolescens, *vt videlicet, cui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires, quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide, quia non solo visu præsentia rerum comprobatur. Diligamus Angelos, tanquam futuros aliquando coheredes nostros: (c) interim verò actores, & tutores à Patre præpositos, (d) & præpositos nobis. Quid sub tantis custodibus timemus? (e) Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione DEI cæli commoremur. Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio & tribulatio vehemens imminere, inuoca Custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulationibus inclama eum, & dic: Domine Salua nos, perimus.*

Hoc Bernardi est consilium, meum istud quoque, vt tum anni, tum diei cuiuslibet initio, tam fidos Præsides Astitesque nostros Deuotionis, Reuerentiæ, ac Fiduciæ flosculis bellè contexto serto coronemus. Idque hoc potissimùm tempore, quo maximè egemus illorum operâ, quoniam sunt in Militiâ Christianâ belli Duces: & tales, vt quoties volunt, à parte sua stantem habeant Victoriam Coronatam. Illi absque tormentis bellicis, absque commeatu, absque copijs alijs pugnant, & copias quantumcumque maximas aduersariorum, leui difflant spiritu. Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho leuauit oculos, & vidit Virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: *noster es an aduersariorum? qui respondit, nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio*, Iosue V. O veni fortissime Princeps, nã & nunc conglobati malorum cunei, Cananæus, & Hethæus, & Amorrhæus in nos irruunt. Sed feliciter pugnant in

(a) *in Psal.* Qui habitat (b) *Angeli.* (c) *Actores.* (d) *Tutores.* (e) *Custodes.*

quemcumque hostem, qui non legionem Spirituum illorum, sed vel vnum Legionarium talem pro se habet pugnantem.

QVÆSITVM haud ita pridem fuit, quid ab Adolescente studioso, ac pietatis amante quotidie præstari posset, Sanctis Angelis, & præcipuè Custodibus honorandis? Ad quod commodius breuiusque respondere non datur, quam ex tabella, quæ ab omnibus legi potest in Horologio Angeli Custodis, (a) in qua nouem exhibentur, vel singulis diebus, vel certè crebrius peragenda.

I. *Quotidie Dominicam Orationem, & Angeli Salutationem nouies attentè pronunciare.* II. *Litanias, Officium, alias-ue preces SS. Angelis inscriptas quotidie recitare.* III. *Quotidie aliquid boni operis, aut aliquam sui victoriam Angelis offerre.* IV. *Cum è Scripturis sacris constet, Nouem esse Angelorum Ordines, nouenarium numerum in pijs præsertim exercitijs studiosius attendere.* V. *Castitati ab Angelis commendatissimæ virtuti singularius studere.* VI. *Cultum eorum & venerationem apud alios propagare.* VII. *Templa iis Sacra frequentare: dies eisdem festos obseruare: præsertim, octauū Maij, vigesimum nonum Septembris, & Dominicum diem Angelo Custodi sacrum.* VIII. *Odium atque inuidiam omnem, & quicquid in mente contrà alios alienationis est, in gratiam illorum ponere; pleni namque Diaboli sunt inuidia, amore Angeli.* IX. *Præsentiam illorum assiduè, sæpissime saltem de die illam cogitare: in omnibus aduersitatibus & periculis, Angelos, atque Angelorum Reginam Domini Matrem in subsidium ac patrocinium vocare.* Hisce officijs sibi gratiam Custodis Angeli demeruisse reor S. *Franciscani Romanam viduam;* cui tanta fuit cum eo familiaritas, vt illius aspectu sæpe colloquioque frueretur. Sic quoque non dubito coronasse Tutelarem suum *Ioannem Carreram* Hispanum, in Societate IESV Coadiutorem temporalem, qui erga SSmam DEI Matrem, illumque suum Tutorem inflammato studio ferebatur; vtebaturque Angelo suo tam familiariter, vt cum eo omnia sua conferret, à quo responsum etiam referebat. Denique in eam S. Angeli familiaritatem deuenerat, vt ab eo quotidie horis antelucanis excitaretur à somno. Quamquam hanc consuetudinem Angelus aliquando intermisit per plurimos dies, quod Ioannes non è cubili protinus surrexisset. Tandem, reddidit se pristino officio Angelus, postquam Ioannes ad DEVM placandum preces ac ieiunia adhibuisset. Certè, non Musis tantùm, sed & Angelis amica est aurora. Mane cum DEO interdiu de DEO nos loqui volunt Angeli: mane potissimum studijs dare operam præcipuam & pietati, volunt nostri Custodes: quod non ignorent, plus vna hora antelucana mane, quam tribus de die profici, siue in litteris, siue in pietate.

(***)

MEM-

(a) *Horol. Ieremia Drexel. hora 12. cap. 7.*

Membrvm VIII.

CORONA DIVÆ CATHARINÆ
Litteratorum Patrona imposita.

IAm verò nec aliorum Patronorum negligenda est initio anni cum munusculo prensatio: omnium quidem vniuersè, sed singillatim illorum, quibus peculiariter sumus commendati & obstricti. Et quidem cum Litterarum studiosi Diuam Catharinam Alexandrinam, Litteratissimam Virginem, Ecclesiastarum, Philosophorumque encomijs celebratissimam, vt singularem Patronam agnoscant & venerentur, huic imprimis Studiorum suorum labores, cursum, felicitatem, ac anni potius industriam enixè commendent. Et vt suauius se illi insinuent, Coronam ei triplicem pangant, quarum præcipua sit & fulgentissimâ, Sapientiæ non humanæ solùm, quæ solitaria vilis est ac malignè lucens, sed Diuinæ etiam, quæ fulgore suo omnium oculos perstringit. Inter (a) Virgines, post Mariam meritò secundo loco Catharina numeranda est, quam Corona Virginitatis singulari gloria ornauit Devs, cùm Filio suo Vnigenito desponsauit. Verè fuit Virgo Sapiens & vna de numero prudentum, quæ vniuersam Mundi Sapientiam superauit, & quinquaginta Sapientes Philosophos conuertit ad fidem, tantumque olei in vase animæ suæ accepit, vt in corpus etiam redundarit. Et nūc sepulchrum eius manare dicitur. Eius autem corpus, tanquam Angelicum Angeli sepeliuerunt in monte Sina. Vt iam Doctrix Angelica à nobis salutari possit, ne virorum chorus tantùm Doctore Angelico glorietur. Porrò, si *Catharina* Virgo fuit purissima, si Martyr illustrissima, si Doctrix sapientissima, quis dubitet tribus eam Coronis ornari in cælesti regno, quas illi propensissimo ad tantam honorandùm Patronam voluntate gratulemur, & affectu clientulari, vt Strenam anni huius offeramus.

Coronas has Catharinæ debetri, & Sapientiæ potissimùm illi oblatam fuisse à Christianâ antiquitate deducere soleo ex nomine. Ad quod, quæso vos, diligenter attendite, vt sciatis, quid *Catharina* significet. Tametsi enim vocabulum illud deriuari possit à Græco καθαρὸς quo purus & castus significatur, nihilominus in eam deueni opinionem, quod eius nominis origo commode repeti valeat ab Hebræo *Ceṫher*, vel Syriaco, Chaldæò ue, & Rabbinico *Cethara*. Vtrumque autem *Coronam* significat. (b) Quæ plurimis iustissimisque de caussis, sed tribus præsertim paullo ante indicatis, Catharinæ nomen dare potuit. Siquidem *Primò*, Martyrij Coronam accepit. *Secundò*, Coronam Virginitatis: & quidem cum à Maximino tyranno ad flagitium valdè solicitaretur, vt est apud Eusebium. *Tertiò*, Doctoris, seu Doctricis Coronam promerita est, Doctorum in arguendo, disputando,

(a) *Ioan. Osor. Conc. S. Cathar.* (b) *Corona.*

putando, conuincendo Victrix gloriosissima. Atque hoc pacto CATHARINA idem erit, quod STEPHANA. Quo nomine vel à prima ætate appellari potuit, vel fortasse Christiani id ei imposuerunt, quod ob insignem Sapientiam vna illa inter alias tôt Coronis esset dignissima, etiam tunc, cùm nondum Coronata esset STEPHANA.

* * *

MEMBRVM IX.

CORONA STEPHANO PROTO MARTYRI

Qui fuit Militis Christiani Exemplar præclarum, multis titulis conueniens.

CVM de CORONIS Militiæ Christianæ disserimus, non est silentio prætereundus STEPHANVS Protomartyr, cuius hodie Octauam celebrat solenniter Ecclesia Catholica. Eius nomen *Coronam* significat. Quod planè persuasum sibi habuit ille inter Eruditos superioris sæculi, cui cùm nomen à parentibus impositum fuisset more Christiano ad fontem baptismalem, Stephanus, edito in lucem libro (quod nouitatem sapit, cuius sunt amantes Philologi quidam) *Coronam* se nominauit. (*a*)

Quid voluerit Venerab. Beda, ignoro, qui Stephani vocabulum Hebraicum esse scribit, & significare, *Regula nostra*, aut *vestra*, quia primus Martyrium subijt, ceterisque Martyribus subsequutis exemplum patiendi ac moriendi pro Christo dedit, seque exemplar constituit. Sed negant Linguarum periti, se videre à quâ radice Hebræa, vel etymo, *Stephanus* possit deriuari. Vnde in linguâ Hebraica versatissimus Pagninus fatetur esse nomen Græcum, quod omen in Protomartyre habuit, quia multiplicem *Coronam*, quam promeruit, indicauit, certè, designare potuit. Nā si *Corona* debetur fortissimo Militi & Martyri, primus ille fortissimè pro Christo certamen obijt, factusque est Protomartyr. Si Sapientiæ Professori, is ita doctè, ac neruosè illam Hebræis Ierosolymitis tradidit, vt non possent resistere aduersarij Sapientiæ illius. Si Virgini, fuit Stephanus virginitatis laude excellens.

ET mihi quidem si proponendum esset exemplar Militis Christiani cum omnibus ijs dotibus, ornamentis, insignibus, quibus adolescentem, virumque in castris Sapientiæ togatæ armatæue excultum esse debere opinor, ex millibus aliquot, non alium seligerem, ac in imitationis theatro exponerem, quam STEPHANVM. Quē velut inuictissimum, victoriosissimumque Militem celebrat Diuus Fulgentius Ruspensis Episcopus. Cùm enim Stephani transitus ad Superos per felix martyrium colatur die proximo post Natalem Christi Imperatoris supremi. Heri, inquit Orator ille Africanus, „ celebrauimus temporalem „ sempiterni Regis nostri natalem, ho- „ die celebramus triumphalem Militis „ passionem. Heri enim Rex noster „ trabeâ carnis indutus, de aula vteri „ Virginalis egrediens, visitare digna- „ tus est Mundum; hodie Miles de ta- „ bernacu-

(a) *Corona Pighius.* (b) *Exemplar.* (c) *S. Fulgen: Serm. de S. Stephano.*

"bernaculo corporis sui exiens, (a) "Triumphator migrauit ad cælum. Il- "le sempiternæ DEITATIS Maiestate "seruata seruile cinctorium carnis ad- "sumens, in huius Seculi campum pug- "naturus intrauit; Iste depositis corpo- "ris corruptibilibus indumentis ad cæ- "li palatium perenniter regnaturus as- "cendit. Ille descendit carne velatus; "Iste ascendit sanguine LAVREATVS. "Heri Dominus exiuit de vtero Virgi- "nis; hodie Miles egressus de ergastulo "carnis. Heri Christus pro nobis est "pannis inuolutus: hodie Stephanus "Stola est ab eo immortalitatis indu- "tus. Heri præsepis angustia Christum "portauit Infantem: hodie immensitas "cæli suscepit Stephanum Triumphan- "tem. Solus descendit Dominus, vt "multos eleuaret: Humiliauit se Rex "Noster, vt suos Milites exaltaret.

"AT quibus armis hostem suum "Stephanus est aggressus? Necessarium "nobis est, subdit Fulgentius, cognos- "cere, quibus armis præcinctus *Stepha-* "*nus* sæuitiam Iudæorum potuit supe- "rare, vt ita meruisset feliciter trium- "phare. *Stephanus* ergo, vt nominis sui "*Coronam* meruisset accipere, Carita- "tem pro armis habebat, & per ipsam "vbique vincebat. Per Caritatem DEI "sæuientibus Iudæis non cessit: per Ca- "ritatem proximi pro lapidantibus in- "tercessit. Per Caritatem arguebat er- "rantes, vt corrigerentur: per Carita- "tem pro lapidantibus orabat, ne pu- "nirentur. Caritatis virtute subnixus "vidit Saulum crudeliter sæuientem: & "quem habebat in terra persequuto- "rem, in cælo meruit habere consor- "tem. Sanè, ardentissima fuit hæc Ste- "phani Caritas, qui furorem incitatis- "simum Sauli & Iudæorum superauit."

MVLTA alia, quæ ad Militiam spectant, & Militi Christiano conueniunt, considerat in *Stephano B. Laurentius Iustinianus*, (b) & illud perpendit accuratè, quod in Christiana *Militiâ* apprimè est necessarium: nimirum, vt sit paratus pugnanti locus refugij: hoc quoque, vt ab Imperatore subsidium expectetur, eòque subinde reflectantur oculi. Quod à *Stephano* factum, qui dum in æstu conflictus esset, *eleuatis in Cælum oculis vidit Gloriam* DEI, *& Filium hominis stantem à dextris* DEI. (c) Audite, qui ad Militiæ Christianæ decus aspiratis, de eo perorantem Protopatriarcham Venetum.

IN huius vitæ stadio certantibus ad "consequendam victoriam suffragari "cognoscitur, si illis præsidij locus ad "declinandos aduersarios præparetur: "in belligerandi labore præstetur auxi- "lium: virtutis præbeatur exemplum, "& post consummatum agonem, pa- "ratum præmium præmonstretur. "Nempe, vbi deest confugium, auxili- "um denegatur, omittitur virtus, & "certaminis Corona non cernitur: ad- "est timor, triumphi diffidentia, animi "pusillanimitas, casus frequens, resi- "stendi ignauia, cor frigidum, & tre- "mulæ vocis loquela. Vniuersa hæc "Christianæ Militiæ insuperabilis Dux "atque Legifer noster CHRISTVS Do- "minus in suo spirituali certamine Mi- "litibus præparauit suis, quos ad debel- "landas aëreas Potestates per omnē ter- "rarum"

(a) Triumphator. (b) Ser. de S. Steph. (c) Actuum. vii. 55.

" ratum direxit orbem. Peritiam noue- " rat dimicandi, hostium importunita- " tem, crudelem pugnam, & bellatorum " segnitiem. Sciebat procul dubio, ne- " minem eorũ, quos destinabat ad præ- " lium per se aduersum inimicorum in- " sultus posse subsistere, si non diuino " muniretur præsidio. Quo, oro, diuer- " terent, siue ad latebras fouendum, seu " ad resumendas vires, si refugij carerẽt " loco? Quis in arte belli reperitur tam " strenuus, vt altero horum, quæ dicta " sunt non indigeat? Abscondit se Do- " minus IESVS à Pharisæorum insulti- " bus: & egressus è templo discessit, se- " cessitque. Aliquando etiam *supra mon- " tis cacumen impulsus per medium perse- " quutorum transiens ibat.* Quod fre- " quenter verò ad Orationis secesserit " portum, Euangeliorum textus prolo- " quitur: præcipuè tamen PASSIONIS " tempore, antequam Discipulo prodi- " tori, armatisque militibus procederet " obuiam.

" Ista autem non propter infirmita- " tem propriam, sed propter exemplũ, " nostræque imbecillitatis suffragium " illum egisse certissimum est. DEVS " cùm esset, quando voluit, quantum " disposuit, qualiter præordinauit, pas- " sus est. Non est sapientia, non est con- " silium, non est fortitudo contra Do- " minum. Quamobrem, sicut sponte " pati venit, ita mensuratè hominum " contumelias pertulit. Hinc omnes e- " ius actio vitæ humanæ disciplina fore " probatur. Pugnauit prius, vt suis Mili- " tibus præliandi præberet exemplum, " præpararet præsidium, conferret au- xilium, prærogaret & præmium. "

HÆc omnia erga Protomartyrem " Stephanum nouimus esse compl. ta. " Illi namque Dominus non terrenum " locauit præsidium, sed cæleste. Noui- " mus quàm frequenter munitissima " fugientium de bello sint inuasa ab ho- " stibus, ignibusque cremata terrena " præsidia. Quod verò Dominus IESVS " fidelibus pugnatoribus statuit, inex- " pugnabile est, atque inimicis prorsus " inaccessibile. In montibus excelsis su- " pra siderum mansiones stabilitum est. " Prophetam audi quid de illo sentiat: " *Altissimum*, inquit, *posuisti refugium tu- um.* (b) In hoc planè quondam com- " motum est prælium, quoniam quidam " incolatũ illius aduersus Regem suum " insurgentes, arcem sibi diripere moliti " sunt. Quare contra rebelles exerciti- " bus missis, eosdem abyssi Dominus " demersit in stagnum. Huius belli Apo- " stolus Petrus caussam insinuans & fi- " nem, ait: (c) *Si enim Angelis peccantibus* " DEVS *non pepercit, sed* rudentibus infer- " ni detractos in barathrum tradidit " in iudicium cruciandos reseruari. 2. " Petri 2. Ex illo tempore, illo celebrato " Triumpho, pacatissimum effectum est " præsidium illud, adeò, vt nullæ aduer- " sæ potestates propius accedere aude- " ant. Quotquot ingrediuntur in illud, " quiete potiuntur quàm maxima, bo- " nis exuberant spiritualibus, sempiter- " nisque delicijs. Fiunt ibi excubiæ inde- " ficientes, non expugnantium, aut de- " fendentium, sed laudantium DEVMq; " magnificantium. Sic enim legitur: *Su- per muros tuos Ierusalem constitui custodes,* " qui "

(a) Psal. 90. (b) Petri 2. (c) Isa. Lxii.

qui non tacebunt laudare nomen Domini, Isaiæ LXII. Tum post nonnulla, quibus eleganter depingit Præsidij cælestis securitatem, amœnitatem, & in eo omnis generis honestissimas voluptates; Hinc est, " inquit quod ad roborandos posterorum Militum suorum animos in prælio, & perpessione malorum, Mediator Noster strenuissimo Bellatori suo B. *Stephano* in agone Passionis posito istius Præsidij patefecit introitum. " Nam dum saxorum crepitantium ictibus feriretur, attollens oculos, cælos coram se apertos intuens, inquit: *Ecce ego video cælos apertos. & IESVM stantem à dextera* DEI. O mira Conditoris nostri dignatio! O profusa Regis Christi largitio! Militi suo laboranti in stadio non exhibuit temporales opes, terrenaque præsidia, sed Cælum & hoc vtique apertum, quatenus plenâ posset de ingressu illius percipere fiduciam, de visione gaudium, concupiscentiam de plenitudine, de adiutorio constantiam. Non iacentem, non sedentem vidit Dominum: sed stantē; paratum videlicet, ad sibi impendendum suffragium. Hinc Martyris Sācti solidata mens, nec perturbata in se, neque aduersus persequutores est vindictæ zelo permota. Quin potius supernè irradiata splendore, spirituali præcincta gladio, & virtutum armis circumquaque protecta, etiam percutientium rabiem orando, & immundorum Spirituum æquanimiter perferendo tormenta, superauit insultus. Tota quidem cælesti consolatione iā plena, mundum vniuersum desiderio transcendebat. Talis prorsus debuit esse Miles, qui infidelium primas rūperet acies, vt nec trepidaret in fide, nec Christum prædicaret segniter, neq; mortis sententiam formidaret. Magnanimitatis igitur cum esset virtute præditus, Ducis sui est imitatus vestigia, atque certandi regulam sequuturis Militibus præmonstrauit. Qui in sublime Cæli profectus Præsidium, sociatus Angelis, Proprioque LAVREATVS sanguine, cum Christo gloriosè triumphat. "

QVAMOBREM ô Christi Milites! huius propugnatoris fortissimi prouocati exemplo, viriliter pro Domino etiam nos pugnare non pigeat. Indicta nobis est pugnandi necessitas. Nam etsi visibiles persequutores aliquando desint, inuisibiles tamen nunquam longè sunt. Habemus corporis proprij voluptates, habemus affectus animi, habemus perturbationes immodicas: sunt vigiles semper potestates aëreæ, quæ nunquam infestare nos desinunt. (*b*) *Non est*, inquit Apostolus; *nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem* (nempe, tantùm) *sed* (etiā) *aduersus Principatus & Potestates, aduersus Rectores tenebrarum harum, cōtra spiritualia nequitia in cælestibus.* Eiusmodi sunt aduersarij nostri implacabiles, contra quos spiritualia, arma sumenda sunt. Vt verò animosiores simus in bello, spirituale nobis propositum attendamus præsidiū, flagitemus auxilium, imitemur exemplum magnanimi Protomartyris Stephani. In quo alias Militis Christiani notas obseruant Patres,

Stephani laudatores.

(*a*) *Christi dignatio.* (*b*) *ad Ephes. v.*

MEMBRVM X.

IN S. STEPHANO DOTES MILITIS CHRISTIANI.

IMPRIMIS S. Ioannes Damascenus asserit, eum præstanti fuisse indole, quod perquam necessarium est in Adolescente, vt ad Militiam Christianam, ad Virtutis vexillum, ad castra Sapientiæ censeatur idoneus. Magna est commendatio in Adolescente, ad Sapientiæ munia destinato, si dicatur bonæ indolis. In eo enim, vt etiam in puero, Indoles, Græcis, φύσις habet significationem futuræ probitatis: In viris autem est signum, virtutis præsentis. Vnde dicuntur aliqui habere virtutis indolem: quæ pro præstantiâ, seu generositate quadam virtutis atque animi ponitur frequenter apud eruditos. E contrario, dicere possis, quosdam habere indolem garrulitatis, lasciuiæ, arrogantiæ; indolem nequitiæ, indolem malignitatis; quibus elucet ex fronte, oculis, totoque vultu insignita quædam peruersitas, & ad virtutem ineptitudo: pueri à cunis addicti improbitati, adolescentes à primis annis assueti malitiæ, iuuenes à teneris vnguiculis proni promptique ad omne malum. At Stephanus dicere de se poterat, quod Salomon: *Puer ingeniosus eram sortitus animam bonam*, Sapientiæ VIII. quo significabat, se præclara indole præditum. Quare transtulit non nemo: *Puer dexteræ indolis*. Alius, *dextro ingenio præditus*. Quo denotatur natura quædam acris, acuta, industria, ad rem quampiam habilis ac nata. Vt idem sit, quod benè formatus, naturâ habilis, benè à naturâ compositus, & naturali quadam ingenij dexteritate ad Sapientiam & virtutem cōparatus. Quod haud malè exprimitur per Ingeniosum: siquidem Ingenium est natura cuique ingenita. Ea autem in iunioribus Indoles dicitur; estque tum probitatis, tum industriæ, tum denique iudicij index.

ALIVD in Stephano commendat S. Augustinus, (a) dum scribit, fuisse iuuenem speciosum, simulque castum ac virginem. Quæ duo nonnisi in Milite Christiano conueniunt.

Lis est cum forma magna pudicitiæ

quare oportet Bellatorem esse egregium, qui pudicitiæ hostes in patenti pulchritudinis campo gloriosè superat. Ad hoc significandum, reor, vidisse Iudæos, disputantes cum Stephano, illumque impugnantes, faciem eius, tanquam *faciem Angeli*, Actuū. 17. Quamuis enim, vt monet S. Augustinus, (b) *Stephanus* naturali specie vultuque fuerit pulcherrimus, nihilominus addita illi fuit supra naturam pulchritudo Angelica, designans victoriam perfectam de impuritate, & inuictam fortitudinem. Sic *Ioannes Baptista*, castitate, vitâ, sermone, zelo, robore, denique, vultu fuit Angelicus. Sic *Basilius* iisdem virtutibus excellens, forma Angelica perculit Valentem Imperatorē, eumque contra Catholicos sæuientē compescuit, ac penè exanimauit, (c) Sic *Cæcilia* Virgo & Martyr familiariter cū Angelo

(a) Ser. 2. de Sanctis. (b) Serm. v. de Sanctis. (c) Nazianz. Oratione de S. Basil.

Angelo castitatis suæ propugnatore conuersari solita, alacritatem, efficaciam, gratiam, speciemque induit Angelicam, vt Valerianum Sponsum, eiusque fratrem Tiburtium, ac quadringentos alios debellarit, atque ad Christum conuerterit. Sic *Thomas Aquinas*, non tantum à Sapientiæ doctrinæque eminentiâ, verum etiam ab innocentiâ, & castitate illibata, quam per omnem vitam ita conseruauit, vt nunquam carnis stimulum senserit, ab eo tempore, quo post acrem cum scorto pugnam, & masculam victoriam, lumbos eius spectatores Angeli cingulo castitatis, tanquam balthe o militari, cinxerunt, nuncupatus fuit Doctor Angelicus. Sic nostro æuo *Aloysius Gonzaga*, modestia, mansuetudine, blandiloquio, verecundia, orationis ac cōtemplationis studio, præcipuè tamē castitatis, vultu fuit Angelico; vt à matre nō aliter vocaretur, quàm meus Angelus; & post mortē, Auditores Rotę, in processu Canonizationis, ipsi titulū Angelici vltrò, ac motu proprio dederint.

AD *Stephani* etiam, quà *Militis*, gloriam spectat, quod cum ipse pugnaret fortiter, viderit Filium hominis stantem à dextris DEI, (a) Stabat enim Christus, tanquam *Miles* & *Dux*, ad generosè confligentis solatium & subsidium. *Christus cum Patre stante* stabat, inquit Cardinalis Damiani, *& cum bellante bellabat, nec minor erat illo.* (b) Idcircò S. Ambrosius, ait Stephanum interritum inter hostes & saxa stetisse, quia immobilis fide, immobilem Ducem suum vidit Christum, illique se totum animo ac obtutu affixit. (c) Addit S. Augustinus, *Stephanum* vidisse quoque Angelos, quasi Milites Christum Ducem suum sequentes, & pro commilitone suo quasi decertantes. Ferunt Alexandrum Magnum prandere solitum ad tibias, cumque tibicines mutato sono delicioso, bellicum intonarent, subitò arrectum, sine sensu corripuisse lanceam, quod euidens erat indicium pugnacis animi, & virtutis Imperatoriæ. Longè verius Christus in cælo empyreo, delicijs affluens suorum fidelium rebus, & luctis ita intendit, quod suggerit ingeniosus Orator, vt simul ac intonuerit luctātium clamor illicò à delicijs consurgat ad arma. Stabat Christus armatus Omnipotentia sua, vt *Stephanum Militem* suum aduersarijs insuperabilem redderet. Ita stetit, adstititque S. Antonio contra Cacodæmones pugnanti. Stabat denique *Christus*, vt Stephanum duello congredientem, eo se oblectaret. (d) Nam, vt ait, Apostolus, Spectaculum (Græcè Theatrum, ac in theatro duellatores, *facti sumus Mundo, & Angelis & hominibus.* (e) Vnde Nyssenus scribit ad Stephani hoc spectaculum præsentes fuisse omnes Angelos. Et Petrus Damiani inuitat, *vt curramus ad spectaculum, ad quod currit*, inquit, *qui exultat vt gigas ad currendam viam*, donec perueniamus, vbi cum Stephano coronemur. Interim faxit temporum Moderator supremus, dum in omni opere dictis, cogitatis DEO Opt. Max. Gloriæ Coronam grati pangimus, dum DEIPARÆ quotidie, confertâ & coagitatâ mensurâ, coronarium orationum

 aurum

(a) *Actuum.* vii. 55. (b) *in Ps.* xxi. (c) *Serm.* xxvii. *de diuersis.* (d) 1. *Corin.* iv. (e) *Orat. de S. Steph.*

aurum admetimur, dum Patronos tutelares, quot horis recordationis, commentationisque serto coronamus, vt magnis itineribus, non dromedarijs Persicis, sed Diuinæ Gratiæ Pegaso vsi, iter mortalitatis peragamus, in immortalitatis termino CORONA GLORIÆ immarcessibili donandi, quàm Auditoribus meis hoc anni exordio animitus precor, & rogo etiam atque etiam, vt suo tempore conferat solus potens, DEVS PATER, FILIVS & SPIRITVS-SANCTVS, cui Laus Honor, Gloria in secula seculorum.

AMEN.

NOTÆ.

§. I. STRENÆ] *De hoc vocabulo & re subiectâ, legẽdum proœmium libelli editi à* Sandæo, *titulo*, Sodalis B. M. V. Studiosus, *strena loco distributus Anno* M. DC. XXXVI.

§. II. B. HENRICVS Suso.] *In vita. Legendus.* Balinghem *in Kalendario Mariano Ianuarij* 1. & 25.

§. III. B. IOAN. Capistranus.] *obijt anno* 1456. *Legendus Anton. Spinellus in Throno cap.* XXXV. *& Matthæus Raderus in Bauaria Sancta.*

§. IV. CORONA MARIANA.] *De toto hoc genere, siue vocentur* Rosaria, *siue* Coronæ, *siue*, Serta *legendus libellus, cuius inscriptio* Mancipium DEIPARÆ *editum à* Sandæo *Anno* MDC XXXIV.

§. S. BERNARDINVS.] *Legenda eius vita* 20. *Maij, &* Balinghen in *Kal. Mariano.*

§. VI. B. COLVMBA Rietensis] *consule* Balinghen *in Kalendaria B. V.* 20. *Maij. num.* 4. *obijt An.* 1510.

§. VII. THOMAS Saillius] *De hoc Viro multa habet* Imago *primi Seculi Societatis* IESV *lib.* VI. *p.* 804. 805. 805. *eius elogium describitur* 876. *obijt An.* 1623. *de eodem* Balinghen, *Kalend. Mar.* 8. *Martij.*

§. VIII. ERNESTVS Archidux] *De hoc* Franciscus Haræus *in Tumultibus Belgicis* p. 483. *Obijt An.* 1595. 20 *Febr.* Balinghen.

§. IX. FRANCISCVS Guisius] *Obijt An.* 1563. Balinghen 24. *Februar.*

§. X. B. FRANCISCA Romana.] *Bulla Canonizationis. Obijt* 1440. 9. *Martij.* Balinghen *Kal. Mariano.*

§. XI. IONNES Carrera] *Historia Societatis To.* I. *lib.* 2. Balinghen *Ianuarij* 7.

§. S. CATHARINA *Alexandrina*] *legendi*, Eusebius *lib.* VIII. *cap.* 14. Dresserus *in Kalendario, Sethus p.* 373. Serarius *in Litaneutico lib.* 2. *quæst.* 23. Sandæus *Theologia varia lib.* 3. *Comm.* 19. *& integra de S. Catharina Oratione.*

§. S. STEPHANVS Protomartyr.] *Legendi*, S. Augustinus *homil.* VII. *de Sanctis, Sermone* 94. *de diuersis, & lib.* XXII. *de Dei ciuitate, cap.* 8. Gregorius Turonensis *lib.* I. *histor. cap.* 31. Prosper *lib. de prædict. dimidij temp. cap.* 6. Lucianus *Orat. de inuentione S. Stephani*, Damascen. *lib.* IV. *de fide, c.* 6. Nicetas *apud Metaphrast.* S. Hieronym. *lib.* I. *contra Iouinian.* Nyssenus *Orat. de S. Stephano, Orationes habita in Sacello Pontificio*, Frãciscus Remundus *Orationib. duabus*, Ioannes Lorinus *in Acta, ibidemq.* Cornelius. *apud quem illustris est exclamatio Actuum* VII. 59. *Ito nunc Stephane, ito Pugil Christi, ito Miles generalissime, ito ad* IESVM *Imperatorẽ suum,*

tuum, pro cuius fide, & amore tam fortiter depugnasti. IESVS *te expectat vt* coronet, *qui spectauit, vt vinceres. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, accipe* CORONAM GLORIÆ. *Ito Martyr fortissime in domum fortium* DEI. *Ito Virgo castissime in supernum montem Sion. Sequere cum choris Sanctarum Virginum Agnum quocumque ieris. Canta cum eis canticum nouum: immò, illud ceteris præcine. Ito Christi Euangelista ac Præco in Aulam cælestem Christi. Ille victorem, & felicem tuum Spiritum excipiet. Ille tibi saxa in gemmas conuertet. Pro* Corona Saxorum *imponet capiti tuo* Coronam carbunculorum, adamantum, smaragdorum. *Ille ab oculis tuis lacrymas, à vultu sudorem, à corpore cruorem omnem absterget. Ille* DEO *Patri victorem te sistet, vt pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito Protomartyr ceteris Christi Militibus iter in cælum prai, viam ad triumphum sterne: sequenter te vt Ducem toto orbe per omnia futura secula innumera Militum Christianorum agmina. Paucis horis fortiter pugnando, teipsum meritis, Apostolos gaudio, fideles exemplo, Ecclesiam gloria, orbem fama, Angelos exultatione, cælum ciuibus, Paradisum Martyribus implesti, ac condecorasti. Eia exalto nos respice, vt tui certaminis vestigia fortiter sequi, itaq́; gloria tua brauium consequi mereamur.*

STEPHANI *Protomartyris memoria alterius Stephani recordationem aduocat. Is est* S. STEPHANVS *primus Hungarorum Rex, de quo hæc scribit Episcopus Chartuitius in eius vita, ad Colomannum, qui fuit octauus Hungariæ Rex. Antequā natus esset, fuisse ei à* DEO *destinatam duplicem* Coronam, *nempe Regni terreni, & cælestis: vtramque parentibus eius reuelatione ostensam, & promissam interueniente Protomartyre Stephano. His enim matri eius grauida apparuit, dicens, confide mulier, in Domino & certa esto, te filium parituram, cui primo gentis huius & Regnum, &* Corona *debetur. Tu verò nomen illi impones meum. Mater ergo pariens filium, vocauit eum* Stephanum, *seu* Coronam. *Is primus creatus Hungarorum Rex, gentem vniuersam ad Christi fidem conuertit. Quocirca Pontifex misit &* CORONAM, *quasi Regi, &* CRVCEM, *quasi apostolo, illamq́ue, quasi Apostolatus insigne illi præferri mādauit. Multa ergo à suis perpessus, adeò, vt quattuor Palatini necem illius cōspirarint, & tribus annis cōtinuis morbis afflictus, & consumptus, tandem Regnum, animamq́ue suam Reginæ cæli commendans, spiritum in eius manus exhalauit, Anno Domini* M.XXXIV. *ipso festo Assumptionis* DEIPARÆ, *quod optauerat, & impēsè precatus erat. Ab ea ergo pro* Corona *Regni terrestris* Coronam *gloriæ & cælestis Regni accepit: ideoq́ue multis post mortem miraculis claruit; & manus eius dextera, quæ largissimas dare solebat eleemosynas, multis deinde annis illæsa, & incorrupta permansit. Vitam retulit, post Surium, Bellarminus. lib. 3. de officio Principis Christiani.*

CON-

COMMENTATIO II.

CORONA

AVREA. QVERCEA. HERBACEA

Theologorum, Iurisperitorum. Medicorum.

MEMBRVM I.

ACADEMICORVM, VELVT MILITVM

in Ecclesia Christi Militante degentium distributio.

Inuenerunt IESVM *in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem.* Lucæ. ii. 46.

ME mirificè oblectauit hodie in contemplatione matutinâ peramæna species Christi duodecennis suauissimi Pueri, qui cōsidentibus in amplissimâ Templi Ierosolymitani exedrâ grauissimis aliquot, niuea in capite cæsarie, ac barba candida ad vmbilicum laxè defluente, sed multo magis, moribus, ac sapientiâ venerandis Rabbinis ac Sacerdotibus, interueniens, Solis instar, splendoris cuiusdam diuini inusitatos in singulos iaciebat radios, & subtilissimis quæsitis, ac solidissimis ad sibi proposita responsis omnium admirationem excitabat, Auditorem iam tunc agens Academicū, ab omni fastu ac contentione alienum, nondum Doctorem, qui docere potuisset omnes, à nullo docendus. Tantam ætatis & decori rationem habuit Æterna Sapientia. Sed ô pusille Doctor, sustine paullulum: tempus erit breui, cum Tibi Mons Caluariæ adsignabitur pro Academia, cum Humanitas illa tua Tibi erit pro Sacro Codice, feralis trabs in CRVCIS modum formata, cui imponendus liber & explicandus pro pulpito. Et, vt non desit supellex scriptoria, pro charta & pergameno, erit candidissima cutis; pro calamo, arundo; pro rubrica sanguis, pro atramento, lacrymæ; pro typis, claui; pro prælo torcular Crucis; pro punctis, verbera, flagella pro virgulis. Denique, pro Auditoribus tam diuini Magistri, perditi Iudæi, quibus à Scholâ exactis, tanquam rebellibus, ac tumultuosis, succedēt CRVCIS Amatores, qui ad hoc *Gymnasium*, verè *Trium Coronarum*, quippe *Trium Personarum Diuinarum* admissi, præmijs donabuntur amplissimis, postquam diligenter operā suā impenderint, & in Sapientiæ tuæ arcanis

canis inuestigandis, atque extollendis, vt boni *Theologi*; & in Legibus tuis ritè interpretandis, atque exactè obseruandis, vt probi *Iuristæ*; & in animæ tot morbis, quot perturbationibus obnoxiæ; tot vulneribus lethalibus, quot criminibus sauciæ, tot inualetudinis periculis, quot peccati occasionibus expositæ, sanitate curanda, vt experti *Medici*; & in Philosophiæ Christianæ mandatis exhauriendis, vt accurati *Philosophi*: & in linguâ, secundum honestatem erudiendâ, atque in animâ virtutum Syntaxi constituenda, veraque ad persuadendum DEO eloquentia addiscendâ, vt politi *Grammatici*.

CVM autem operam dare Litteris in Academiâ Christianâ, sit reuera, militare Sapientiæ, quam omnis antiquitas produxit armatam, galeatamque, ac hastâ formidandam, præmia Sapientiæ delumenda sunt ex armamentario Militiæ Christianæ. E quo productis proximè CORONIS, primò quidem Militiæ Nostræ *Principem* DEVM SABAOTH, siue Exercituum; tum illi proximos, *Cælorum terrarumque Reginam*, *Angelum Tutelarem*, *Catharinam*, ob Sapientiæ decora nominatissimam; denique, *Stephanum* Protomartyrem, vel ipso nomine Coronâ inclytum Coronaui. Promisi autem haud absimilem Strenam meis Auditoribus, vt Militibus sub Christi vexillo strenuè agentibus. In quâ distributione sequar, ne quis conqueratur, ordinem dignitatis, incipiendo ab ijs, qui reliquis antistant. Cùm igitur huius loci Concio sit Academica, & illam frequentet Academicorum Vniuersitas, quæ complectitur *Theologos*, *Iuris Legumque peritos*, vel auditores *Philosophos*, ac denique *Philologos* (Sic voco humanioris litteraturæ, aut litterariæ eruditionis studiosos & amantes) facilè est conijcere, qui præcedere debeant, cum Disciplinæ omnes Theologiæ, quippe ceterarum Imperatrici, fasces sponte submittant.

MEMBRVM II.

CORONA AVREA

Diuinarum rerum studio addictis Theologis debita.

THEOLOGIS debetur multis nominibus *Corona*, quam inter Militares reperio fuisse *Auream*. Et sanè antiquissimis temporibus *Auream Coronam* in Militiâ donatam sæpe animaduerto virtutis ergô. Erant maximè illustres apud Romanos, qui multas sibi istiusmodi oblatas demonstrare poterant. De Siccij donis Valerius Max. lib. 3. cap. 2. *Preferebantur Aureæ Coronæ octo*, *Ciuicæ quatuordecim*, *Murales tres*, *Obsidionalis vna*. De Manlio, posteà Torquato, cùm Gallum occidisset, ita scribit Liuius: (a) *Dictator* Coronam Auream *addidit donum*, *mirisque eam pugnam laudibus tulit*. De Lælio idem: *Ante omnes Scipio C. Lælium Præfectum Classis*, *& omni genere laudis sibimet ipse æquauit*, *&* Corona Aureâ, *ac triginta bubus donauit*. Idem à Marcello factum Sosidi & Merico, quamuis exteris, quorum operâ potissimùm Syracusæ captæ. (b) De Triumpho eius Liuius Non minimum fuêre spectaculum cum *Coronis* Aureis præcedentes Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus.

(a) *Lib. VII.* (b) *Liui. lib. XXXVI.*

Exercitus quoque obsidione à L. Quinctio ereptus *Coronam* ei *Auream* libræ pondo decreuit. Quod ab eodem historico scriptum. Ex quo colligunt Eruditi, apud Romanos, *Coronam Auream* fuisse communem, in quocumque egregio facto. Id à Græcis manasse suspicantur nonnulli, & maximè ab Atheniensibus, qui viritim ac populariter sic donabant. Ita Demosthenes *Corona Aurea* insignitus legitur: (a) ita Rhodiorum populus Corona aurea donatus fuit ob virtutem. Hoc donarij genere Annibal Casilinum oppugnans, suos animauit, scribente Liuio (b) *Postero die omnium animi accenduntur ad oppugnandum, vtique postea quam* Corona Aurea *Muralis proposita est.*

IAM verò, istiusmodi *Coronam* varijs titulis conuenire Theologis, facile quisque sibi persuaserit, qui perpenderit, quibusnam Militibus ea dari fuerit solita. Imprimis autem *Aurea Corona* non nisi Viris eximijs fuit oblata: Diuinis quoque: Sacerdotibus etiam, ac Iudicibus: prætereà, Regibus, Regumque familiaribus, denique Victoribus, ac Triumphantibus. Certè, in Sacra-scriptura *Corona Aurea* in capite significant honorem maximum, ac splendorem, qui dignitati Sacerdotum proprius est. Psalmo VIII. 6. *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.* Alludit ad Coronam Aaronis de quâ Ecclesiastici XLV. *Corona Aurea super Mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris; opus virtutis.* Significat etiam iudiciariam potestatem, in absolutione peccatorum. Olim enim Iudices coronati sedebant in tribunali, vt discimus ex Demosthene. Denique, designat Reges in Ecclesiâ, in eaque totos DEI cultui addictos ac dedicatos. Apud profanos *Aurea Corona* nunquam nisi Viris eximijs est data. Vnde stulta illa idololatrarum persuasio apud Apuleium (c) solum Herculem dignum esse, qui *Coronam auream* capite gestet. Refert etiam Tertullianus, (d) Sacerdotum quidem, sed prouincialium duntaxat Coronam Auream fuisse. *Tantum*, inquit, *honoris nomine conferebatur his, qui familiaritatem Regum merebantur.* Siquidem Regum erat CORONA AVREA, eaque non crassa & solida, sed ex lamina auri deducta, & attenuata: vt significarent, illi parum auri esse satis, cuius virtus imperat auro: neque tam Regem opus habere auro, quam Rempublicam Rege aureo. Nec illud omittendum, Gentiles olim opinatos, *Aurum* Ioue esse prognatum, ideoque, non nisi Regibus, ac Diuinis hominibus attribui. Inde dictum *Aurum Coronarium*, quod Regibus dabatur. Id posterioribus etiam temporibus obseruatum reperio. Certè, Procopius libro I. belli Gothici scribit, pactum fuisse cum Petro Imperatoris Iustiniani Duce partium aduersariarum Ductorem, *decedere tota Siciliâ, & quotannis mittere Iustiniano* Coronam Auream *trecentarum librarum.* Denique, Festus, *Triumphales*, inquit, *Coronæ sunt, quæ Imperatori Victori* Aureæ *præferuntur, quæ antiquis temporibus, propter paupertatem*, Laureæ *fuerunt.*

HIS omnibus nominibus meritò defertur *Corona Aurea* Theologis. Primò quidem, tanquam *Viris Eximijs.* Quod pro-

(a) *Liuius lib. XXXV.* (b) *Lib. XXIII.* (c) *Lib. IX. metam.* (d) *Lib. de Idololatr.*

proprium est epitheton Theologorum. Quemadmodum enim apud Romanos olim Præsides ac Præfecti dicebantur Optimi, Græcè, κράτιστοι, quod etiam vertere licet, potentissimi: quomodo Actuum XXIV. *Optime Felix*, & Actuum XXVI. *Optime Feste*, salutantur à Paulo, quia Præsides, quamuis is esset sceleratissimus; ita vocantur passim Theologi, *Eximij*. Vnde Eximius Magister Noster, idem est, ac Doctor Theologiæ: & sine addito, Eximius D. Doctor, eundem denotat. Nec malè, nam decet illos signatè esse *Eximios*, id est, excellentes, egregios, præstantes, eruditione, doctrinâ, sapientiâ: *Eximios*, morum honestate, maturitate, grauitate, non adfectatâ, sed simplici, ac quasi natiuâ: *Eximios*, continentiâ, modestiâ, pietate. Denique, virtutis omnis cultu. Verè *Eximios*, ab eximendo sic dictos, quasi exemptos, vt à iurisdictione populari, ita à popularibus vitijs, à fastu, inuidentia, superbia, gula, lasciuia: Exemptos à tyrannide Cacodæmonis, à seruitute peccati, à subiectione inordinatorum adfectuum: *Exemptos* à sceleratorum consortio, impiorum contubernio, profanorum conuictu. Et quoniam id quod ex numero multorum eligitur, secernitur, & eximitur, (a) non solet esse vulgare, hinc *Eximius* quoque est idem, quod insignis, haud vulgaris. Sic *Eximius* est, certè, deberet esse Theologus: non Vulgaris, sententia, opinione, æstimatione. Non sequatur sententiam vulgi, opinionibus vulgi non circum agatur, æstimatione Vulgi non capiatur, neque seducatur. Exempli caussâ, in vno aliquo genere, nam infinita est hæc thesis.

EXIMIVS est Theologus, dum iudicat de ornatu corporis, quem adolescentuli quidam, ad Vulgi iudicium, tanti æstimant. Crines ille intortos, antias de fronte in oculos perturbatè pendulas, cincinnulos in temporibus crispatos, ingentem è cæsarie floccum in humerum defluentem, & his gemina caput vanissimum inuoluentia, aspicit, vt Faunorum, Satyrorum, & Empusarum ornamenta, vt Gorgonis delicias, vt Megæræ pulchritudinem. Circa collum spiras lineas, lobbas vocant, expansas, striatas, plicatiles, pictiles acuminatas, dentatas, vt puparum velamina, intuetur Theologus & ridet. Discissos thoraces, follicantes caligas, aut nautarum in modum defluentes penè in calceos, variegata tibialia, ligulas, rosulas, palliola serica, spirulas in galericulis, rubeas, cæruleas, flauas, vt scenicorum nugas vilipendit, ac despicit. Alia illius est, aut esse deberet quàm vulgi sententia, opinio, æstimatio de pecunia, honore, dignitatibus, nobilitate, robore, pulchritudine, delicijs, voluptatibus, amplis possessionibus, prædijs, villis, clientelis, splendore ille externo, denique, de omnibus Fortunæ profanæ blandientis, sed æquè decipientis bonis, quæ vulgus prima ad felicitatem opinatur. Hæc Theologus suis momentis, non vulgari, sed Theologica librans trutina, æstimat, vt vilia, haud magnoperè expetenda, magnis & generosis animis indigna, quippe caduca, temporanea, momentanea, fallacia: denique, fugacia, & citius, quàm fumum, ventum, somnum euanescentia. Ideoque eadem sponte

(a) *Eximius idem, quod Insignis, non vulgaris.*

ſponte dimittit, ſpernit, abijcit, & ſi ſit neceſſe, ad ſecuritatem conſiliandam, pedibus conculcat.

CONTRA verò, diuinam gratiam, ſanctitatem, virtutes ſolidas & Chriſtianas, humilitatem, temperantiam, caſtitatem, veracitatem, quæ bona ſunt animæ: ſapientiam veram, non illam ſolummodò ſpeculatiuam, illuſtrantem intellectum, ſed ſimul actuoſam, afficientem voluntatem, & ad manus, operationemque deductam, quæ ab Honeſtate non diſtinguitur: denique, cæleſtia ac æterna, quæ Vulgus flocci facit, deſpicit, immò, abominatur: Theologus, vt vnicè amanda, conſectanda, & cum iactura aliorum omnium ſibi adquirenda proponit: ad illorum amorem alios verbis inſtigat, exemplo impellit, ſi poteſtate polleat, imperio adigit. Hoc eſt eſſe EXIMIVM, à Vulgi colluuione *Exemptum*, cui idcirco iure deferatur, imponaturque capiti CORONA AVREA. Quæ erat etiam hominum *Diuinorum*: quales vel ipſo nomine ſunt Theologi, à Theologia ſic dicti, nempe, à Scientia diuina. Addo, mores dicta, opera, adfectus Theologi eſſe, aut debere eſſe *Diuina*, vt nihil in eo ſit, niſi quod DEVM ſpectet, aut *Diuina*, nihil ſit ex fæculentia humana, nihil contaminationis terreæ, nihil denique concretionis profanæ. Sunt ijdem DEI ſummi *Myſtæ* ac Sacerdotes, ſiue iam initiati verè, vt multi inter ipſos, ſiue tandem conſecrandi, vt alij. Itaque & Regium nomen illis conuenit. Siquidem apud Chriſtianos, Petro Apoſtolo definiente, *Regale* eſt *Sacerdotium*. Et Sacerdotes Regibus non pares modò eſſe, ſed ſuperiores elegantiſſimè demonſtrat Sacerdotum decus aureum Chryſoſtomus. His quoque Iudiciaria conuenit poteſtas, quam exercent, quà Sacerdotes in tribunali Confeſſionis, quà Doctores ſcientia Theologicâ præditi in Curijs Epiſcopalibus, quà ſpirituali doctrinâ excellentes in dicaſterijs, quoniam *Spiritualis* homo talis *iudicat omnia*, (a) Cùm etiam *Theologi* multò magis, quam vlli alij è Sapientum numero, triumphum agant de vitijs & concupiſcentijs, quis neget ijs deberi *Coronam* Triumphalem Auream?

(a) 1. *Corin.* 2. 15.

MEMBRVM III.

CORONA QVERCEA

Iuris Studioſis, Peritis, Conſultis oblata.

THEOLOGIS in Republicâ litteraria proximi ſunt IVRISPERITI, rerum diuinarum ac humanarum notitia, & iuſti atque iniuſti ſcientiâ inclyti. Sic enim definit Imperator Iuſtinianus (a) Prudentiam Iuris, quod tum Diuinum, tum humanum complectitur, vtrumque Iuriſperito cognoſcendum. Hi ſunt non fatidicæ Themidis, ſed Sapientiæ quæ æterna eſt, nec à DEO diuerſa, Antiſtites, Legum conditores, vel interpretes, ſcelerum vindices, virtutum, ac præclariſſimorum facinorum remuneratores, innocentum patroni, calamitoſorum defenſores, improborum ſcopulus, litigantium iudices, Reges fori, Princi-

pes

(a) *Lib.* 1. *Inſt. tit.* 1.

pes tribunalium, ciuitatum & Rerum publicarum Salus. Vt non sit magnoperè inquirendum, quæ ipsis, si officio probè fungantur, aut si adhuc in Iuris studio operam, quo decet fine, impendant, sit offerenda CORONA. Occurrit enim extemplò CIVICA. Illi enim & Ciuitatem Sapientiæ armis tuentur, & ciuem non vnum, sed tribus illorum omnes, è crudelissimorum hostium, quales sunt, iniustitia, improbitas, rapina, vafrities, eripiunt telis. *Ciuicam* consequebatur olim is, qui ciuem seruasset in prælio. Quot quotidie Ciues seruat incolumes, & furori subducit hostili probus Iurisperitus? Fuit *Ciuica* ex materia, quæ ad vitæ sustentationem est commoda, mendicitatemque prohibet, dum arcet egestatem. *Illignam* primitus fuisse tradit Plinius (*a*) Postea magis placuit ex esculo, Ioui sacra. Deinde etiam ex quercu. Postremò ex omni arbore glandifera: siue quia is cibus antiquissimus fuerit, vt scribit Gellius; (*b*) siue quia vt Plutarchus (*c*) existimat, in omnibus locis eius arboris copia reperitur; siue quia Iunoni & Ioui sacra erat arbor illa, quibus Dijs ciuitatum tutelam adsignabant Gentiles. Sunt qui ab Arcadibus id esse sumptum opinantur, quibus aliquam esse cum quercu cognationem existimabatur. Primi enim hominum è terrâ nati credebantur, sicut quercus inter stirpes. Datum quoque id videri potest ipsi arbori, quæ inter siluestres pulcherrima est, inter domesticas robustissima: præbet prætereà cibum quidem glandes; potum verò *μελίτιον*, necnon obsonium pecorum, ac volucrũ: fert enim viscum, quod idcircò magnum est venationis instrumentum.

NIMIRVM, sic censeo: *Iurisperitum* domesticam habere debere *Quercum*, quam excutiat: seu in horto suo arborem fecundam, vnde ipsi necessaria suppeditentur, & conficiatur *Corona*: abundare illum oportet rebus, quæ ad familiæ sustentationem sunt necessariæ & commodæ, denique non est consultum, vt Iurisperitus egestate prematur, multo minus, vt sit mendicabulum. Hoc insinuat *Corona Ciuica* ex *Quercu*, arbore glandiferâ. Siquidem egestas in Iudice, Legum Interprete, Assessore, Consiliario, Gubernatore facit vt respiciat munera, quæ, vt dicitur Exodi XXIII. *excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Hinc Iudiciorum peruersitas, labes Reipublicæ, corruptela rigoris Iustitiæ: hinc opprimitur iustus, subleuatur improbus, spoliantur miseri, ludibrio exponuntur spoliati: hinc irritatur insatiabilis cupiditas, negliguntur pauperes, deseruntur orphani, reijciuntur viduæ. Quare tam seuerè interdicit DEVS Deuteronomij XVI. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba iustorum.* Quod comprobatur omnium rectè sentientium calculo, qui munera quæ accipiunt Iudices, improbant. *Hæc* enim vt animaduertit Caietanus, *affectum mutant, & sic efficiunt*, inquit ille magnus Scholasticus, *vt si non speculatiuè, saltem practicè videatur accipienti fouenda, vel excusanda, vel toleranda pars, à qua munera accepit.* Munerum minus est auidus, qui ijs non indiget: non indiget, cui affatim domi est, & in cuius fundo crescit

D 3 arbor,

(a) *lib. XVI. cap. 4.* (b) *Gell. lib. V. cap. 6.* (c) *Problemat. 92.*

arbor, vnde texatur fundi domino *Corona Ciuica*. Quam alijs omnibus, quantũuis argenteis aureisque fuisse honoratiorem scribunt auctores superius nominati, (a) licet illæ precio antecederent: quot, vt ait Plinius, tanto operi nullum aliud præmium conuenientius, nisi *Honor* reperiri posse videretur, *Salutem enim ciuis in precio esse voluerunt, clarâ professione, seruare hominem nefas esse lucri caussa*. Hoc egregiè quadrat in præmium Iurisconsultorum, qui lucro inhiare non debent, neque lucri caussâ administrare Iustitiam, sed virtutis decore esse contenti: Honorem spectare verum, qui honestum opus comitatur. Id insinuat communis paremia versu expressa:

Dat Galenus opes, dat Iustinianus Honores.

VERVM, honoratissima hæc *Corona* nemini imponebatur nisi post seruatas arctissimas leges, quas Plinius commemorat, ne vulgatus honos vilesceret. Nã vbi quibuslibet passim, nulla habita ratione industriæ, doctrinæ, excellentiæ, titulus datur, *Baccalaurei, Magistri, Licentiati, Doctoris*, vilescit honoratus ille titulus. Itaque requirebant leges, ad Ciuicæ Coronæ decus: Ciuem seruare, hostem occidere: vtque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die: vtque seruatus fateatur: alij testes nihil proderant. Nam vt canit Ennius: (b)

Qui vicit, non est victor, nisi victus, fatetur.

Ad hæc, vt Ciuis fuerit: auxilia, quamuis Rege seruato, decus id non dabant: nec crescit honos idem Imperatore seruato, quoniam conditores in quocumque ciue summum esse voluerunt. Vtinam tam accurata modò esset ratio, dum coronãtur, qui Legibus operam impendũt, Doctores, Iudices, tribunalium Præsides, & inquireretur imprimis diligenter, an eo honore digni? An officio satisfecerint? An secundum Legum Imperatoriarum præscriptum promoueri possint? An in iudicando, in decidendo, in sententiam ferendo, Constitutiones & Recessus Imperij, Statuta Cameræ Cæsareæ, praxim Curiæ, regulas Iustitiæ, præscriptum cõscientiæ, instinctũ synderesis sint sequuti? An dum ciuem seruarunt, hostem & inuasorem occiderint? ac non potius cõniuẽdo ac dissimulando, iustum cum iniusto perdiderint. Hæc & his similia, cũ de promotionibus & præmijs conferendis agitur, si solicitè accurateq; examinarẽtur nullo personarũ discrimine, pauciores per plateas & fora volitarent *Coronati*: neq; vllus reperiretur, vt quidam de quodã perhibent, qui alicũde adueniens, cũ amplo testimonio, nesciuit rogatus, in qua disciplina promotus Academiæ laureã accepisset, Doctor salutatus. Neque opus esset concedere Licentiam cum clausula, siue, *De gratia*, pro ignaris: siue, *De bona iustitia*, pro mediocriter doctis: siue, *De bona & mera Iustitia*, pro diuitibus & ciuibus: siue, *De bona & mera iustitia, a benè merito*, pro doctissimis, vel fauorem habentibus. Quas clausulas in aliquibus Europæ Vniuersitatibus vsurpari scribit Rebuffus Iurisconsultus: qua illarũ Vniuersitatum laude, dicere non attinet. Iam verò. CORONAM Ciuicam is, qui seruatus fuerat, Seruatoris sui capiti, suis ipse manibus imponebat, vt scribit Polybius, eumque in omni vita, veluti parentem colebat, & ei necessaria ministrabat. Quod,

(a) *quamuis non preciosissima.* (b) *Apud Seruium in fragmentis. Scalig. in Fest.*

Quod, nisponte faceret, (a) à Tribunis compellebatur. Hinc illa Ciceronis pro Plancio. *Ad id etiam gregarij milites faciunt inuiti, vt Coronam dent Ciuicam. & se ab aliquo seruatos esse fateantur. Non quod turpe sit, protectum in acie hostium manibus eripi (nam id accidere, nisi forti viro, & pugnanti cominus nō potest) sed onus beneficij reformidant: quod permagnum est, alieno debere idem quod parenti.* Hoc etiam merentur probi Iurisconsulti, Præsides, ac Iustitiæ administratores, vt illos, tanquam Seruatores quosdam humani generis agnoscant omnes, sed maximè ærumnosi: ijs manibus suis *Corollam* gratitudinis, & procuratæ salutis imponant: eos venerentur, vt parentes: eis si necesse sit necessaria vitæ, tanquam alteris progenitoribus suis suppeditent. Atque initio quidem, *Ciuica* Militum virtuti dumtaxat insigne clarissimum fuit, postea etiam Clementiæ Imperatorum, vt ait Plinius, cùm ciuilium bellorum odio meritum videri cæpisset, ciuem non occidere. Hinc in Nummis Augusti videmus Coronam ex quercu cum inscriptione.

OB CIVES SERVATOS.

Vtinam in ea non deuenissemus tempora, in quibus coronantur, qui non planè insaniunt, ac si essent planè sapientes: qui nō rapiunt, ac si ditarent: qui non sæuiūt, ac si demulcerent: qui non occidunt, ac si seruarēt. Sed hæc publica est calamitas, cui ingemiscere possumus, remedium adhibeant illi Iustitiæ Antistites, quibus meritò multis nominibus Corona ex quercu Ciuica offertur.

(a) *Festus Ciuica Cic pro Plancio.*

MEMBRVM. IV.

CORONA HERBACEA

Medicis in Arte sua versatis, & expertis addicta.

IVRISPERITIS iungendi sunt MEDICI, an etiam præferendi? Vetus est Medicos inter & Iuris-consultos de ordine dignitatis, & dignitate loci controuersia, (a) quam alibi accuratè examino & pertracto: hic litem alienam, nolo meam facere. Sat habeam modò indicare, quod censet Franciscus Valesius præstantissimus Medicus, in opere de Sacra Philosophia: (b) Iurisprudentiæ veræ, quæ non in agendis caussis, sed in administranda Republica versatur, cedere omninò debere Medicinam: non Rabulariæ, quam Rabulæ forenses profitentur, quæ lites solummodò ordinat, & miscet potius intricatas. Quā decisionē approbat Christophorus Besoldus in Dissertatione Iuridico-politica de iure Academiarum. cap. 3. Vt vt sit, Medicos amo & veneror, haud ignarus, illos in me habituros aliquando, cùm morbo resolutus, si non contractus, decumbam in valetudinario, merum mixtumq; imperium. Quare *Strena* annua illorum est aucupanda gratia: & *Corona* caput sunt cingendi queadmodū cæteri, Academici. Vt autem ijs accōmodata sit *Corona*, cōcipite Corpus animatum sanabile, maximè humanū, quod est obiectū Medicinæ, simul speculatiuæ & practicæ formaliter, vt docui in Logica, instar Ciuitatis alicuius amplissimæ, in quā murus ambiens est cutis, tot fora minibus, quot poris peruius: vallum,

(a) *NOTAE* (b) *cap. lxxiv.*

lum, Caro; fossæ triplices, nerui, venæ, arteriæ; turres, ossa; propugnacula, humeri; castrum, caput, in quo, quot sunt domunculæ formularum sensibilium (minimùm quinque secundū Galenum) tot sunt militum excubantium tuguriola. In eadem vrbe, forum est cerebrum; plateæ, meatus vbique patuli; curia, pectus; templum, cor; armamentarium, iecur; officina fabrilis, pulmo; palatia, membra. In hac ciuitate, verè regiâ, diademate coronatus imperat *Rex, Ratio*, cuius coniunx augusta *Regina, Voluntas*. Horum stipatores sunt quinq; sensus externi: Satellites, totidem interiores. *Prorex*, & ciuitatis Gubernator est *Intellectus* practicus; Explorator, Speculatiuus: *Consiliarij*, Potentiæ: *Secretarius*, Memoria: *Cancellarius*, Iudicium: *Iudex*, Conscientia: *Præfectus Militum*, Fortitudo: *Magister Vigilum*, Prudentia: *Censor morum*, Temperantia: *Modimperatrix*, Iustitia: *Nobiles*, Virtutes Theologicæ: *Patricij*, virtutes morales: *Plebs*, Passiones, seu Affectus animi, Amor, Odium, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus, ac reliquæ per suas tribus distributæ: *Milites gregarij*, Habitus adquisiti: *Apparitores*, Instinctus varij: deniq; *Carnifex*, Synderesis.

VERVM hæc Ciuitas assiduè est in periculo ne capiatur ab hostibus. Nam intus gliscit semper discordia, ac est bellū intestinū: cuius semina iacta sunt à quattuor Tribunis plebis: hi sunt quattuor Elemēta, qui quidem iam olim si personas ipsorum spectes, expulsi sunt ab hac vrbe. Siquidem non manent secundum substantiam in mixto animato, vt ego arbitror: tamen per substitutos suos, seu vicarios, quales sunt, aut Formæ illorum refractæ, aut Qualitates quattuor: nam pro Terra, est siccitas, pro Aqua, humiditas: pro Aëre, frigiditas: pro Igne, calor; tumultum singulis horis, immò, momentis excitāt, côcitantque plebē ad rebellionē. Quod faciunt eo animosius, quia non ignorāt, ciuitatem arctissimè premi obsidione ab hoste externo. Siquidem quattuor mundi climatum *Monarcha*, cui nomen *Exterminator*, seu *Mors*, ingentem secum trahēs exercitum, vndique illam copioso peditatu, equitatuque cinctam continet. Et ab Orientali quidem plagâ collocauit cū expeditissima sua turma primum Generalem, cui nomen *Fames*: huic autē ex eodem genere adhærent, vera, phantastica, canina, lupina, rabiosa. In Occidentali castra posuit alter Generalis, nomine *Sitis*, cui operam nauant Centuriones, labor, sudor æstus, piper, aroma, ac similes. In Australi excubat *Febris*, sub quo nomine sexcenti latēt officiales ac præfecti vigilantissimi: voce quidem fæminina, diaria, tertiana, quartana, hectica, sed vi & malignitate magis, quàm mascula. Denique, in Aquilonari parte tentorium suū erexit, titulo Generalissimi iam dudum gandens, *Pestis*, quæ agmina secum trahit crudelissimorū militum, quibus præsunt Centuriones, Dolor, Aposthema, Bubo, Lethargus, Phrenesis, & alij innumeri.

NONNE actum est de vrbis sic obsessæ salute, nisi & intus reddatur, sopitis incolarum controuersijs, tranquillitas, & exterius repellantur obsidentes? Haud dubiè. Ad id tamen vires sufficientes non habet ipsa: itaque alterius belli Ducis, & numerosissimi exercitus Ductoris est implorandū auxilium. Ad Theologū si confugiat: is dicet, sibi animę laborātis, non corporis infirmi curā demandatam.

Iurif-

Iurisconsultum si solicitet, is cum indignatione, negabit sibi esse cum istiusmodi militum genere negocium, dicet, sibi cum originalibus membranis, non cum vitreis vrinalibus agendum, illud suum esse officium. Igitur superest *Medicus*, verè Rex Regum, vt quidam aiebat, dabárque caussam dicti, quod is Regibus imperet. Illius si postulentur in subsidium copiæ, aduolat promptus, ducens exercitum fortem & numerosum. Prima autem illi cura est, vt in ipsa ciuitate turbarum tollatur seminarium, sublatâ contentione humorum ac qualitatum contrariarũ sese mutuo persequentium. Iis autem sub Tribuno, cui nomen *Dieta*, per cohortem puluerum, syruporum, potionum, calefacientium, refrigerantium, soporiferarum ad temperamenti æqualis concordiam redactis; cogitationes conuertit suas ad soluendam obsidionem. Quod illi non est difficile, si maturè in auxilium aduocetur, antequam castra hostilia vallis, fossis, castellis turribus muniantur. Nam alioqui si tam diu expectetur, donec *Fames* ad stomachi fundum cuniculis peruenerit, *Sitis* faucium portas occuparit, *Morbus* muros deiecerit, *Pestis* carbunculis ignitis, tanquam pyrobolis certare inceperit, *Febris* malagranata flammantibus non glandibus, sed pustulis purulentis referta in diuersa corporis membra, ceu vrbis domicilia iecerit, continget plerumque Medico, quod æstate proximè superiore ad Traiectum accidisse Heroi in Militia Catholicâ incomparabili luximus. At verò, si maturè adueniat, sui cinctus exercitus antesignanis, chirurgis, pharmacopæis, empiricis, cocis, instructa acie obsidentes noctu diuque lacessit. Et *Famem* quidem, saluberrimorum ciborum phalange depellit. *Sitim* verò aquarum, cælestium, pluuiatilium, salietium, crudarum, decoctarumque turmis obruit, & penitus extinguit. Ac *Febrim* agmine statario sub ductoribus, *Inedia* & *Inbibesia*, euacuationum, purgationum, refrigerationum paullatim se subducere compellit. Denique, *Pestem* incitatissimo impetu copiarum theriaci, bezuarij, Mythridatici inuadit, ferroque ac igni persequitur, penitus profligat, & sic tandem obsidionem periculosissimam soluit.

Hoc tantâ cum dexteritate felicitateque quoniam perficit *Medicus* dubitabimus ne an ei addicenda sit *Corona Obsidionalis*? quam olim ij, *qui liberati erunt*, inquit Agellius, *dabant Duci*, *qui liberarat*. Quæ *Corona* apud Romanos erat summæ æstimationis, quod honorem conferret coronato maximum, illumque præ alijs nobilitaret. Quare, sensu Plinij, nulla erat inter Militares Coronas obsidionali nobilior: & meritò, cum non vnus, sed plures ciuium obsidione depulsa eripiantur à morte. Vnde est honoris peculiaris & egregij index. Quod optimè quadrat in Medici lostrum, ac premium, cùm illi, DEO ipso decernente, singularis debetur honor in Republica. Hinc illud mandatum in Ecclesiastico: (*a*) HONORA Medicum, *propter necessitatem: Etenim illum creauit Altissimus. A* DEO *est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum*

(a) *cap. XXXVIII.*

lum, Caro; fossæ triplices, nerui, venæ, arteriæ; turres, ossa; propugnacula, humeri; castrum, caput, in quo, quot sunt domunculæ formularum sensibilium (minimùm quinque secundū Galenum) tot sunt militum excubantium tuguriola. In eadem vrbe, forum est cerebrum; plateæ, meatus vbique paruli; curia, pectus; templum, cor; armamentarium, iecur; officina fabrilis, pulmo; palatia, membra. In hac ciuitate, verè regiâ, diademate coronatus imperat *Rex, Ratio*, cuius coniunx augusta *Regina, Voluntas*. Horum stipatores sunt quinq; sensus externi: Satellites, totidem interiores. *Prorex*, & ciuitatis Gubernator est *Intellectus* practicus; Explorator, Specularius: *Consiliarij*, Potentiæ: *Secretarius*, Memoria: *Cancellarius*, Iudicium: *Iudex*, Conscientia: *Præfectus Militum*, Fortitudo: *Magister Vigilum*, Prudentia: *Censor morum*, Temperantia: *Modimperatrix*, Iustitia: *Nobiles*, Virtutes Theologicæ: *Patricij*, virtutes morales: *Plebs*, Passiones, seu Affectus animi, Amor, Odium, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus, ac reliquæ per suas tribus distributæ: *Milites gregarij*, Habitus adquisiti: *Apparitores*, Instinctus varij: deniq; *Carnifex*, Synderesis.

VERVM hæc Ciuitas assiduè est in periculo ne capiatur ab hostibus. Nam intus gliscit semper discordia, ac est bellū intestinū: cuius semina iacta sunt à quattuor Tribunis plebis: hi sunt quattuor Elemēta, qui quidem iam olim si personas ipsorum spectes, expulsi sunt ab hac vrbe. Siquidem non manent secundum substantiam in mixto animato, vt ego arbitror: tamen per substitutos suos, seu vicarios, quales sunt, aut Formæ illorum refractæ, aut Qualitates quattuor: nam pro Terra, est siccitas, pro Aqua, humiditas: pro Aëre, frigiditas: pro Igne, calor: tumultum singulis horis, immò, momentis excitāt, côcitantque plebē ad rebellionē. Quod faciunt eo animosius, quia non ignorāt, ciuitatem arctissimē premi obsidione ab hoste externo. Siquidem quattuor mundi climatum *Monarcha*, cui nomen *Exterminator*, seu *Mors*, ingentem secum trahēs exercitum, vndique illam copioso peditatu, equitatuque cinctam continet. Et ab Orientali quidem plagâ collocauit cū expeditissima sua turma primum Generalem, cui nomen *Fames*: huic autē ex eodem genere adhærent, vera, phantastica, canina, lupina, rabiosa. In Occidentali castra posuit alter Generalis, nomine *Sitis*, cui operam nauant Centuriones, labor, sudor æstus, piper, aroma, ac similes. In Australi excubat *Febris*, sub quo nomine sexcenti latēt officiales ac præfecti vigilantissimi: voce quidem fæminina, diaria, tertiana, quartana, hectica, sed vi & malignitate magis, quàm mascula. Denique, in Aquilonari parte tentorium suū erexit, titulo Generalissimi iam dudum gandens, *Pestis*, quæ agmina secum trahit crudelissimorū militum, quibus præsunt Centuriones, Dolor, Aposthema, Bubo, Lethargus, Phrenesis, & alij innumeri.

NONNE actum est de vrbis sic obsessæ salute, nisi & intus reddatur, sopitis incolarum controuersijs, tranquillitas, & exterius repellantur obsidentes? Haud dubiè. Ad id tamen vires sufficientes non habet ipsa: itaque alterius belli Ducis, & numerosissimi exercitus Ductoris est implorandū auxilium. Ad Theologū si confugiat: is dicet, sibi animę laborātis, non corporis infirmi curā demandatam.

Iuris-

Iurisconsultum si solicitet, is cum indignatione, negabit sibi esse cum istiusmodi militum genere negocium, dicet, sibi cum originalibus membranis, non cum vitreis vrinalibus agendum, illud suum esse officium. Igitur superest *Medicus*, verè Rex Regum, vt quidam aiebat, dabatque caussam dicti, quod is Regibus imperet. Illius si postulentur in subsidium copiæ, aduolat promptus, ducens exercitum fortem & numerosum. Prima autem illi cura est, vt in ipsa ciuitate turbarum tollatur seminarium, sublatâ contentione humorum ac qualitatum contrariarū sese mutuo persequentium. Iis autem sub Tribuno, cui nomen *Dieta*, per cohortem puluerum, syruporum, potionum, calefacientium, refrigerantium, soporiferarum ad temperamenti æqualis concordiam redactis, cogitationes conuertit suas ad soluendam obsidionem. Quod illi non est difficile, si maturè in auxilium aduocetur, antequam castra hostilia vallis, fossis, castellis turribus muniantur. Nam alioqui si tam diu expectetur, donec *Fames* ad stomachi fundum cuniculis peruenerit, *Sitis* faucium portas occuparit, *Morbus* muros deiecerit, *Pestis* carbunculis ignitis, tanquam pyrobolis certare inceperit, *Febris* malagranata flammantibus non glandibus, sed pustulis purulentis referta in diuersa corporis membra, ceu vrbis domicilia iecerit, continget plerumque Medico, quod æstate proximè superiore ad Traiectum accidisse Heroi in Militia Catholicâ incomparabili luximus. At verò, si maturè adueniat, sui cinctus exercitus antesignanis, chirurgis, pharmacopæis, empiricis, cocis, instructa acie obsidentes noctu diuque lacessit. Et *Famem* quidem, saluberrimorum ciborum phalange depellit. *Sitim* verò aquarum, cælestium, pluuiatilium, salictium, crudarum, decoctarumque turmis obruit, & penitus extinguit. Ac *Febrim* agmine statario sub ductoribus, *Inedia* & *Imbibesia*, euacuationum, purgationum, refrigerationum paullatim se subducere compellit. Denique, *Pestem* incitatissimo impetu copiarum theriaci, bezuarij, Mythridatici inuadit, ferroque ac igni persequitur, penitus profligat, & sic tandem obsidionem periculosissimam soluit.

Hoc tantâ cum dexteritate felicitateque quoniam perficit *Medicus* dubitabimus ne an ei addicenda sit *Corona Obsidionalis*? quam olim ij, *qui liberati erant*, inquit Agellius, *dabant Duci*, *qui liberarat*. Quæ *Corona* apud Romanos erat summæ æstimationis, quod honorem conferret coronato maximum, illumque præ alijs nobilitaret. Quare, sensu Plinij, nulla erat inter Militares Coronas obsidionali nobilior: & meritò, cum non vnus, sed plures ciuium obsidione depulsa eripiantur à morte. Vnde est honoris peculiaris & egregij index. Quod optimè quadrat in Medici nostrum, ac premium, cùm illi, DEO ipso decernente, singularis debetur honor in Republica. Hinc illud mandatum in Ecclesiastico: (a) HONORA Medicum, *propter necessitatem: Etenim illum creauit Altissimus.* A DEO *est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum*

(a) cap. xxxviii.

lum, Caro; fossæ triplices, nerui, venæ, arteriæ; turres, ossa; propugnacula, humeri; castrum, caput, in quo, quot sunt domunculæ formularum sensibilium (minimùm quinque secundũ Galenum) tot sunt militum excubantium tuguriola. In eadem vrbe, forum est cerebrum; plateæ, meatus vbique patuli; curia, pectus; templum, cor; armamentarium, iecur; officina fabrilis, pulmo; palatia, membra. In hac ciuitate, verè regiã, diademate coronatus imperat *Rex, Ratio*, cuius coniunx augusta *Regina, Voluntas*. Horum stipatores sunt quinq; sensus externi: Satellites, totidem interiores. *Prorex*, & ciuitatis Gubernator est *Intellectus* practicus; Explorator, Speculatiuus: *Consiliarij*, Potentiæ: *Secretarius*, Memoria: *Cancellarius*, Iudicium: *Iudex*, Conscientia: *Præfectus Militum*, Fortitudo: *Magister Vigilum*, Prudentia: *Censor morum*, Temperantia: *Modimperatrix*, Iustitia: *Nobiles*, Virtutes Theologicæ: *Patricij*, virtutes morales: *Plebs*, Passiones, seu Affectus animi, Amor, Odium, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus, ac reliquæ per suas tribus distributæ: *Milites gregarij*, Habitus adquisiti: *Apparitores*, Instinctus varij: deniq; *Carnifex*, Synderesis.

VERVM hæc Ciuitas assiduè est in periculo ne capiatur ab hostibus. Nam intus gliscit semper discordia, ac est bellũ intestinũ: cuius semina iacta sunt à quattuor Tribunis plebis: hi sunt quattuor Elemẽta, qui quidem iam olim si personas ipsorum spectes, expulsi sunt ab hac vrbe. Siquidem non manent secundum substantiam in mixto animato, vt ego arbitror: tamen per substitutos suos, seu vicarios, quales sunt, aut Formæ illorum refractæ, aut Qualitates quattuor: nam pro Terra, est siccitas, pro Aqua, humiditas: pro Aëre, frigiditas: pro Igne, calor; tumultum singulis horis, immò, momentis excitãt, cõcitántque plebẽ ad rebellionẽ. Quod faciunt eo animosius, quia non ignorãt, ciuitatem arctissimẽ premi obsidione ab hoste externo. Siquidem quattuor mundi climatum *Monarcha*, cui nomen *Exterminator*, seu *Mors*, ingentem secum trahẽs exercitum, vndique illam copioso peditatu, equitatuque cinctam continet. Et ab Orientali quidem plagâ collocauit cũ expeditissima sua turma primum Generalem, cui nomen *Fames*: huic autẽ ex eodem genere adhærent, vera, phantastica, canina, lupina, rabiosa. In Occidentali castra posuit alter Generalis, nomine *Sitis*, cui operam nauant Centuriones, labor, sudor æstus, piper, aroma, ac similes. In Australi excubat *Febris*, sub quo nomine sexcenti latẽt officiales ac præfecti vigilantissimi: voce quidem fæminina, diaria, tertiana, quartana, hectica, sed vi & malignitate magis, quàm mascula. Denique, in Aquilonari parte tentorium suũ erexit, titulo Generalissimi iam dudum gaudens, *Pestis*, quæ agmina secum trahit crudelissimorũ militum, quibus præsunt Centuriones, Dolor, Aposthema, Bubo, Lethargus, Phrenesis, & alij innumeri.

NONNE actum est de vrbis sic obsessæ salute, nisi & intus reddatur, sopitis incolarum controuersijs, tranquillitas, & exterius repellantur obsidentes? Haud dubiè. Ad id tamen vires sufficientes non habet ipsa: itaque alterius belli Ducis, & numerosissimi exercitus Ductoris est implorandũ auxilium. Ad Theologũ si confugiat: is dicet, sibi animę laborãtis, non corporis infirmi curã demandatam.

Iuriſconſultum ſi ſolicitet, is cum indignatione, negabit ſibi eſſe cum iſtiuſmodi militum genere negocium, dicet, ſibi cum originalibus membranis, non cum vitreis vrinalibus agendum, illud ſuum eſſe officium. Igitur ſupereſt *Medicus*, verè Rex Regum, vt quidam aiebat, dabatque cauſſam dicti, quod is Regibus imperet. Illius ſi poſtulentur in ſubſidium copiæ, aduolat promptus, ducens exercitum fortem & numeroſum. Prima autem illi cura eſt, vt in ipſa ciuitate turbarum tollatur ſeminarium, ſublatâ contentione humorum ac qualitatum contrariarũ ſeſe mutuo perſequentium. Iis autem ſub Tribuno, cui nomen *Dieta*, per cohortem puluerum, ſyruporum, potionum, calefacientium, refrigerantium, ſoporiferarum ad temperamenti æqualis concordiam redactis; cogitationes conuertit ſuas ad ſoluendam obſidionem. Quod illi non eſt difficile, ſi maturè in auxilium aduocetur, antequam caſtra hoſtilia vallis, foſſis, caſtellis turribus muniantur. Nam alioqui ſi tam diu expectetur, donec *Fames* ad ſtomachi fundum cuniculis peruenerit, *Sitis* faucium portas occuparit, *Morbus* muros deiecerit, *Peſtis* carbunculis ignitis, tanquam pyrobolis certare inceperit, *Febris* malagranata flammantibus non glandibus, ſed puſtulis purulentis referta in diuerſa corporis membra, ceu vrbis domicilia iecerit, continget plerumque Medico, quod æſtate proximè ſuperiore ad Traiectum accidiſſe Heroi in Militia Catholicâ incomparabili luximus. At verò, ſi maturè adueniat, ſui cinctus exercitus anteſignanis, chirurgis, pharmacopæis, empiricis, cocis, inſtructa acie obſidentes noctu diuque laceſſit. Et *Famem* quidem, ſaluberrimorum ciborum phalange depellit. *Sitim* verò aquarum, cæleſtium, pluuiatilium, ſalictium, crudarum, decoctarumque turmis obruit, & penitus extinguit. At *Febrim* agmine ſtatario ſub ductoribus, *Inedia* & *Imbibeſia*, euacuationum, purgationum, refrigerationum paullatim ſe ſubducere compellit. Denique, *Peſtem* incitatiſſimo impetu copiarum theriaci, bezuarij, Mythridatici inuadit, ferroque ac igni perſequitur, penitus profligat, & ſic tandem obſidionem periculoſiſſimam ſoluit.

Hoc tantâ cum dexteritate felicitateque quoniam perficit *Medicus* dubitabimus ne an ei addicenda ſit *Corona Obſidionalis*? quam olim ij, *qui liberati erunt*, inquit Agellius, *dabant Duci*, *qui liberarat*. Quæ *Corona* apud Romanos erat ſummæ æſtimationis, quod honorem conferret coronato maximum, illumque præ alijs nobilitaret. Quare, ſenſu Plinij, nulla erat inter Militares Coronas obſidionali nobilior: & meritò, cum non vnus, ſed plures ciuium obſidione depulſa eripiantur à morte. Vnde eſt honoris peculiaris & egregij index. Quod optimè quadrat in Medici noſtrum, ac premium, cùm illi, DEO ipſo decernente, ſingularis debetur honor in Republica. Hinc illud mandatum in Eccleſiaſtico: (a) HONORA Medicum, *propter neceſſitatem: Etenim illum creauit Altiſſimus. A* DEO *eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum*

(a) cap. xxxviii.

lum, Caro; fossæ triplices, nerui, venæ, arteriæ; turres, ossa; propugnacula, humeri; castrum, caput, in quo, quot sunt domunculæ formularum sensibilium (minimùm quinque secundũ Galenum) tot sunt militum excubantium tuguriola. In eadem vrbe, forum est cerebrum; plateæ, meatus vbique patuli; curia, pectus; templum, cor; armamentarium, iecur; officina fabrilis, pulmo; palatia, membra. In hac ciuitate, verè regiâ, diademate coronatus imperat *Rex, Ratio*, cuius coniunx augusta *Regina, Voluntas*. Horum stipatores sunt quinq; sensus externi: Satellites, totidem interiores. *Prorex*, & ciuitatis Gubernator est *Intellectus* practicus; Explorator, Speculatiuus: *Consiliarij*, Potentiæ: *Secretarius*, Memoria: *Cancellarius*, Iudicium: *Iudex*, Conscientia: *Præfectus Militum*, Fortitudo: *Magister Vigilum*, Prudentia: *Censor morum*, Temperantia: *Modimperatrix*, Iustitia: *Nobiles*, Virtutes Theologicæ: *Patricij*, virtutes morales: *Plebs*, Passiones, seu Affectus animi, Amor, Odium, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus, ac reliquæ per suas tribus distributæ: *Milites gregarij*, Habitus adquisiti: *Apparitores*, Instinctus varij: deniq; *Carnifex*, Synderesis.

VERVM hæc Ciuitas assiduè est in periculo ne capiatur ab hostibus. Nam intus gliscit semper discordia, ac est bellũ intestinũ: cuius semina iacta sunt à quattuor Tribunis plebis: hi sunt quattuor Elemẽta, qui quidem iam olim si personas ipsorum spectes, expulsi sunt ab hac vrbe. Siquidem non manent secundum substantiam in mixto animato, vt ego arbitror: tamen per substitutos suos, seu vicarios, quales sunt, aut Formæ illorum refractæ, aut Qualitates quattuor: nam pro Terra, est siccitas, pro Aqua, humiditas: pro Aëre, frigiditas: pro Igne, calor: tumultum singulis horis, immò, momentis excitãt, cõcitantque plebẽ ad rebellionẽ. Quod faciunt eo animosius, quia non ignorãt, ciuitatem arctissimẽ premi obsidione ab hoste externo. Siquidem quattuor mundi climatum *Monarcha*, cui nomen *Exterminator*, seu *Mors*, ingentem secum trahẽs exercitum, vndique illam copioso peditatu, equitatuque cinctam continet. Et ab Orientali quidem plagâ collocauit cũ expeditissima sua turma primum Generalem, cui nomen *Fames*: huic autẽ ex eodem genere adhærent, vera, phantastica, canina, lupina, rabiosa. In Occidentali castra posuit alter Generalis, nomine *Sitis*, cui operam nauant Centuriones, labor, sudor æstus, piper, aroma, ac similes. In Australi excubat *Febris*, sub quo nomine sexcenti latẽt officiales ac præfecti vigilantissimi: voce quidem fæminina, diaria, tertiana, quartana, hectica, sed vi & malignitate magis, quàm mascula. Denique, in Aquilonari parte tentorium suũ erexit, titulo Generalissimi iam dudum gaudens, *Pestis*, quæ agmina secum trahit crudelissimorũ militum, quibus præsunt Centuriones, Dolor, Aposthema, Bubo, Lethargus, Phrenesis, & alij innumeri.

NONNE actum est de vrbis sic obsessæ salute, nisi & intus reddatur, sopitis incolarum controuersijs, tranquillitas, & exterius repellantur obsidentes? Haud dubiè. Ad id tamen vires sufficientes non habet ipsa: itaque alterius belli Ducis, & numerosissimi exercitus Ductoris est implorandũ auxilium. Ad Theologũ si confugiat: is dicet, sibi animæ laborãtis, non corporis infirmi curã demandatam.

Iuris-

Iurisconsultum si solicitet, is cum indignatione, negabit sibi esse cum istiusmodi militum genere negocium, dicet, sibi cum originalibus membranis, non cum vitreis vrinalibus agendum, illud suum esse officium. Igitur superest *Medicus*, verè Rex Regum, vt quidam aiebat, dabatque caussam dicti, quod is Regibus imperet. Illius si postulentur in subsidium copiæ, aduolat promptus, ducens exercitum fortem & numerosum. Prima autem illi cura est, vt in ipsa ciuitate turbarum tollatur seminarium, sublatâ contentione humorum ac qualitatum contrariarũ sese mutuo persequentium. Iis autem sub Tribuno, cui nomen *Dieta*, per cohortem puluerum, syruporum, potionum, calefacientium, refrigerantium, soporiferarum ad temperamenti æqualis concordiam redactis; cogitationes conuertit suas ad soluendam obsidionem. Quod illi non est difficile, si maturè in auxilium aduocetur, antequam castra hostilia vallis, fossis, castellis turribus muniantur. Nam alioqui si tam diu expectetur, donec *Fames* ad stomachi fundum cuniculis peruenerit, *Sitis* faucium portas occuparit, *Morbus* muros deiecerit, *Pestis* carbunculis ignitis, tanquam pyrobolis certare inceperit, *Febris* malagranata flammantibus non glandibus, sed pustulis purulentis referta in diuersa corporis membra, ceu vrbis domicilia iecerit, continget plerumque Medico, quod æstate proximè superiore ad Traiectum accidisse Heröi in Militia Catholicâ incomparabili luximus. At verò, si maturè adueniat, sui cinctus exercitus antesignanis, chirurgis, pharmacopæis, empiricis, cocis, instructa acie obsidentes noctu diuque lacessit. Et *Famem* quidem, saluberrimorum ciborum phalange depellit. *Sitim* verò aquarum, cælestium, pluuiatilium, salientium, crudarum, decoctarumque turmis obruit, & penitus extinguit. At *Febrim* agmine statario sub ductoribus, *Inedia* & *Imbibesia*, euacuationum, purgationum, refrigerationum paullatim se subducere compellit. Denique, *Pestem* incitatissimo impetu copiarum theriaci, bezuarij, Mythridatici inuadit, ferroque ac igni persequitur, penitus profligat, & sic tandem obsidionem periculosissimam soluit.

Hoc tantâ cum dexteritate felicitateque quoniam perficit *Medicus* dubitabimus ne an ei addicenda sit *Corona Obsidionalis*? quam olim ij, *qui liberati erunt*, inquit Agellius, *dabant Duci*, *qui liberarat*. Quæ *Corona* apud Romanos erat summæ æstimationis, quod honorem conferret coronato maximum, illumque præ alijs nobilitaret. Quare, sensu Plinij, nulla erat inter Militares Coronas obsidionali nobilior: & meritò, cum non vnus, sed plures ciuium obsidione depulsa eripiantur à morte. Vnde est honoris peculiaris & egregij index. Quod optimè quadrat in Medici fostrum, ac præmium, cùm illi, DEO ipso decernente, singularis debetur honor in Republica. Hinc illud mandatum in Ecclesiastico: (*a*) HONORA Medicum, *propter necessitatem: Etenim illum creauit Altissimus. A* DEO *est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum*

(a) *cap.* xxxviii.

Iurisconsultum si solicitet, is cum indignatione, negabit sibi esse cum istiusmodi militum genere negocium, dicet, sibi cum originalibus membranis, non cum vitreis vrinalibus agendum, illud suum esse officium. Igitur superest *Medicus*, verè Rex Regum, vt quidam aiebat, dabatque caussam dicti, quod is Regibus imperet. Illius si postulentur in subsidium copiæ, aduolat promptus, ducens exercitum fortem & numerosum. Prima autem illi cura est, vt in ipsa ciuitate turbarum tollatur seminarium, sublatâ contentione humorum ac qualitatum contrariarũ sese mutuo persequentium. Is autem sub Tribuno, cui nomen *Dieta*, per cohortem puluerum, syruporum, potionum, calefacientium, refrigerantium, soporiferarum ad temperamenti æqualis concordiam redactis; cogitationes conuertit suas ad soluendam obsidionem. Quod illi non est difficile, si maturè in auxilium aduocetur, antequam castra hostilia vallis, fossis, castellis turribus muniantur. Nam alioqui si tam diu expectetur, donec *Fames* ad stomachi fundum cuniculis peruenerit, *Sitis* faucium portas occuparit, *Morbus* muros deiecerit, *Pestis* carbunculis ignitis, tanquam pyrobolis certare inceperit, *Febris* malagranata flammantibus non glandibus, sed pustulis purulentis referta in diuersa corporis membra, ceu vrbis domicilia iecerit, continget plerumque Medico, quod æstate proximè superiore ad Traiectum accidisse Heröi in Militia Catholicâ incomparabili luximus. At verò, si maturè adueniat, sui cinctus exercitus antesignanis, chirurgis, pharmacopæis, empiricis, cocis, instructa acie obsidentes noctu diuque lacessit. Et *Famem* quidem, saluberrimorum ciborum phalange depellit. *Sitim* verò aquarum, cælestium, pluuiatilium, salictium, crudarum, decoctarumque turmis obruit, & penitus extinguit. At *Febrim* agmine statario sub ductoribus, *Inedia* & *Imbibesia*, euacuationum, purgationum, refrigerationum paullatim se subducere compellit. Denique, *Pestem* incitatissimo impetu copiarum theriaci, bezuarij, Mythridatici inuadit, ferroque ac igni persequitur, penitus profligat, & sic tandem obsidionem periculosissimam soluit.

Hoc tantâ cum dexteritate felicitateque quoniam perficit *Medicus* dubitabimus ne an ei addicenda sit *Corona Obsidionalis*? quam olim ij, *qui liberati erant*, inquit Agellius, *dabant Duci, qui liberarat*. Quæ *Corona* apud Romanos erat summæ æstimationis, quod honorem conferret coronato maximum, illumque præ alijs nobilitaret. Quare, sensu Plinij, nulla erat inter Militares Coronas obsidionali nobilior: & meritò, cum non vnus, sed plures ciuium obsidione depulsa eripiantur à morte. Vnde est honoris peculiaris & egregij index. Quod optimè quadrat in Medici nostrum, ac præmium, cùm illi, Deo ipso decernente, singularis debetur honor in Republica. Hinc illud mandatum in Ecclesiastico: (a) Honora Medicum, *propter necessitatem: Etenim illum creauit Altissimus. A* Deo *est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum*

(a) *cap.* xxxviii.

torum collaudabitur. Græci textus, qui nunc passim circumferuntur sic habent: *τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ*: *Honora Medicum ad necessitates honoribus eius*: id est: Honora Medicum antequam id necessitas morbi extorqueat: Ita sententiam illam exponunt, Rabbi Ben-Sira, & alij Hebræi. Qui iubent. Medicæ dari munera, honoremque impertiri, vt eorum memor, morbi tempore, te lubens promptus inuisat. Quare non desunt Viri graues ac docti, qui existimant, tantum Medicis honorem habendum, ea quoque præmia in Republica decernenda, vt ad illa nobiles quoque, magnatesque adspirent: & vt non minus ad capessendam Rempublicam, illiusque gubernacula tractanda aditus sit Machaoni, quam Demostheni; fore etiam consultum liberis ciuitatibus, si Medici in Senatum adsciscitantur. denique prudenter facturos, & incolumitati suæ prospecturos Reges & Principes, si Medicos in consilia publica adhibeant, modò viri boni, ac prudentes sint, quales non pauci inter Medicos reperiuntur. Siquidem eo honore fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde, cùm naturæ affectionumque sint gnari, crebrò ea suadere possunt, quæ prosunt, aut sanè ex vultibus oculisque indicare, quæ esse in rem communem, ac Principis vel Reipublicæ censeantur.

QVÆ & eius generis aliá satis declarant, Medicorum capitibus optimè conuenire nobilem, & Honoris præcipui indicem Coronam, qualis in Militia fuit *Obsidionalis*: cuius materia erat *Gramen*, vt Scriptores antiqui tradunt. Et quidem conficiebatur ex gramine viridi decerpto ex eo loco, vbi obsessos seruasset aliquis. (a) Namque vt scribit cum Festo, Plinius (b) summũ apud antiquos signum fuit victoriæ, herbã victos porrigere: quod ea re significare viderentur, se terra & altrice ipsa humo, nec non humatione cedere. Addit Festus, sumptum id ex vita pastoritia: qui enim in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex illo solo, in quo certamẽ erat, decerptam herbam aduersario tradebant. Hinc *Herbam* dare significat, victum se fateri. Nonius quoque, Herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem *Corona obsidionalis* à materia sit dicta Graminea; tamen, vt Plinius testatur, non ex solo gramine fuit, sed herbis etiam quibuscũque, quæ in periculi sede fuissent. Et sanè genus graminis est herba: est enim gramen herba vulgatissima, dicta à gradiendo, hoc est, progrediendo, siue serpendo: & Virgilius graminis herbam dixit in Bucolicis: ac Liuius libro 1. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit.* Non posset aptior excogitari ad coronandũ Medicum materia, quam *Herba*, quã ille ita vtitur ad victoriam cõtra hostes suos vt omnia penè arma sua inde conficiat. Vnde *Herba* pro quolibet medicamento sumi potest. *Neque herba*, inquit Sapiens cap. XV. *Neque malagma sanauit eos*, quasi tunc nihil remedij naturalis superfuerit: quare sequitur: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* In de tam multa Medici, ac Historici naturales de herbarum viribus disserũt, nec immeritò, cùm Plinius; (c) Herba-

(a) *Fest. v. Obsidionalis.* (b) *Plin. lib. 22. c. 3. 4. 5.* (c) *Plin. l. XVIII. c. 1. Hipp. epist. Matthiol. epist. dedic.*

Herbarum contemplationem dicat immensam. Quam mirè deprædicat Hippocrates Medicorum summus scribens Cratenæ Herbario. Et etiamnum in benè constitutis Academijs, Medica facultas, præter Interpretem Aphorismorum, morborum, remediorumque Explanatorem, ac Anatomicum, solet habere Doctorem Herbarum, vt Patauij, Basileæ, Lugduni Batauorum, alibi. Talis, vt arbitror, fuit Salomon, qui, vt est libro III. Regum cap. 4. *Disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, qui egreditur de pariete.* Iure igitur addicimus Medico Coronam obsidionalem herbaceam, ad recentem beneficij accepti memoriam, è viridi gramine.

NOTÆ.

§. CORONA AVREA Militaris.] *Legend.* Iust. Lipsius *lib. v. de Milit. Dial.* 17.

§. EXIMIVS.] *Eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificium electi erant signati macula aut nota: sicut oues egregia, à grege lecta. Et quia id, quod à ceteris eligitur, & eximitur, nō vulgare esse solet, factū est, vt* Eximiū *ponatur pro* Insigni. *Virg. 4. Geor.*

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Eximius passim idem, quod excellens, egregius, præstans. Sumitur & in malam partem. Sic Cic. in Verr. vocat eximiam iniuriam.

§. TITVLI Iurisconsultorum.] *Sumuntur ab ipsorum officijs, & dicuntur: Curiæ prætorianæ capita ac Principes: Concilij Sanctioris penetralia veluti Corcula: Sceptri principalis ocelli: Consultationem dexteræ opifices: Iudiciorum Interpretes: quæstionum sequestri: edictorum oracula: optimatum decora: plebis columina. Patres populi: improborum vltores: innocentum vindices: pauperum propugnatores: depulsores, vexatoresque calumniæ: extinctores ciuilis latrocinij: repressores iniuriæ: custodes templorum atque tectorum: propugnacula foriaces æquitatis: aræ clementiæ, portus publicæ caritatis. Imperij nomophylaces, Hæc Iudicibus & Consiliarijs Principum signatè conueniunt.*

§. IVRISCONSVLTVS non sit pauper.] *Adamus Conzen lib. v. Polit. cap.* 29. *Pauperes nollem Iuri dare operam & caussas agere, quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix, & impulsrix est inopia, sordesq;. Vilis iustitiam vendit, cuius conditio vilis est. Carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longâ patientia quæsiuit, Pauperes aliqui boni fuerunt, & sunt etiam-num; sed communiter, qui diuitiarum, & honoris causa Iuri studuerunt, & longam famem, & siccas fauces adferunt ad pastum medullam exsugendam. Ditescere volunt, & citò ditescere. Interim Status sui dignitatem exaggerant, splēdidè vestiuntur, ne pauperes fuisse videantur: & cum ius nō suppetit, per iniuriam quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, sursum deorsum omnia vertunt, ipsamq; Rempublicam, & Principem suum venialem habent.*

§. MEDICI proximi Iurisperitis.] Christophorus Besoldus *Academiæ VVirtenbergicæ Professor primarius in dissertatione Iuridico-politica de Iure Academiarum cap. 3. pag.* 200. *Post Theologiam proximè, seu secundum locum obtinent Iure-consulti, ante Medicos, Id*

torum collaudabitur. Græci textus, qui nunc passim circumferuntur sic habent: τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ: *Honora Medicum ad necessitates honoribus eius:* id est: Honora Medicum antequam id necessitas morbi extorqueat: Ita sententiam illam exponunt, Rabbi Ben-Sira, & alij Hebræi. Qui iubent. Medicæ dari munera, honoremque impertiri, vt eorum memor, morbi tempore, te lubens promptus inuisat. Quare non desunt Viri graues ac docti, qui existimant, tantum Medicis honorem habendum, ea quoque præmia in Republica decernenda, vt ad illa nobiles quoque, magnatesque adspirent: & vt non minus ad capessendam Rempublicam, illiusque gubernacula tractanda aditus sit Machaoni, quam Demostheni: fore etiam consultum liberis ciuitatibus, si Medici in Senatum adsciscitantur. denique prudenter facturos, & incolumitati suæ prospecturos Reges & Principes, si Medicos in consilia publica adhibeant, modò viri boni, ac prudentes sint, quales non pauci inter Medicos reperiuntur. Siquidem eo honore fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde, cùm naturæ affectionumque sint gnari, crebrò ea suadere possunt, quæ prosunt, aut sanè ex vultibus oculisque indicare, quæ esse in rem communem, ac Principis vel Reipublicæ censeantur.

QVÆ & eius generis alia satis declarant, Medicorum capitibus optimè conuenire nobilem, & Honoris præcipui indicem Coronam, qualis in Militia fuit *Obsidionalis:* cuius materia erat *Gramen*, vt Scriptores antiqui tradunt. Et quidem conficiebatur ex gramine viridi decerpto ex eo loco, vbi obsessos seruasset aliquis. (*a*) Namque vt scribit cum Festo, Plinius (*b*) summũ apud antiquos signum fuit victoriæ, herbã victos porrigere: quod ea re significare viderentur, se terra & altrice ipsa humo, nec non humatione cedere. Addit Festus, sumptum id ex vita pastoritia: qui enim in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex illo solo, in quo certamẽ erat, decerptam herbam aduersario tradebant. Hinc *Herbam* dare significat, victum se fateri. Nonius quoque, Herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem *Corona obsidionalis* à materia sit dicta Graminea; tamen, vt Plinius testatur, non ex solo gramine fuit, sed herbis etiam quibuscũque, quæ, in periculi sede fuissent. Et sanè genus graminis est herba: est enim gramen herba vulgatissima, dicta à gradiendo, hoc est, progrediendo, siue serpendo: & Virgilius graminis herbam dixit in Bucolicis: ac Liuius libro 1. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit.* Non posset aptior excogitari ad coronandũ Medicum materia, quam *Herba*, quâ ille ita vtitur ad victoriam cõtra hostes suos vt omnia penè arma sua inde conficiat. Vnde *Herba* pro quolibet medicamento sumi potest. *Neque herba*, inquit Sapiens cap. XV. *Neque malagma sanauit eos*, quasi tunc nihil remedij naturalis superfuerit: quare sequitur: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* In de tam multa Medici, ac Historici naturales de herbarum viribus disserũt, nec immeritò, cùm Plinius; (*c*) Herba-

(*a*) *Fest v. Obsidionalis.* (*b*) *Plin. lib.* 22. *c.* 3. 4. 5. (*c*) *Plin. l.* XVIII. *c.* 1. *Hipp. epist. Matthiol, epist. dedic*

Herbarum contemplationem dicat immensam. Quam mirè deprædicat Hippocrates Medicorum summus scribens Cratenæ Herbario. Et etiamnum in benè constitutis Academijs, Medica facultas, præter Interpretem Aphorismorum, morborum, remediorumque Explanatorem, ac Anatomicum, solet habere Doctorem Herbarum, vt Patauij, Basileæ, Lugduni Batauorum, alibi. Talis, vt arbitror, fuit Salomon, qui, vt est libro III. Regum cap. 4. *Disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, qui egreditur de pariete.* Iure igitur addicimus Medico Coronam obsidionalem herbaceam, ad recentem beneficij accepti memoriam, è viridi gramine.

NOTÆ.

§. CORONA AVREA Militaris.] *Legend.* Iust. Lipsius *lib.* v. *de Milit. Dial.* 17.

§. EXIMIVS.] *Eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificium electi erant signati macula aut nota: sicut oues egregia, à grege lecta. Et quia id, quod à ceteris eligitur, & eximitur, nō vulgare esse solet, factū, est, vt* Eximiū *ponatur pro* Insigni. *Virg.* 4. *Geor.*

Quattuor eximios præstanti corpore tauros.

Eximius passim idem, quod excellens, egregius, præstans. Sumitur & in malam partem. Sic Cic. in Verr. vocat eximiam iniuriam.

§. TITVLI Iurisconsultorum.] *Sumuntur ab ipsorum officijs, & dicuntur: Curiæ prætorianæ capita ac Principes: Concilij Sanctioris penetralia veluti Corcula: Sceptri principalis ocelli: Consultationem dexteræ opifices: Iudiciorum Interpretes: quæstionum sequestri: edictorum oracula: optimatum decora: plebis columina. Patres populi: improborum vltores: innocentum vindices: pauperum propugnatores: depulsores, vexatoresque calumniæ: extinctores ciuilis latrocinij: repressores iniuriæ: custodes templorum atque tectorum: propugnacula foriaces æquitatis: aræ clementiæ, portus publicæ caritatis. Imperij nomophylaces. Hæc Iudicibus & Consiliarijs Principum signatè conueniunt.*

§. IVRISCONSVLTVS non sit pauper.] *Adamus Conzen lib. v. Polit. cap.* 29. *Pauperes nollem Iuri dare operam & caussas agere, quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix, & impulsrix est inopia, sordesq; . Vilis iustitiam vendit, cuius conditio vilis est. Carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longâ patientia quæsiuit. Pauperes aliqui boni fuerunt, & sunt etiam-num; sed communiter, qui diuitiarum, & honoris causa Iuri studuerunt, & longam famem, & siccas fauces adferunt ad partum medullam exsugendam. Ditescere volunt, & citò ditescere. Interim Status sui dignitatem exaggerant, splēdidè vestiuntur, ne pauperes fuisse videantur: & cum ius nō suppetit, per iniuriam quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, sursum deorsum omnia vertunt, ipsamq; Rempublicam, & Principem suum venialem habent.*

§. MEDICI proximi Iurisperitis.] Christophorus Besoldus *Academia VVirtenbergica Professor primarius in dissertatione Iuridico-politica de Iure Academiarum cap.* 3. *pag.* 200. *Post Theologiam proximè, seu secundum locum obtinent Iure-consulti, ante Medicos, Id*

torum collaudabitur. Græci textus, qui nunc passim circumferuntur sic habent: *τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ: Honora Medicum ad necessitates honoribus eius*: id est: Honora Medicum antequam id necessitas morbi extorqueat: Ita sententiam illam exponunt, Rabbi Ben-Sira, & alij Hebræi. Qui iubent. Medicæ dari munera, honoremque impertiri, vt eorum memor, morbi tempore, te lubens promptus inuisat. Quare non desunt Viri graues ac docti, qui existimant, tantum Medicis honorem habendum, ea quoque præmia in Republica decernenda, vt ad illa nobiles quoque, magnatesque adspirent: & vt non minus ad capessendam Rempublicam, illiusque gubernacula tractanda aditus sit Machaoni, quam Demostheni: fore etiam consultum liberis ciuitatibus, si Medici in Senatum adsciscitantur. denique prudenter facturos, & incolumitati suæ prospecturos Reges & Principes, si Medicos in consilia publica adhibeant, modò viri boni, ac prudentes sint, quales non pauci inter Medicos reperiuntur. Siquidem eo honore fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde, cùm naturæ affectionumque sint gnari, crebrò ea suadere possunt, quæ prosunt, aut sanè ex vultibus oculisque indicare, quæ esse in rem communem, ac Principis vel Reipublicæ censeantur.

QVÆ & eius generis aliá satis declarant, Medicorum capitibus optimè conuenire nobilem, & Honoris præcipui indicem Coronam, qualis in Militia fuit *Obsidionalis*: cuius materia erat *Gramen*, vt Scriptores antiqui tradunt. Et quidem conficiebatur ex gramine viridi decerpto ex eo loco, vbi obsessos seruasset aliquis. (*a*) Namque vt scribit cum Festo, Plinius (*b*) summũ apud antiquos signum fuit victoriæ, herbã victos porrigere: quod ea re significare viderentur, se terra & altrice ipsa humo, nec non humatione cedere. Addit Festus, sumptum id ex vita pastoritia: qui enim in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex illo solo, in quo certamẽ erat, decerptam herbam aduersario tradebant. Hinc *Herbam* dare significat, victum se fateri. Nonius quoque, Herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem *Corona obsidionalis* à materia sit dicta Graminea; tamen, vt Plinius testatur, non ex solo gramine fuit, sed herbis etiam quibuscũque, quæ, in periculi sede fuissent. Et sanè genus graminis est herba: est enim gramen herba vulgatissima, dicta à gradiendo, hoc est, progrediendo, siue serpendo: & Virgilius graminis herbam dixit in Bucolicis: ac Liuius libro 1. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit*. Non posset aptior excogitari ad coronandũ Medicum materia, quam *Herba*, quâ ille ita vtitur ad victoriam cõtra hostes suos vt omnia penè arma sua inde conficiat. Vnde *Herba* pro quolibet medicamento sumi potest. *Neque herba*, inquit Sapiens cap. xv. *Neque malagma sanauit eos*, quasi tunc nihil remedij naturalis superfuerit: quare sequitur: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*. Inde tam multa Medici, ac Historici naturales de herbarum viribus disserũt, nec immeritò, cùm Plinius; (*c*) Herba.

(*a*) *Fest v. Obsidionalis*. (b) *Plin. lib. 22. c. 3. 4. 5.* (*c*) *Plin. l. xviii. c. 1. Hipp. epist. Matthiol. epist. dedic.*

Herbarum contemplationem dicat immensam. Quam mirè deprædicat Hippocrates Medicorum summus scribens Cratenæ Herbario. Et etiamnum in benè constitutis Academijs, Medica facultas, præter Interpretem Aphorismorum, morborum, remediorumque Explanatorem, ac Anatomicum, solet habere Doctorem Herbarum, vt Patauij, Basileæ, Lugduni Batauorum, alibi. Talis, vt arbitror, fuit Salomon, qui, vt est libro III. Regum cap. 4. *Disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, qui egreditur de pariete.* Iure igitur addicimus Medico Coronam obsidionalem herbaceam, ad recentem beneficij accepti memoriam, è viridi gramine.

NOTÆ.

§. CORONA AVREA Militaris.] *Legend.* Iust. Lipsius *lib. v. de Milit. Dial.* 17.

§. EXIMIVS.] *Eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificium electi erant signati macula aut nota: sicut oues egregis, à grege lecta. Et quia id, quod à ceteris eligitur, & eximitur, nō vulgare esse solet, factū, est, vt* Eximiū *ponatur pro* Insigni. *Virg.* 4. *Geor.*

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Eximius passim idem, quod excellens, egregius, præstans. Sumitur & in malam partem. Sic Cic. in Verr. vocat eximiam iniuriam.

§. TITVLI Iurisconsultorum.] *Sumuntur ab ipsorum officijs, & dicuntur: Curia pratoriana capita ac Principes: Concilij Sanctioris penetralia veluti Corcula: Sceptri principalis ocelli: Consultationem dextera opifices: Iudiciorum Interpretes: quæstionum sequestri: edictorum oracula: optimatum decora: plebis columina. Patres populi: improborum vltores: innocentum vindices: pauperum propugnatores: depulsores, vexatoresque calumnia: extinctores ciuilis latrocinij: repressores iniuria: custodes templorum atque tectorum: propugnacula foriaces æquitatis: ara clementia, portus publica caritatis. Imperij nomophylaces, Hæc Iudicibus & Consiliarijs Principum signatè conueniunt.*

§. IVRISCONSVLTVS non sit pauper.] *Adamus Conzen lib. v. Polit. cap. 29. Pauperes nollem Iuri dare operam & caussas agere, quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix, & impultrix est inopia, sordesq;. Vilis iustitiam vendit, cuius conditio vilis est. Carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longâ patientia quæsiuit, Pauperes aliqui boni fuerunt, & sunt etiam-num; sed communiter, qui diuitiarum, & honoris causa Iuri studuerunt, & longam famem, & siccas fauces adferunt ad partium medullam exsugendam. Ditescere volunt, & citò ditescere. Interim Status sui dignitatem exaggerant, splēdidè vestiuntur, ne pauperes fuisse videantur: & cum ius nō suppetit, per iniuriam quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, sursum deorsum omnia vertunt, ipsamq; Rempublicam, & Principem suum venialem habent.*

§. MEDICI proximi Iurisperitis.] Christophorus Besoldus *Academia VVirtenbergica Professor primarius in dissertatione Iuridico-politica de Iure Academiarum cap. 3. pag.* 200. *Post Theologiam proximè, seu secundum locum obtinent Iure-consulti, ante Medicos, Id*

torum collaudabitur. Græci textus, qui nunc passim circumferuntur sic habent: *τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ: Honora Medicum ad necessitates honoribus eius:* id est: Honora Medicum antequam id necessitas morbi extorqueat. Ita sententiam illam exponunt, Rabbi Ben-Sira, & alij Hebræi. Qui iubent. Medicæ dari munera, honoremque impertiri, vt eorum memor, morbi tempore, te lubens promptus inuisat. Quare non desunt Viri graues ac docti, qui existimant, tantum Medicis honorem habendum, ea quoque præmia in Republica decernenda, vt ad illa nobiles quoque, magnatesque adspirent: & vt non minus ad capessendam Rempublicam, illiusque gubernacula tractanda aditus sit Machaoni, quam Demostheni: fore etiam consultum liberis ciuitatibus, si Medici in Senatum adsciscitantur. denique prudenter facturos, & incolumitati suæ prospecturos Reges & Principes, si Medicos in consilia publica adhibeant, modò viri boni, ac prudentes sint, quales non pauci inter Medicos reperiuntur. Siquidem eo honore fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde, cùm naturæ affectionumque sint gnari, crebrò ea suadere possunt, quæ prosunt, aut sanè ex vultibus oculisque indicare, quæ esse in rem communem, ac Principis vel Reipublicæ censeantur.

QVÆ & eius generis alia satis declarant, Medicorum capitibus optimè conuenire nobilem, & Honoris præcipui indicem Coronam, qualis in Militia fuit *Obsidionalis*: cuius materia erat *Gramen*, vt Scriptores antiqui tradunt. Et quidem conficiebatur ex gramine viridi decerpto ex eo loco, vbi obsessos seruasset aliquis. (*a*) Namque vt scribit cum Festo, Plinius (*b*) summū apud antiquos signum fuit victoriæ, herbā victos porrigere: quod ea re significare viderentur, se terra & altrice ipsa humo, nec non humatione cedere. Addit Festus, sumptum id ex vita pastoritia: qui enim in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex illo solo, in quo certamē erat, decerptam herbam aduersario tradebant. Hinc *Herbam* dare significat, victum se fateri. Nonius quoque, Herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem *Corona obsidionalis* à materia sit dicta Graminea; tamen, vt Plinius testatur, non ex solo gramine fuit, sed herbis etiam quibuscūque, quæ, in periculi sede fuissent. Et sanè genus graminis est herba: est enim gramen herba vulgatissima, dicta à gradiendo, hoc est, progrediendo, siue serpendo: & Virgilius graminis herbam dixit in Bucolicis: ac Liuius libro 1. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit.* Non posset aptior excogitari ad coronandū Medicum materia, quam *Herba*, quâ ille ita vtitur ad victoriam cōtra hostes suos vt omnia penè arma sua inde conficiat. Vnde *Herba* pro quolibet medicamento sumi potest. *Neque herba*, inquit Sapiens cap. XV. *Neque malagma sanauit eos*, quasi tunc nihil remedij naturalis superfuerit: quare sequitur: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Inde tam multa Medici, ac Historici naturales de herbarum viribus disserūt, nec immeritò, cùm Plinius; (*c*)

Herba-

(*a*) *Fest v. Obsidionalis.* (*b*) *Plin. lib. 22. c. 3. 4. 5.* (*c*) *Plin. l. XVIII. c. 1. Hipp. epist. Matthiol, epist. dedic.*

Herbarum contemplationem dicat immensam. Quam mirè deprædicat Hippocrates Medicorum summus scribens Cratenæ Herbario. Et etiamnum in benè constitutis Academijs, Medica facultas, præter Interpretem Aphorismorum, morborum, remediorumque Explanatorem, ac Anatomicum, solet habere Doctorem Herbarum, vt Patauij, Basileæ, Lugduni Batauorum, alibi. Talis, vt arbitror, fuit Salomon, qui, vt est libro III. Regum cap. 4. *Disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, qui egreditur de pariete.* Iure igitur addicimus Medico Coronam obsidionalem herbaceam, ad recentem beneficij accepti memoriam, è viridi gramine.

NOTÆ.

§. CORONA AVREA Militaris.] *Legend.* Iust. Lipsius *lib. v. de Milit. Dial.* 17.

§. EXIMIVS.] *Eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificium electi erant signati macula aut nota: sicut oues egregiæ, à grege lectæ. Et quia id, quod à ceteris eligitur, & eximitur, nō vulgare esse solet, factū, est, vt* Eximiū *ponatur pro* Insigni. *Virg. 4. Geor.*

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Eximius passim idem, quod excellens, egregius, præstans. Sumitur & in malam partem. Sic Cic. in Verr. vocat eximiam iniuriam.

§. TITVLI Iurisconsultorum.] *Sumuntur ab ipsorum officijs, & dicuntur: Curiæ prætorianæ capita ac Principes: Concilij Sanctioris penetralia veluti Corcula: Sceptri principalis ocelli: Consultationem dextera opifices: Iudiciorum Interpretes: quæstionum sequestri: edictorum oracula: optimatum decora: plebis columina. Patres populi: improborum vltores: innocentum vindices: pauperum propugnatores: depulsores, vexatoresque calumniæ: extinctores ciuilis latrocinij: repressores iniuriæ: custodes templorum atque tectorum: propugnacula foriaces æquitatis: ara clementiæ, portus publicæ caritatis. Imperij nomophylaces, Hæc Iudicibus & Consiliarijs Principum signatè conueniunt.*

§. IVRISCONSVLTVS non sit pauper.] *Adamus Conzan lib. v. Polit. cap. 29. Pauperes nollem Iuri dare operam & caussas agere, quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix, & impulsrix est inopia, sordesq;. Vilis iustitiam vendit, cuius conditio vilis est. Carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longâ patientia quæsiuit, Pauperes aliqui boni fuerunt, & sunt etiam-num; sed communiter, qui diuitiarum, & honoris causa Iuri studuerunt, & longam famem, & siccas fauces adferunt ad partium medullam exsugendam. Ditescere volunt, & citò ditescere. Interim Status sui dignitatem exaggerant, splēdidè vestiuntur, ne pauperes fuisse videantur: & cum ius nō suppetit, per iniuriam quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, sursum deorsum omnia vertunt, ipsamq; Rempublicam, & Principem suum venialem habent.*

§. MEDICI proximi Iurisperitis.] Christophorus Besoldus *Academia Virtenbergica Professor primarius in dissertatione Iuridico-politica de Iure Academiarum cap. 3. pag.* 200. *Post Theologiam proximè, seu secundum locum obtinent Iure-consulti, ante Medicos, Id*

torum collaudabitur. Græci textus, qui nunc passim circumferuntur sic habent: *τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ*: *Honora Medicum ad necessitates honoribus eius*: id est: Honora Medicum antequam id necessitas morbi extorqueat: Ita sententiam illam exponunt, Rabbi Ben-Sira, & alij Hebræi. Qui iubent. Medicæ dari munera, honoremque impertiri, vt eorum memor, morbi tempore, te lubens promptus inuisat. Quare non desunt Viri graues ac docti, qui existimant, tantum Medicis honorem habendum, ea quoque præmia in Republica decernenda, vt ad illa nobiles quoque, magnatesque adspirent: & vt non minus ad capessendam Rempublicam, illiusque gubernacula. tractanda aditus sit Machaoni, quam Demostheni: fore etiam consultum liberis ciuitatibus, si Medici in Senatum adsciscitantur. denique prudenter facturos, & incolumitati suæ prospecturos Reges & Principes, si Medicos in consilia publica adhibeant, modò viri boni, ac prudentes sint, quales non pauci inter Medicos reperiuntur. Siquidem eo honore fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde, cùm naturæ affectionumque sint gnari, crebrò ea suadere possunt, quæ prosunt, aut sanè ex vultibus oculisque indicare, quæ esse in rem communem, ac Principis vel Reipublicæ censeantur.

QVÆ & eius generis alia satis declarant, Medicorum capitibus optimè conuenire nobilem, & Honoris præcipui indicem Coronam, qualis in Militia fuit *Obsidionalis*: cuius materia erat *Gramen*, vt Scriptores antiqui tradunt. Et quidem conficiebatur ex gramine viridi decerpto ex eo loco, vbi obsessos seruasset aliquis. (*a*) Namque vt scribit cum Festo, Plinius (*b*) summũ apud antiquos signum fuit victoriæ, herbã victos porrigere: quod ea re significare viderentur, se terra & altrice ipsa humo, nec non humatione cedere. Addit Festus, sumptum id ex vita pastoritia: qui enim in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex illo solo, in quo certamẽ erat, decerptam herbam aduersario tradebant. Hinc *Herbam* dare significat, victum se fateri. Nonius quoque, Herbam à veteribus palmam vel victoriam appellatam scribit. Quamuis autem *Corona obsidionalis* à materia sit dicta Graminea; tamen, vt Plinius testatur, non ex solo gramine fuit, sed herbis etiam quibuscũque, quæ, in periculi sede fuissent. Et sanè genus graminis est herba: est enim gramen herba vulgatissima, dicta à gradiendo, hoc est, progrediendo, siue serpendo: & Virgilius graminis herbam dixit in Bucolicis: ac Liuius libro 1. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit.* Non posset aptior excogitari ad coronandũ Medicum materia, quam *Herba*, quã ille ita vtitur ad victoriam cõtra hostes suos vt omnia penè arma sua inde conficiat. Vnde *Herba* pro quolibet medicamento sumi potest. *Neque herba*, inquit Sapiens cap. xv. *Neque malagma sanauit eos*, quasi tunc nihil remedij naturalis superfuerit: quare sequitur: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* In de tam multa Medici, ac Historici naturales de herbarum viribus disserũt, nec immeritò, cùm Plinius; (*c*)

3 Herba-

(a) Fest v. Obsidionalis. (b) *Plin. lib. 22. c. 3. 4. 5.* (c) *Plin, l, XVIII. c. 1. Hipp. epist. Matthiol, epist. dedic.*

Herbarum contemplationem dicat immensam. Quam mirè deprædicat Hippocrates Medicorum summus scribens Cratenæ Herbario. Et etiamnum in benè constitutis Academijs, Medica facultas, præter Interpretem Aphorismorum, morborum, remediorumque Explanatorem, ac Anatomicum, solet habere Doctorem Herbarum, vt Patauij, Basileæ, Lugduni Batauorum, alibi. Talis, vt arbitror, fuit Salomon, qui, vt est libro III. Regum cap. 4. *Disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, qui egreditur de pariete.* Iure igitur addicimus Medico Coronam obsidionalem herbaceam, ad recentem beneficij accepti memoriam, è viridi gramine.

NOTÆ.

§. CORONA AVREA Militaris.] *Legend.* Iust. Lipsius *lib. v. de Milit. Dial.* 17.

§. EXIMIVS.] *Eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificium electi erant signati macula aut nota: sicut oues egregiæ, à grege lectæ. Et quia id, quod à ceteris eligitur, & eximitur, nō vulgare esse solet, factū, est,* vt Eximiū *ponatur pro* Insigni. *Virg. 4. Geor.*

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Eximius passim idem, quod excellens, egregius, præstans. Sumitur & in malam partem. Sic Cic. in Verr. vocat eximiam iniuriam.

§. TITVLI Iurisconsultorum.] *Sumuntur ab ipsorum officijs, & dicuntur: Curiæ prætorianæ capita ac Principes: Concilij Sanctioris penetralia veluti Corcula: Sceptri principalis ocelli: Consultationem dexteræ opifices: Iudiciorum Interpretes: quæstionum sequestri: edictorum oracula: optimatum decora: plebis columina. Patres populi: improborum vltores: innocentum vindices: pauperum propugnatores: depulsores, vexatorésque calumniæ: extinctores ciuilis latrocinij: repressores iniuriæ: custodes templorum atque tectorum: propugnacula foriaces æquitatis: aræ clementiæ, portus publicæ caritatis. Imperij nomophylaces, Hæc Iudicibus & Consiliarijs Principum signatè conueniunt.*

§. IVRISCONSVLTVS non sit pauper.] *Adamus Conzen lib. v. Polit. cap.* 29. *Pauperes nollem Iuri dare operam & caussas agere, quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix, & impulstrix est inopia, sordesq. Vilis iustitiam vendit, cuius conditio vilis est. Carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longâ patientia quæsiuit, Pauperes aliqui boni fuerunt, & sunt etiam-num; sed communiter, qui diuitiarum, & honoris causa Iuri studuerunt, & longam famem, & siccas fauces adferunt ad partium medullam exsugendam. Ditescere volunt, & citò ditescere. Interim Status sui dignitatem exaggerant, splēdidè vestiuntur, ne pauperes fuisse videantur: & cum ius nō suppetit, per iniuriam quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, sursum deorsum omnia vertunt, ipsamq. Rempublicam, & Principem suum venialem habent.*

§. MEDICI proximi Iurisperitis.] Christophorus Besoldus *Academiæ VVirtenbergicæ Professor primarius in dissertatione Iuridico-politica de Iure Academiarum cap.* 3. *pag.* 200. *Post Theologiam proximè, seu secundum locum obtinent Iure-consulti, ante Medicos, Id*

an iure fiat, quæstio vetus est. Videatur Lipſius *Orat.* VIII. Rodericus à Caſtro *in Medico Politico lib.* 1. *c.* 12. Alfonſus Moditius, §. *Prudentum, quæſt.* 12. Limnius *diſput. de Academ.* 2. *Theſi* 10. Hilligerus *ad Donel. lib.* 3. *comm. cap.* 9 *litt.* N, Ioann. Gorar. *Centur. qq. Polit. decade* 9. *q.* 6. Benius *de Priuileg.* 3. *c. lib.* 3. *cap.* 55. Iacob. Martini *Centur.* 9. *qq. variar. diſput.* 2. *q.* 10. Ioan. Baptiſt. de Plocis, *&* Rogonus Comes *Conc. Matrimon. tit.* 1. *Conc.* 87. *Ego neutri arti aliquid detractum volo. Sentio cum præſtantiſſimo Medicó* Franciſco Valeſio. *Conſulatur etiam* Maximilianus Sandæus, *in Iuris-conſulto Chriſtiano, in Theologia Medica, & in Aphoriſmis Medicis.*

COMMENTATIO III.

CORONÆ MILITARES.

Eleuant Militis Chriſtiani mentem, ad conſiderationem Coronarum cæleſtium.

MEMBRVM I.

ÆSTIMATIO HONORVM ACADEMICORVM.

Velut Coronarum Militarium.

HIc iã opportunè ſubſiſtamus aliquantiſper, ne ſine fructu ſpirituali ſit iſthæc *Coronarum militarium*, ceu *Strenarum* diſtributio, & ad alterius CORONAE, quàm maximè ſpectamus, conſiderationem, animum eleuemus. Singuli, quos nominauimus, Theologus, Iuriſperitus, Medicus Coronam accipiunt, quilibet in ſuâ Diſciplina. Ea eſt honoratus *Titulus*, Licentiati aut Doctoris, qui non niſi Coronando Candidatum conferri cõſueuit. Nam, Coronæ inſtar, capiti imponitur à Promotore, ſiue pileus quadratus, floccatusque, ſiue biretum doctorale. Quàm ardentibus ad id votis aſpirant aliqui! quantis laboribus *Coronam* illam aucupantur? quantis impenſis ſumptibusque emunt? quot annorum ad gymnaſium Academicum acceſſione quotidianâ, auditione horaria, frequentatione aſſidua, ſcriptitatione perquam moleſta, diſputatione contentioſa, omniſque generis Scholaſtica exercitatione, vix tamen ad illam peruenitur, poſt tot prenſationes, tentamina & examina. Certè, ex tribus millibus ſtudioſorum Scholarium, qui in hac Vniuerſitate litteris dant operam, vix deni poſt multa luſtra ad Doctoratum perueniunt. Quanti poſtremò æſtimatur, ſalutari: Eximie Magiſter Noſter: Clariſſime, Conſultiſſimeque Domine Doctor, Expertiſſime Medicinæ Profeſſor?

MEMBRVM II.
CORONARVM ACADEMICARVM
Titulorumque honorariorum Inanitas & Leuitas.

ET quid, quæso vos, hoc est? quid est esse Licentiatum, Doctorem, Professorem, si ad iudicij Christiani, immò, prudentiæ politicæ libellam exigatur? si inspiciatur quilibet Titulus ad radium Sapientiæ minimè fallacis? si pensitetur, libreturque pondere, non fori, sed poli; non gymnasij, sed sanctuarij. Quod dat Academica inauguratio est *Titulus honorarius* quem ego comparare soleo cum *fumo, vapore, glumâ, vmbrâ*, immò, *vmbræ somnio*. Est quidpiam tam tenue, tam exile, tamque euanidum, ac propè nihil, vt nondum satis constet, an Res vocari debeat, aut illius fucus. Non esse Ens aliquod reale, in confesso est: esse *Ens rationis* quidam asserunt: ego ne hoc quidem, nisi alia interueniat mentis fictio; sed reor meram esse denominationem extrinsecam, quâ nihil est magis vmbratile.

Est quidpiam tantæ leuitatis, vt etiamsi decem millia istiusmodi atomorum homini incumbāt, nihil sentiatur. Quære à Doctore aliquo, an ipso etiam inaugurationis die senserit sibi accessisse quidpiam, quod se grauiorem fecerit? Negabit strenuè, nisi sensum eo die omnem in decumanis falerni poculis reliquerit. At verò, si vel puluisculus tibi adsatur, eris quam anteà fueris grauior. Immò grauat ita vel arenula vnica, vt si in terram cadat, vel pulex saltiter, totum terræ globum librari aliter necesse sit, vt demonstrant Mathematici; potest puluisculorum accessione homo obrui: quod non accideret millenorum aliquot titulorum aggestu.

ET hoc tamen est, quod tantoperè optant parentes in filijs, quod tanta ambitione quæritur à filijs, quod tantis impensis mercantur honorum auidi: in quo tantum esse momenti ad felicitatem nostram existimant.

O Vanas hominum mentes! ô pectora cæca!
O curuas animas! ô corda ficulnea!

Ergo non est æstimanda Corona Doctoralis, qualibet Aurea, Ciuica, Obsidionali preciosior, quam, vt munus sapientiæ offers auspicalibus istis anni diebus, tanquam Strenam dignam in Militia Christiana benè meritis? Omninò æstimandam censeo; sed non nisi vt est signum ex instituto.

MEMBRVM III.
CORONÆ. TITVLI. HONORES ACEDEMICI
Signa sunt ex Instituto.

HABET *Signi* rationem *Titulus honorarius* Academicorum trifariam, *Primùm*, rei præteritæ. *Secundò*, præsentis. *Tertiò*, futuræ. Præteritæ quidem, quia indi-

indicat Coronatum, constitutum à Iure, & cuiuslibet Disciplinæ legibus, certo tempore, diligenter Artis illius aut scientiæ præceptis addiscendis, & exercendis operam dedisse. Nec enim Doctores vt fungi in æstate nascuntur vna nocte. Quare prudentissimè à Maioribus nostris est sancitum, quod in Vniuersitatibus ijs, in quibus viget statutorum vigor, seruetur seuerè, vt nemo Titulo, & suprema laurea donetur, in vllâ Facultate, nisi tempus suum in ea, tanquam discipulus addiscendo expleuerit. Et quidem *Iuris Ciuilis* studium quinquennio perfici posse censuit Iustinianus Imperator. *Iuris Canonici* septennio Canones. *Theologia* quadriennium exigit ad supremum gradum. *Medicina* alicubi triennium: alibi quadriennium. Est etiam *Corona* Doctoralis signum rei præsentis: nimirum, eminentis doctrinæ, excellentis peritiæ, non vulgaris scientiæ, quam nisi habeat, qui Titulo donatur, fallitur Respublica, & grauissima damna prouincijs, regnis, & Imperio inferuntur. Tum ab imperitis Theologis, qui hæresibus Ecclesiam: tum ab indoctis Iuriconsultis, qui iniustitia ac latrocinijs Rempublicam: tum ab ignaris Medicis, qui cadaueribus cæmiteria, ac templa ossibus mortuorum replere solent: dum quod non didicerũt in Scholis, discere volunt periculo ægrorum, & experimenta per mortes, non vilium solùm, sed illustrium quoque personarum, agere dicuntur, ac si cum titulo Academico, quem nescio vbi aliquot aureis emere dicuntur, ius publicum trucidandi accepisset ab ijs, de quibus spargitur (id tamen ego falsum reor) quod vsurpent, tanquam paræmiam; Accipimus pro pecunia, & epomide pecuniam, & pecudes epomidatas remittimus in Arabiam, certè, eiusmodi grege non felicem, quamuis aurei essent velleris.

Hoc ne fiat, prouidè à summis Pontificibus, ac Imperatoribus est decretũ, vt non nisi post rigorosa examina, coronetur in vllâ Facultate Candidati. Quod quidem ita Examinatores adstringit, vt peccatum mortale sit, admittere, non tantùm ad Doctoratum; sed etiam ad Magisterium Philosophicum, qui eo gradu censetur indignus, ob grauissima quæ inde consequuntur in Rempublicam tum Ciuilem, tum Ecclesiasticam incommoda ac detrimenta, quæ sunt grauissima: Denique, quod nostræ potissimùm est considerationis, est *Signum prognosticon* alterius *Coronæ* legitimè certanti conferendæ. Ad quam omnibus Academicis est aspirandũ, quæ summè est æstimanda, quæ rebus omnibus terrenis præferenda. Hanc nisi consequantur, quæ nulli indigno datur, quamuis Militares Coronas omnes circumferret, quamuis vniuersis Academicis esset conspicuus, cunctarum Facultatum Doctor, quamuis argenteis, aureis, gemmeis exornaretur, esset in omne æuum egentissimus, & inhonoratissimus. Hac vna si coronetur, nullam aliam expetet. Præ hac vnâ igitur vilipendẽda est *Corona Aurea* Theologorum, *Quercea* Iurisperitorum, *Herbacea* Medicorum. Huic vni Coronæ inhiandum, hæc ambienda, hæc effuso omni, si sit necesse, patrimonio, & non addiscendis mille tantũ Coronatis, quibus alicubi Doctoratus constat, emenda, vel redimenda.

MEM-

MEMBRVM IV.

CORONA GLORIÆ, ET AVREOLA.

QVÆNAM est ista? clarissimè, GLORIA COELESTIS, quæ idcirco in Diuinis Litteris dicitur *Corona Gloriæ.* Paulus Apostolus eandem vocat *Coronam Iustitiæ*,(*a*) id est, vt exponit S. Anselmus, quam iustè quis meretur, quamque iusta Iudicis sententia merenti adiudicat. Vel, vt interpretatur S. Chrysostomus, quæ Iustitiæ, id est, virtuti illi peculiari est debita: sua enim cuique virtuti respondet *Corona.* Nam vt eleganter disserit S. Augustinus (*b*) *Floribus eius* (Ecclesiæ Triumphantis) *nec rosæ, nec lilia desunt.* Certent nunc, Carissimi, singuli ad vtrosque honores amplissimas accipere dignitatum Coronas, vel de Virginitate Candidas, vel de Passione Purpureas, vel de Doctrina LAVREAS. Vbi insinuat *Coronas* tres esse nobilissimas in Ecclesia Triumphante: Vnam, quæ debeatur Virginibus; alteram, quæ Martyribus; tertiam quæ Doctoribus. Hæ à Theologis Scholasticis vocantur AVREOLÆ, apud quos est illustris *Aureola Doctoralis*, quâ in cælis insigniuntur sapientia prædi ti singulari, ob victoriam qua non solum à se, sed etiam à cordibus aliorum expellunt hostem, nimirum, erroris proseminatorem Cacodæmonem, docẽdo veritatem fidei ac iustitiæ. Quo spectãt illa Danielis XII. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi Stellæ in perpetuas æternitates.* O Coronam splendidissimam! Quæ adiungitur & superponitur illi *Coronæ*, quæ est *Gloria Essentialis*, vt loquuntur Scholastici, & omnes alias Coronas eminenter continet, ac cunctis est preciosior, quia est bonorum cumulus. De qua S. Augustinus præclarè: *Omnia dici possunt de illa ineffabili fruitione Veritatis, & tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid dignè dici potest. Nam & Lux est illuminatorum, Requies exercitatorum, & Patria redeuntium, & Esca indigentium, & CORONA VINCENTIVM; & quæcumque bona tẽporalia & trãseuntia per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in Creatore omnium simul inuentura est pietas fidelium.*

***

MEMBRVM V.

CORONA TRIVMPHALIS

Militum Christianorum Gemmea duodecim Gemmis splendidissima.

PORRO, *Æterna Felicitas*, siue *Gloria*, dicitur CORONA multis de causis, quas studiosè collegerunt Sacræ-Scripturæ Interpretes. Imprimis autem, quoniam datur certantibus, ac vincentibus, quemadmodum olim athletis luctantibusque, & in stadio aut agone Olympico contendentibus. In qua explicanda ver-

(*a*) 2. *Timoth.* 4. (*b*) *Serm. XXXVI, de sanctis.*

versatur egregiè S. Augustinus in Libro de Agone Christiano, quem ita orditur: CORONA *Victoria non promittitur nisi certantibus. In Diuinis autem Scripturis assiduè inuenimus promitti nobis Coronã si vicerimus.* In huius rei figuram, ex DEI mandato, Hebræi per acies & turmas armati processerunt in terram promissam. Quamdiu in hoc mundo agimus, tendimus in patriam nobis promissã, sed, vt in ea coronemur, necesse est vt per hostes armati procedamus, de iisque reportemus victoriam. Deinde, *Gloria cælestis*, seu fælicitas patriæ, aut beatitudo, est status omnium bonorum aggregatione perfectus: *Corona* autẽ, quæ rotunda est, vel ipsa figurâ significat perfectionem ac cõplexum bonorum omnium, & gaudiorum: simulque interminabilem ac perpetuã, quod ad rationem beatitudinis spectat, debet enim carere fine omni instar circuli & Coronæ. Huc spectat Hebræorũ loquendi modus, qui *Coronare* aliquẽ se dicunt, cùm eum bonorum vbertate & affluentiâ cingunt. *Gloria & honore coronasti eũ* dicebat Psalmographus, loquẽs de DEO, & cum DEO hominem bonorũ copiâ vndique circumdante. Eorundem phrasi, *Corona* copiã affluentiamque significat, vt Psalmo LXIV. *Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ.* Vbi, *Coronam anni* Vates appellat, vbertatem florum, fructuum, herbarum, segetum, quibus velut Coronis coronatur annus benignitatis, nimirum is, quem DEVS benignitate suâ facit fertilem: vt satis indicat, quod sequitur: *Et campi tui replebuntur vbertate.* Sic psalmo V. *Domine, vt scuto bonæ voluntatis Coronasti nos*, hoc est, bonæ voluntatẽ, & beneuolentia, velut scuto nos circumdas, munis, protegis. Item psalmo CIII. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Tam misericors est erga te DEVS, vt miserationibus, quasi *Corona*, te circumcingat, & constringat.

DENIQVE, *Coronam* vocare solemus rem eximiam, excellentem, preciosam. Quid autem omnibus istis nominibus magis commendari potest, quàm Gloria cælestis? Corona Coronis omnibus pretiosior, de qua Psaltes: (a) *Posuisti in capite eius* Coronam *de lapide pretioso.* Ergo dicis, est *Corona* ex gemmis? Ita isto versiculo insinuatur, in quo licet sit singulare, *lapis*, tamen plurale, immò, vniuersaliter lapis omnis pretiosus intelligitur. Signatè autẽ, spirituali intellectu, *Gemmæ* XII. Coronæ istius, omnes speciosæ, fulgidæ, & precio inæstimabiles, ex Diuinis paginis exprimi possunt. *Prima* est Immortalitas, cuius appendix est Sanitas absque ægritudine. Isaiæ XXV. *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.* Et I. ad Corinthios XV. *Absorpta est Mors in victoria*; id est, deuicta est Mors, proscripta Mors, interemptrix omnium interempta Mors. *Secunda*, Plenitudo sine defectu Isaiæ XXV. *Non esurient, neque sitient amplius. Tertia*, Refectio sine fastidio. Ecclesiastici XXIV. *Qui edent me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient:* quia ablato eo quod cruciat in spe, manebit voluptas, quæ completur in re. *Quarta*, Sciẽtia sine ignorantia. I. ad Corinth. XIII. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Facialis illa cognitio, vt errorem, ita ignorantiã omnem penitus tollit. *Quinta*, Gaudium absque tristitiâ. Psalmo XXXV. *Torren-*

(a) *Psal. XX.*

Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrens ille ita animam, omnesque illius facultates obruet, vt nullus relinquatur locus mæstitudinis. *Sexta*, Pax sine perturbatione Psal. cxlvii. *Qui posuit fines tuos pacem.* Ex pacem exsuperantem omnem sensum, ac tollentem bellum, conflictū, tumultum. *Septima*, Securitas sine timore Psal. xc. *Non timebis à timore nocturno, à Sagitta volante de die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano.* Optima inductio: non timebis hostem aut nocturnum, aut diurnum: aut manifestum, aut clancularium. Ergo plena tibi erit securitas. *Octaua*, Adimpletio omniū desideriorū. Psal. ciii. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Et hoc requirit status bonorum omnium aggregatione perfectus. *Nona*, Lætitia de Iustitia vindicatiua DEI, ac malorum iustissima pœna, Psal. LVII. *Lætabitur Iustus, cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Meritò, cum toties læsus nunquam vindictam sumpserit ipse, sed semper DEO transcripserit. *Decima*, Gaudium de Congregatione ac Societate iustorum. Cuius figura illustris fuit conuentus fratrum Iosephi Patriarchæ, cum quo gaudentes epulati fuerunt Genesis xliii. *Vndecima*, Gaudium de consideratione bonorum, quæ quilibet fecit in vitâ mortali. Ad quod facit illud Apocalypsis xv. *Opera illorum sequuntur illos*: tùm in præmio essentiali; tum in accidentali. *Duodecima*, Gaudium de consideratione malorum, à quibus DEVS quemlibet Beatum liberauit aut præseruauit. Psal. LXXXVIII. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

* * *

MEMBRVM VI.

CORONA TRIVMPHALIS

Militum Christianorum Florea, duodecim Floribus amænissima.

SI iuuat considerare *Coronam Gloriæ*, quæ est *Triumphalis*, post peractam Militiam terrestrem, velut *Floridam*, concipe *Flores* xii. ex quibus aut conficitur, aut quibus abundat, & ornatur. Conspiciuntur illi in areolâ quadam Paradisi cælestis, quæ *Flores* producit, qui simul sūt *fructus bonorum*, & repræsentant proprietates seu conditiones præcipuas Gaudij Beatorum. *Primus* Flos est Vitalitas. Est enim *Gaudiū vitale*: nempe dulcedo vitalis, suauitas vitalis, lætitia ac voluptas vitalis, cuius principium est vitale; nempe Cor, quo significatur animę pars principalis ac suprema, aut tota anima cū omnibus potentijs. *Dedisti* inquit Beatus quilibet, *lætitiam in corde meo*, (a) non in carne & sensu, nisi per redundantiā. Vnde Gaudiū Beati appellari potest *Cordiale*, internū, intellectiuum, rationale. *Secundus*, Puritas, seu Sinceritas, sine vlla mixtione vllius tristitiæ. *Non habet amaritudinem conuersatio* illius

F

(a) Psal. iv.

illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & Gaudium (a) nempe, merum, purum, putum. In quo risus dolore non miscetur. *Tertius*, Perfectio, ac Plenitudo. Est enim Beatorum Gaudium perfectum ac plenū. *Petite & accipietis*, inquiebat Christus Apostolis ad Beatitudinem destinatis, *vt Gaudium vestrum sit plenum* Ioan. xvi. Ad quam Plenitudinem duo requiruntur ex mente Doctoris Angelici. (b) Vnum vt res amata & desiderata sit sufficiens amanti: Alterum, vt adsit perfecta fruitio rei amatæ, quæ de Deo sufficientissimo sibi ac suis, habetur in alterâ vita, vbi cum summo Amabili est etiam summa vnio, quæ est *vnio fruitionis* intimę. *Quartus*, Indefectibilitas. Est enim inamissibile Gaudium, quod nemo tollet à nobis. Infallibilis est Christi promissio. *Iterum videbo Vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ioan. xvi. *Quintus*, Firmitas atque Stabilitas. Fundatur enim in Deo amato, clare viso, immobiliter possesso, tanquam super firmam petram. *Profana* Mundanorum *gaudia*, sunt, quemadmodum disserit Philo Hebræus, *somnijs simillima: veniunt, abeunt: occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur: euolant, veluti somnum euolans quod non inuenitur, & transeunt sicut visio nocturna.* Quid mirum? *Quod fundatur in re mutabili, mutari necesse est, re mutatâ.* At Devs immutabilis Gaudium generat stabile atque immutabile. *Sextus*. Continuatio. Est Gaudium continuum, nunquam interruptum aut vnquam interrumpendum. Vt enim Devs est in se summum bonum ita est semper, & necessariè, si videatur, amabilis, atque ideò delectabilis, proindeque obiectum continuæ lætitiæ, & continui gaudij. *Septimus*, Saturatio. Satiat Gaudium Beati. Quem *totius Mundi copia non satiat, Diuinæ dulcedinis gutta plenè inebriat, inquit Richardus victorinus. Satiabor cum apparuerit Gloria tua*, aiebat spe plenus Rex Dauid. (c) De fructu operum suorum satiabitur in altera vita Beatus, ex promissione Dei. (d) *Octauus*, Totalitas. Totum afficit Beatum cæleste Gaudium, & nihil relinquit vacuum: Animam, & omnes eius facultates occupat, tum etiam per redundantiam in corpus effunditur: *Cor meum & Caro mea exultauerunt in* Devm *meum* cantabit quilibet Sanctorum post felicem anastasim. Quando sicut ferrum ignitum omni sui parte continet ignem, sic in se Cælites habebunt sentientque voluptatem & lætitiam per omnes partes diffusam. *Nonus*, Participatio Gaudij Diuini. Vt enim Gaudium Dei non est de alio, quàm de Deo, haud sequus Gaudium Beati, quod eo est perfectius, quo magis ad illud cuius est participatio accedit. *Decimus*, Ineffabilitas, seu Inenarrabilitas. Si enim nunc Iusti credentes exultant lætitia inenarrabili, quid facient, quando eum videbunt facie ad faciem, eoque, quem amant summè, perfruentur? Iesvm Christum *cùm non videntes diligitis*, inquit Petrus Apostolus (e) *in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili.* Est inenarrabile Gaudium Beatorum, quod nulla satis lingua vel Angelorum vel hominum exprimere potest. *Vndecimus*. Glorifica-

(a) Sap. viii. (b) S. Thomas lectione vi. cap. s. (c) Ps. xvi. 15. (d) Ps. cxi. 3. (e) Epistola sua prima.

rificatio. Exultabitis, inquit idem Apostolus, *lætitia inenarrabili & glorificata.* Gaudium vestrum erit non solum ineffabile, sed etiam gloriosum. Non erit Gaudium vile, plebeium, abiectum, sed preciosum, nobile, quod gloriosos tantum afficit: cùm sit Gaudium Domini. Audiet enim quilibet dum ad illud admittetur: *Intra in gaudium Domini tui*, (a) Matthæi XXV. *Duodecimus.* Immarcessibilitas, quæ propria ad Coronam floream refertur, in qua si flores nunquam putrefiant (b) nec corrumpantur, sed sint semper æquè molles, colorati, nitidi, odori, flagrantes, dicitur immarcessibilis. TALIS est CORONA *Triumphalis* Militum Christi: quam Petrus Apostolus vocat *Hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam*, vel *incontaminabilem*, hoc enim significat Græcum ἀμίαντον, & immarcessibilem ἀμάραντον, quæ nequit contaminari vnquam, aut marcescere. Vnde S. Augustinus (c) legit *florentem*. Agnoscebat scilicet ingeniosus & eruditus Doctor metaphoram desumptam à floribus, folijs, & fructibus, qui postquam maturuerunt, & planè effloruerunt, marcescunt illicò, & flaccescunt, & putrescunt. *Flos egreditur & conteritur* Iob. XIV. Cerne rosam, quanta est in ea dum exoritur fragrantia, suauitas, teneritas, mollities? sed mox efflorescit, marcessit, concidit, interit. Vnicus reliquis oppositus *Flos* celebratur, cui nomen *Amarantus*, ab immortalitate, quia non marcescit. De eo Plinius (d) *Amaranto non dubiè vincimus: mirum in eo*, gaudere decerpi, & lætius renasci. *Prouenit Augusto mense: durat in autumnum: mirum etiam, postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hibernas Coronas facit.* Plinij fidem dubiam facit Clemens Alexandrinus, qui (e) exertè adfirmat, *Amarantum*, florem immarcessibilem in Paradisi cælestis areolis solummodò prouenire, ut ex eo conficiatur *Corona florea* Militum Christianorum, post plenam in campo mortalitatis victoriam, *Pulchra*, inquit ille, *Amaranti Corona illi reposita est qui rectè se gesserit. Hunc florem terra ferre non potest: Cælum solummodò eum ferre potest.* Quare Doctoris Alexandrini sensu, Petri hæc erit sententia: Christiani, pugnate fortiter, vt *Coronam* accipiatis *floream* ex meris Amarantis, qualem nullus in terris Imperator militi suo elargitus est quia Amarantum, florem immarcessibilem nulla tellus gignit. Verè, *Corona Militaris*, quæ Militiæ Christianæ Heroes manet, est *Amarantina*, immortalis, quia immarcessibilis, siue substantiam spectes, siue qualitatem, siue speciem & voluptatem: semper erit rutila, blanda, læta; semper pulchra odorata, candida & rubicunda, semper eodem vigore, decore, nitore quia eodem flore. Clarius & simplicius, Sanctorum in cælis felicitas, quæ est ipsorum *Corona*, semper erit, ac si primò inciperet recens, semper eodem modo florens ac virens; & post seculorum aliquot myriadas tantæ ad oblectandum iucunditatis, quantæ fuit primo beatitudinis momento, quia est quaquauersum constans, immutabilis, atque immarcessibilis, simulque infinita, vt pelagus gaudiorum immensum cui Beati sunt immersi. Huc spectat D. Augustini medi-

F 2

(a) *Matt. XXV. 21.* (b) *Petri 1. 4* (c) *lib. de peccat. mer. cap. 27.* (d) *lib. XXI. cap. 8.*
(e) *lib. 2. c. 8.*

meditatiuncula versiculis illigata ad declarandam immarcessibilitatem florum, omniumque deliciarum patriæ cælestis.

Hiems horrens, æstas torrens illic nunquam saeviunt,
Flos perpetuus rosarum, ver agit perpetuum.
Candent Lilia, rubescit crocus, sudat balsamum
Virent prata, vernant sata, riui mellis influunt.
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

MEMBRVM VII.

CORONA VITÆ

Triumphalis est Militum Christianorum.

VOCATVR Corona vitæ Apocalypsis secundo, vbi Imperator noster sic Militem suum alloquitur: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi* CORONAM VITAE. Cuius denominationis illa imprimis potest esse ratio, quia est signum, vitæ mortalis, ob amorem honoremque Christi despectæ, quod proprium est Militis Christiani, cui vilis debet esse vita, ac contemnenda, si aliter honor Imperatoris in tuto esse nequit. Deinde, quod sit signum vitæ mortalis feliciter terminatæ: feliciter autem terminatur, quæ ob Christi honorem promptè ponitur. Præterea, quod sit signum vitæ immortalis, quæ summa votorum Militum Christianorum est, adeptæ. Adhæc, quod indicet commutationem esse factam vitæ mortalis in immortalem, corruptibilis in incorruptam, temporaneæ in æternam. Præclarè Ioachimus Abbas. CORONA VITAE *promittitur, quia ij, qui donant vitam* DEO *cum triumpho pretiosa mortis, perueniunt ad veram vitam: quoniam, vt eam seruare possent in regno, eam in exilio perdiderunt, iuxta illud Ioannis XII. Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.* Dicitur etiam *Corona Vitæ*, vt significetur, quod semper viuent & virebunt *flores*, ex quibus *Corona* cōtexitur. Quo respiciebat Petrus Apostolus denominādo *Coronam immarcessibilem*, & Paulus incorruptam (a) Quā eandem ob caussam, Status Beatorum comparatur verno tempori, quo & viuunt, & lætantur, & poëtica phrasi, ridēt omnia: dum scilicet campi genere omni herbarum & florum vestiuntur, & arbores in gemmas prorumpunt, ideoque cantillant, Colonus & hortulanus: *Iam hiems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt*, Canticorum II.

ADDE, quod, cùm nomen, VITA, denotet complexum quendam bonorum omnium, quæ in vita aut viuente sunt vel esse possunt, delicias, voluptates, gloriam, honorem, ac sexcenta alia, quæ vel ex vita emanant, vel illam comitantur, rectè felicitas vitalis Beati indigitatur CORONA VITAE, quippe cùm sit scaturigo omnium iucunditatum, deliciarum, gaudiorum & desiderabilium ab vllo viuente intellectuali: hæc enim, quicquid tandem excogitari potest, quod boni appellationē meretur, profundit *Visio* DEI *beatifica*, illique adhærens & necessariò coniunctus *Amor* eiusdem ordinis. Quæ cùm nō ignorarēt generosi Christi (b) Milites, tā fuerūt prodigi sāguinis, & vitæ mortalis, vt viderētur beneficio affici cū per tyran-

(a) I. Cor. IX. 25. (b) *Milites Christi prodigi sanguinis & vitæ.*

rannos, & eorũ carnifices raperẽtur ad catastam, vngulas pectines, & per hæc tormentorum genera ad infamem, iudicio infidelium, sed gloriosam, æstimatione Christianorum, mortem, memores illius *Estote fideles vsque ad mortem, & dabo vobis Coronam Vitæ.* Prouidè autem Imperator Militiæ nostræ CHRISTVS vitalē hanc Coronam suorum pugnantium oculis obijciebat, internis quidem semper, externis etiam aliquando, vt eius intuitu & animarentur in prælio, & nunquam à signis Christi discederent, & fidelitatem morte signarent. Quod fecêre quam plurimi in vtroque sexu. In fragili, *Tecla, Catharina, Barbara, Vrsula, Agatha, Lucia,* & harum similes, quæ *Coronam* sibi promissam contemplantes, & eius auidæ, cum miris modis oppugnarentur, constantissimæ semper permanserunt, donec vitam pro datore vitæ profunderent, nunc Coronâ Vitæ illustres.

E sexu nostro, tot nominari possent quot Martyres, & præcipuè Milites celebrat Militans Ecclesia, *Sebastianos, Achatios, Mauritios,* Gereones, & horum Socios; sed nomen hîc meretur præ omnibus, vbi de *Vitali Coronâ* agitur VITALIS Miles Christianus Sanctorum Geruasij & Protasij pater, qui vnà cum Paulino iudice Rauennam ingressus, quia videbat Vrsicinum Medicum ob Christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium titubare paullulum in tormentis, exclamauit *Vrsicine medice, qui alios curare solitus es, caue, ne te mortis æternæ iaculo conficias.* Qua voce confirmatus Vrsicinus, martyrium fortiter subiuit. Quare Paulinus ira incensus Vitalem comprehendi iubet, & equuleo tortum atque in profundam foueam demersum lapidibus obrui. Is quomodo anhelauerit ad *Coronam Vitæ* declarauit Antistes Mediolanensis, qui eius, & S. Agricolæ Reliquias inuenit Bononiæ. S. VITALIS, inquit, *(a) sic dictus, quasi per istius vitæ contemptum, aliam* Vitam, *quæ æterna est, compararet, cùm à persequutoribus, vt Christum negaret, impeteretur, & ille constantius confiteretur, adeò omni tormentorum genere cruciatus est, vt nullus in eius corpore sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit, dicens: Domine* IESV CHRISTE, *Saluator meus, &* DEVS *meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desiderio accipere* CORONAM, *quam S. Angelus tuus mihi ostendit. Et completa oratione emisit spiritum.*

HANC CORONAM VITALEM, Immarcessibilem, Incorruptam æstimant Academici Christiani. Hanc præferunt Doctores Theologi Aureæ, Iuris-consulti Querceæ, Medici Gramineæ. Hanc Christus Sapientiæ Præses suorum Auditorum obijcit oculis, vt eam intuentes continuò, generosè ac constanter superent quæcunque perseuerantiæ vsque ad finem possunt obsistere: illudque frequenter accinit: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi Coronam Vitæ.* Quam adeò confidenter postulare potest *Miles Christianus,* Adolescens, Iuuenis, Vir, pius, temperans castus, & multo maxime Religiosus, vt in vitæ mortalis limine constitutus, animosissimè cum Paulo exclamare queat: *Bonum certamen certaui fidem seruaui, cursum consumaui. In reliquo reposita est mihi* CORONA IVSTITIÆ, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: Non solum*

(a) Epist. Lx.

lium autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. (a) Eia Auditores Academici, certate, cursum Virtutis consumate, fidem seruate, aduentum iusti Iudicis diligite, nec dubitare, Coronabimini. Coronet modò Vos DEVS PATER in misericordiâ. Coronet FILIVS in miserationibus, coronet SPIRITVS SANCTVS in gratiâ, vt Coronet post hanc vitam S. S. TRINITAS in gloriâ.

(a) *II. ad Timo. IV.*

NOTÆ.

§. I. TEMPVS studendi in qualibet Disciplinâ certum] *legendus* Middeldorpius *in Academicis*, Adamus Conzen *in Politicis*, Maximilianus Sandæus, *libello, cuius titulus, Sodalis Studiosus, siue Modus pie & Christianè studendi Sodalibus Parthenicis, Theologis, Iuristis, Medicis, Philosophis, & Politioris litteraturæ studiosis accommodatus.*

§. II. CORONA Gloriæ, Iustitiæ.) *S. Paul. 2. ad Timoth. IV. 7.* Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruari. In reliquo reposita est mihi CORONA Iustitiæ. *Legendus Iustinianus & Cornelius in Commentario.*

§. III. *AVREOLA.) In quibusdam Beatis, præter AVREAM, seu Coronam premij essentialis qua constituuntur Reges, sunt AVREOLÆ. Ha nominantur tres, Virginis, Doctoris, Martyris. Dantur in præmium accidentale, pro quadam virtutis excellentia. Legendus* S. Thomas *in Addit. q. 5. 6.* Sotus *dist. 49. in 4 q. 6. & quos citat* Henriquez *lib. vlt. Summa, de fine hominis cap. 27.*

§. IV. *GEMMÆ XII.* Coronæ Gloriæ] *Legendus* Blasius Viegas *Apocalyp. 2. Comm. 2.* Cornelius. *Isa. LXI. ver. 10.* Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit Anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis: & indumento Iustitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum CORONA, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis. *Isaia LXII. 3.* Eris Corona Gloriæ, & Diadema Regni in manu Dei tui. Forerius: *in manu Domini, id est, in capite Domini, quam ipse manu capiti imponet.* S. Hieronymus, Cyrill. Procopius, *quam Dominus manu sua capiti Christi imponet. Prouer. XVII.* Corona senum filij eorum, & gloria filiorum patres eorum. *Vnde S. Paulus loquebatur ad Sanctos, inquit S. Hieronymus:* Gaudium & Corona mea. *Philip. IV. 1.*

§. V. CORONA VITÆ.] Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ. *Apoc. II. 10. nimirum, Vincenti: prætulerat, Vincenti dabo edere de ligno vitæ, id est, gloriam cælestem quæ est eadem cum* Corona Vitæ. *Vincens Mundum, Carnem, Cacodæmonem, quomodo vicerunt & vincunt Martyres, Doctores, Virgines, Religiosi, veri Sponsi, & Coniuges Sapientiæ, omnes* Vincentes, & Victores. *Quales apud Græcos fuerunt SS.* Nicetæ, Nicandri, Nicanores, Nicetij, Nicones, *qui victoriam nomine, quasi omine prætulerunt: Νίκη enim Græcis est victoria, νικάω, νικήτης, Victor. Talis fuit* S. Nicæas *Martyr Antiochia, 29. Augusti. Talis* S. Nicander *Martyr Melitinæ sub Diocletiano 7. Nouem. Talis* S Nicanor *Martyr in Ægypto sub Maximino, 5. April. Talis* S. Nicephorus *Martyr in Ægypto sub Numeriano 25. Febr. Talis* S. Niceta *Mart. in Lycia 24. Iul. Talis* S. Nicetas *Gothus*

Gothus Mart. sub Athanarico, 15. Sept. Talis S. Nicetius, *Episcopus Viennensis, 5. Maij. Talis* S. Nicostratus *tribunus cum suis militibus Martyr Cæsarea. 21. Maij. Talis* S. Nicomedes *Mart. Romæ 15. Septembr. Tales multi alij istis cognomines, & in Corona consimiles, apud Baronium in Martyrologio. Ac imprimis* SS. Victor *&* CORONA *Martyres illustres,* 22. *Maij. De quibus ita cecinit Poëta Christianus.*

Quàm benè cum Sancto quadras VICTORE CORONA:
Quàm sua VICTORI *iure* CORONA *datur:*

De S. Victore *Confessore, 1. Septemb. ita* B. Petrus Damianus, *per allusionem*: Ipse nomen ex opere sortitus, ante vicit, quàm vincere nosset, nec quemlibet hostem, sed illum, de quo rara, & nunquam secura Victoria. *S. Bernardus describens vitam alterius* S. Victoris, 26 *Februarij ita illum laudat, alludendo ad nomen.* Pugnauit fortiter, viriliter superauit, & sic demum Gloria & Honore Coronatur. Quomodo nempe inglorius remansisset bellator fortis, humilis Victor? Miror & stupeo infantem adhuc in vtero pauori fuisse pauendis Dæmonijs: quippe ab ipsis præcognitum, & iam tunc ex nomine designatum. Nec vacuum nomen, vbi hostium fuga, & extorta confessio Victoriam concessit infantulo. *Et inferius.* Æmulemur in viro sobrium victum, deuotum affectum: æmulemur mansuetudinem spiritus, castitatem corporis, oris custodiam, animi puritatem: ponere frænum iræ, & modum linguæ: dormire parcius, orare frequentius, commonere nos met ipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, diebus iungere noctes, & diuinis laudibus occupare.


NON *est nobis silentio prætereunda S.* VRSVLA, *Diua nostra domestica, quæ non vnam sed, vndecim millia Coronarum meruit, quia totidem Virgines ad Virginitatis & Martyrij geminatas Coronas prouexit.*

VRSVLA *nectendis pro Te quêe tuisquêe* Corollis
Crediderim Angelicas obriguisse manus.

Addantur SS. Digna *&* Emerita *Virgines & Martyres coronatæ* 24. *Septemb.*

Quàm benè conueniunt rebus sua nomina? palmã
Ferre hac Emerita est: altera Digna fuit.

§. *VI.* AMARANTVS.] *Flos purpureus, immortalis: nomen ab eo accepit, quod marcescere ac deflorescere non soleat, ab α. priuatiua, & μαραίνομαι, siccor, tabesio. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap.* 8. Pulchra Amaranti Corona est ei reposita, qui se rectè gesserit.



COM-

COMMENTATIO IV.

CORONA

MILITARIS ET NVPTIALIS

Militibus & Sponsis Sapientiæ æternæ: Philosophis, Philologis, Eruditis, Litteratis.

Dabit capiti tuo augmentum Gratiarum. Et Corona inclyta proteget te. Prouerb. IV. 9.

MEMBRVM I.
CORONARVM VSVS

In Nuptijs: apud Hebræos, Græcos, Romanos.

HODIE memoria agitur illarum Nuptiarum, quæ celebratæ sunt in Cana Galilææ, copiam in ijs sui faciēte Christo Domino, Sanctissima eius Matre, ac Discipulis. Multa in illis sunt dicta & facta, quæ iucundam haberent contemplationem, & dictionem fructuosam. Sed quoniam nondum Auditoribus nostris omnibus satisfecimus in Strenarum largitione, quas ex Coronarum diuersitate, quæ sunt Militiæ Christianæ, sumpsimus, figamus paullulum obtutum in CORONAM NVPTIALEM. Nam tam apud Hebræos, quàm apud gentes alias, reperio solenne fuisse, vt Coronarentur, Sponsus imprimis, ac Sponsa, tum multa alia ad nuptiarum celebritatem spectanda: Paranymphi, Hymenæus, ædes, triclinium, thalamus, pocula, citharædi, phonasci, nuptialis turba omnis, sed præcipuè Sponsus. DE CORONA NVPTIALI apud Hebræos est carmen illud inuitatorium, Canticorum III. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Est etiam clarissimum illud Isaiæ LXI. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in* DEO *meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento Iustitiæ, circumdedit me, quasi sponsum decoratum* Corona, *& quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Quo loco Cyrillus Alexandrinus asserit, *Coronam Sponsi* nuptialem fuisse sertum è floribus, ideoque Prophetam subiunxisse: *Sicut terra profert germen suum & sicut hortus germen suū germinat sic Dominus* DEVS *germinabit iustitiam.* Addit ipse explicationis ritu: Christus affulgente gratiâ & iustitia Gentibus, nec non exultatione, veluti florida quadā herba Coronat orbem. Vniuersè Tertullianus, libello de Corona Militis: *Coronant nuptiæ sponsos.* Ad hanc Coronam in qua elegātissimus est visus Salomon, fortasse respexit Sponsa dum floribus redimitum præ-

prædicat: (a) *Ecce Tu pulcher es, Dilecte mi, lectulus tuus floridus.* Lxxta Interpretes: *Ecce es bonus fraternus meus, & quidem es speciosus ad cubile nostrum vmbrosus.* Quod Aquila vertit: *Ad cubile nostrum viridis*, siue *floridus*. Et quoniam Sponsi cælestis amica est, & comes, casta generatio, de ea pronunciat Sapiens: (b) *In perpetuum* (nempe, non tantùm, vt sponsi apud nos paucorum dierum nuptialium numero) *Coronata triumphat*, Siquidem Castitati, nimirum, hominibus castis, non solùm *Nuptialis*, sed *Athletica* etiam atq; *Triumphalis Corona* debetur, *incoinquinatorum certaminum* certarunt enim pro suâ castitate incoinquinati, immaculati, floridi.

Nec tantùm Sponsus, sed Sponsa etiam Coronata procedebat apud Gentes. Festus sanè, cùm Corollam dixisset, diminutiuum à *Corona*, addit: *Corollam noua nupta de floribus, verbenis, herbisque à se se lectis sub amiculos ferebat.* De Coronâ Sponsæ apud Hebræos ambigium est: inclinat mens, fuisse Coronatam. Vnde inuitatur Canticorum iv. *Veni de Libano, veni coronaberis.* Post Sponsum & Sponsam Coronabatur apud Romanos & Græcos Hymen nuptiarum Præses. Coronabantur etiam ædes sertis floridis, & ad postes appensis: Idem in cœnaculo ac thalamo fiebant. De quibus testimonia sunt apud Tibullum, (c) Ouidium, (d) Propertium, (e) Athenæum. (f) Denique, qui pro faustis nuptijs supplicare solebant Laribus, non nisi floribus & corollis supplicabant, vt apud Plautum Euclio. (g) Neque illud ignorandum, non tantùm Sponsi caput coronari solitum, sed collum quoque, in pectus, cum ibi Cor sit, Coronis defluentibus vt auctor Athenæus. (h) Hinc Coronæ Collares, quibus collum vinciebatur. Simile quid fictum apud Hebræos nonnulli comminiscuntur: & in confirmationem trahunt illa Sponsæ Canticorum primo, *Meliora sunt Vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Immò, totum ipsum Sponsum, qui sit velut intertexta *Corolla*, ex myrrha odoratisque floribus, quæ erat materia nuptiarum Coronarum, videtur optare sibi, suo que collo & pectori; *Inter vbera mea commorabitur.* Nimirum, à collo descendit Corona ad pectus & vbera.

(a) Cant. 1. (b) Sap. iv. (c) Eleg. 2. (d) 1. de rem. (e) lib. 1. (f) lib. 15. cap. 2. (g) In Aulularia. (h) lib. 15. c. 5.

Membrvm II.

CORONA MILITARIS NVPTIALIS

Apta Sponso Sapientiæ, Philosopho, & Philologo.

Cvm tam multus fuerit vsus Coronarum, & sit etiamnum in Nuptijs, hauderit inconueniés, (a) Strenæ loco offerre Coronam Nuptialem, eandemque Militarem, ijs meis Auditoribus, qui superioribus diebus, quibus de Coronis Militiæ Christianæ disseruimus non sunt à nobis Coronati. Coronato autem Deo Exercituum, Militiæ Nostræ Duce supremo, Coronata Virgine Deipara, Bellona Nostra, Coronato Tutelari Genio, vt viarum monstratore, alijs-

(a) *Corona nuptialis.*

Iijsque Belli sacri Præsidibus; deinde, propositâ, ostensaque *Coronâ*, Theologiæ, Iurisprudentiæ ac Medicinæ siue candidatis, siue Doctoribus accommodatâ; Supersunt ex toto Academicorum numero, Philosophi, & Litteraturæ humanioris studiosi, quos voco Philologos. Vtrique enim sunt, certè esse deberent Sponsi. Sponsos esse opto omnes Philosophos & Philologos, ac ambire nuptias, non Penelopes profanæ, multoque minus ancillarum illius; non Cynthiæ, Canidiæ, Floræ Glicerij, non blandissimæ meretriculæ, Voluptatis; non turpissimæ lenæ, Libidinis; non diabolaris prostibuli, Peccati; Sed speciosissimarum omnium elegantissimæ Virginis, & incorruptæ, quæ Græcis SOPHIA, Latinis dicitur SAPIENTIA. Inde enim dicuntur Philosophi, Amatores Sapientiæ: quæ cùm sit plena rationis, & Magistra sermonis cælestis, qui Λόγος est Græcis, adametur eadem oportet à Philologis. At quæ est illa SOPHIA, siuè SAPIENTIA, quæ in Sponsam vobis est eligenda, & cuius nuptiæ vobis sunt ambiendæ? reor enim multos reperiri, qui ignorent, vnde dicantur Philosophi seu Amatores Sophiæ, aut Sapientiæ. Itaque sic accipite.

MEMBRVM III.

SAPIENTIA

Increata. Incarnata. Creata. Speculatiua. Practica.

EST imprimis *Sapientia Increata*, siue *Æterna*, quæ soli conuenit DEO, vt profani quoque agnouerunt, & ex Homero scribit Ammonius: (*a*) melius dixeris, est ipsissimus DEVS, cuius participatione sunt Angeli & homines sapientes, inquit S. Thomas Aquinas. (*b*) Id Trismegistus per *Craterem* illum suum, multorum deinde sermonibus celebratum expressit. Idem adumbratum fuisse reor ab ingeniosis Poëtis fabula Penelopes, quam adeò procia[illegible] habant, reliquas vt puellas omnes ancillarum loco habebent. Sic olim Bion interpretabatur, (*c*) Aristippus quoque, vel Ariston, vt innuit Laertius. (*d*) Quod si Sapientia DEVS est, per quem facta sunt omnia, verus Philosophus, vt argumentatur Augustinus, (*e*) est Amator DEI. Sic templum SOPHIÆ splendidissimum exædificauit Constantinopoli Imperator Orientis, quod etiamnum dum ingrediuntur, admirantur aduenæ. Quæ illa SOPHIA, cui Templum, soli DEO erigendum, vt altare pro sacrificijs exstruitur, nisi SAPIENTIA INCREATA? Ceterùm, vt DEVS est *Increatus*, & *Incarnatus*, ita peculiari ratione vocatur SAPIENTIA INCARNATA, Θεάνθρωπος, *Deus-homo* CHRISTVS IESVS. ALIA est *sapientia Creata*, de quâ multa disserunt Philosophi & Theologi, qui eam duplicem faciunt: nempe, *Speculatiuam*, seu purè *Theoricam*, & *Practicam*, seu Operatiuam. De eâ disputans M. Tullius libro IV. Tusculanarum: *Est*, inquit, *rerum diuinarum atque humanarum scientia, cognitioque, quæ cuiusque rei caussa sit.* Et libro secundo Officiorum: *Sapientia est rerum diuinarum, & humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur scientia.* Fusius lib. I.

(a) *proœmio Porphyrium.* (b) *Th 22. q. XXIII ar, 2. ad 1.* (c) *Mantius in Apoph* (d) *Laer. l, 2. vit Phil.* (e) *Lib. VIII. de Ciuit. cap. 1.*

" lib. 1. de Officijs. PRINCEPS omni-
" um virtutum est illa Sapientia, quam
" Σοφίαν Græci vocant, & qui eam pro-
" fitetur, Sapiens, Σοφὸς appellatur. Vn-
" de, qui nunc Philosophi dicuntur, pri-
" mùm Σοφοὶ à Græcis, à nostris Sapien-
" tes dicebantur. Nec quemlibet olim
" eo nomine dignabamur. Vix enim se-
" ptem eodem tempore inuenit Græ-
" cia, quibus id nominis deferret. Quo-
" rum nomina & patria sic se habent.
" Thales Milesius, Solon Saliminius,
" seu Atheniensis, Chilon Lacedæmo-
" nius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prie-
" næus, Cleobulus Lindius, Periander
" Corinthius. Sed postea Pythagoras
" primus, non Sophum, sed Philoso-
" phum, idest, Amatorem Sapientiæ
" vocauit; Scientiamque ipsam, non
" Sophiam, sed Philosophiam nuncu-
" pandam censuit: quod hominum ne-
" minem sed solum DEVM Sapientem
" iudicaret. Porro, inter partes Philo-
sophiæ Contemplatiuæ, quæ hoc tempore in scholis traditur, *Metaphysicam* nomen Sapientiæ sibi vindicare posse, contendunt acriter, & probare conantur, allatis Sapientiæ multis conditionibus, tanquam proprietatibus, qui illius studio tenentur. De quo à nobis ex instituto actum est in Philosophicis. Verùm, maiori iure *Sapientia* dicitur, illa rerum diuinarum Scientia, quam THEOLOGIAM vocamus, vt multis ex ratione & auctoritate petitis argumentis confirmatum à nobis est, tum in Volumine de *Theologia Varia*, tum in Prolegomenis Theologicis.

(a) *Septem Sapientes Græcia.*

CETERVM, præter *Sapientiam Speculatiuam*, est alia, vel potius, eadem, spectans bonam operationem, seu quatenus rectè agendi vim, principiumque impellens, & operandi propositum includit. Quæ quidem est ipsa *Virtus*, & *Honestas*, viua & actuosa, vt subtilissimus tum Theologus, tum Philosophus Gregorius Nazianzenus animaduertit, & optimè declarat. Hanc *Sapientiam* concipere licet, communissimâ quadam ratione per abstractionem ab Increatâ, & Creatâ, quomodo per prosopopœiam à Salomone, tum in Libro Canticorum, tum Prouerbiorum, tum *Sapientiæ* inscripto producitur, ac loquitur ipsa, & alloquenti respondet. Ad huius Sapientiæ sponsalia, deindeque nuptias anhelandum est adolescenti, iuueni, ac viro, rerum diuinarum, & humanarum scientiæ dedito, ac Honestatis Virtutisque studioso quales vos esse omnes nullus dubito.

MEMBRVM IV.
SAPIENTIA VT SPONSA
Amanda, exquirenda, ambienda, ducenda PHILOSOPHO ET PHILOLOGO.

QVOCIRCA deberet Quilibet è vobis posse dicere ex vero, cum Salomone, Viro Sapientiæ à pueritiâ amantissimo: HANC *amaui, & exquisiui à iuuentu-*

se mea, & quæsiui in Sponsam eam mihi adsumere, & Amator factus sum formæ illius. Sapien. VIII. Nimirum, Salomon, iuuenis decem & octo annorum, vt arbitror, Chronologiam sequutus magis probatam, quando Regni Iudaici gubernacula suscepit post mortem parentis, primum, quod iniit consilium, tum apud se, tum cum alijs, fuit, de optimo sibi cōparando ad feliciter regendum præsidio, deque ornamento regio maximè spectabili atque excellentissimo. Vigebat autem tunc temporis inter Reges Orientales studium Sapientiæ, vt scribit Iosephus, contra Appionem, & satis constat, tum ex aduentu Reginæ Saba, tum ex litteris Regis Hiram ad Salomonem, tum ex Tyriorum Ægyptiorumque celebrata vbique Sapientia, de qua Libro Regum tertio, cap. 4. Itaque Salomon animum adiecit ad *Sapientiam*, tanquam rem nobilissimam, vtilissimam & maximè expetendam, denique, vt ad ornamentum præstantissimum, ac vltimum veluti complementum in Adolescente omnibus naturæ dotibus cumulatissimo. Hoc eius propositum satis clarè exprimitur libro tertio Reg. cap. 3. *Non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti Sapientiam*. Idemque ipse professus est capite VII. libri Sapientiæ clarissimis illis verbis: *Super salutem & speciem dilexi illam, & præposui illam regnis & sedibus*. hoc est, Amaui illam magis, quàm sanitatem, vitæ longitudinem, diuitiarum ornamenta, victoriam, triumphos, regna.

PORRO, Consiliarijs suis, qui de vxore ducendâ cum eo agebant, tum suæ ipsius ea de re cogitationi occurrebat grauiter Salomon istiusmodi responsione. Nihil sibi magis animo sedere, quàm vt *Sponsam* duceret Sapientiam. Cuius nuptiæ honestissimæ essent, & rerum optimarum ac pretiosissimarum donis refertissimæ: quippe sponsæ, pulchritudine, nobilitate, educatione, amplissimâ dote, opulentissimo patrimonio locupletis; tum suauitate tali præditæ, vt eius conuictus omnis tædij sit expers, modestiâ verò huiusmodi vt à garrulitate sit alienissima: denique, perquam vnam omnia necessaria vitæ præsidia domi forisque vbertim haberi possint. Quod responsum conficitur ex eo sermone, quem texuit ipse Salomon libro Sapientiæ octauo capite. Vbi postquam dixisset, se à iuuentute adamasse, & exquisiuisse Sapientiam, & quæsiuisse eam sibi Sponsam adsumere, laudat illam imprimis à *Pulchritudine*, quæ est præcipua inter vxorias dotes. *Amator*, inquit, *factus sum formæ illius*: tum ab antiquissima & generosissima nobilitate, cum eius stirps sit Diuina, & prosapia è cælo. Addit, esse eam *Doctricem disciplinæ* DEI. Quapropter, qui illam Sponsam duxerit, discit DEVM colere, alloqui, atque res diuinas pro dignitate tractare. Eandem dicit esse æstimatricem, ponderatricemque operum diuinorum, & doctricem, atque sectatricem: nempe, quæ eligat optima, contemnat viliora, æquissimâ rationis trutina, cum quidpiam in consultationem venit, secundū cuiusque merita perpendens ac diiudicans. Præterea, commēdat illam à Dote opimâ & regali, cùm nihil sit opulentius Sapientiâ. Adhæc, à dotibus animi verisq; virtutibus, (a) prudentiâ,

(a) *Virtutes*.

dentia, fortitudine, sobrietate, iustitia. Subnectit, non solum illam multiplici præditam esse cognitione, sed eandem liberaliter communicare cum Sponso, tum familiari conuictu, tum arcana colloquutione. Hæc omnia considerasse, & se perpendisse asserit Salomon.

ILLVD autem præcipuè magnifecisse, quod animaduerterit, beneficio Sapientiæ hominem supra rerum mortalium fastigium euehi. Qua enim re alia homo præstat homini, quàm Sapientia? qua proximè ad beatos Spiritus accedit. Deoque qui vna maximè sapientia excellit, fit propior. Hanc potissimùm esse caussam quare totum se studio Sapientiæ dederit. Fortasse ogganniebant aliqui; in coniugio tædium esse, ac satietatem, maximè, si adolescentes matrimonio iungantur. Præuenit Salomon, non esse id metuendum in coniugio Sapientiæ, cuius conuictus non generet, sed expellat omne fastidium, & quo est diuturnior, eo sit iucundior, & voluptatis, sed immaculatæ plenissima. Hac consideratione repellebat facile Salomon omnem de alia vxore ducenda cogitationem. Suggerentibus forsitan quibusdam, caueret sibi; nam videri Sapientiæ connubio vitam breuiorem reddi; occurrit contrarium sibi persuasum esse; cùm Sapientia mortis ac mortalitatis antidotum. Fieri quidem interdum, vt corporis vires, sapientia, studio, atque vigilijs, si moderatio non adhibeatur, infringantur, & extenuentur, sicque vitæ mortalis periodus citius terminetur; verùm nominis immortalitate satis hoc detrimentum compensari; sed idipsum etiam moderamine inculpatæ diligentiæ euitari posse. Obijciebant alij, si tantoperè Sapientiæ studio teneretur, illam que, vt sponsam procaretur, ac deinde duceret, impedimento id fore ad Regni fines proferendos, & nouas adquirendi prouincias. Hos refellebat, quod sapientia regno sibi tradito præesse posset, & inimicis subiugandis præbere consilium & auxilium (a) *Proposui illam regnis & sedibus.* & *Proposui pro luce habere illam*, in dictis, factis, cogitatis: illa prælucente, & suggerente, ad illam perueniam potentiam, vt Rex Regum dicar. Illa mihi adhærente: *Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ: Timebunt me audientes Reges horrendi*, Sapient. VIII. At enim (ô Salomon) contubernio Sapientiæ fortitudo, bellica in te minuetur, immò, euanescet. Videtur respondere molestis illis consultoribus, contrarium se exemplo, non speciosis dictis monstraturum: *In multitudine*, siue in vrbe, in ciuitate, in hominum ciuilium consortio, *videbor bonus*, iucundus, suauis, ciuilis, *& in bello*, aduersus inimicos, *fortis*, terribilis, catulus leonis: parenti meo similis, vt sapientissimo, sic fortissimo, qui vt erat mansuetissimus erga suos. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*: ita erat fortissimus ad inimicos extraneos. Experientur, si lacessant. Verùm, nunquam Regnum tuum tueberis, nunquam æmulatoris tui occupabis, nisi abundes pecunia, metuimus autem, ne omnem ditescendi cogitationem abijcias, si Sapientiæ copuleris. Hos minuti animi Consiliarios risisse reor Salomonem, nec dignatum responso alio, quàm, O ignari! *In operibus manuum eius honestas, sine defectione*

(a) Sapient. VII.

id est, diuitiæ, sine defectu, opes absque penuria, thesauri sine fundo. (a) Inexhausta est Sapientiæ opulentia. *Innumerabilis honestas per manus illius.* Originalem loquutionem ita Græca versio exprimit: *Innumerabiles diuitiæ in manibus illius.* Similis est sententia Prouerbiorum III. *Longitudo dierum*, longissima vita, *in dextera illius: & in sinistra illius Diuitiæ, & Gloria*, opes, regna, triumphi.

CVM igitur *Sapientia* sit venustissima, opulentissima, bellicosissima, fortissima, & nihil in ea reperiatur non maximoperè expetendum, illam se sponsam elegisse, illius gratiam ambiuisse, illam omnibus prætulisse profitetur Salomon iuuenis, idemque vt faciant omnes suæ ætatis frequentissimè, verbisque mirum in modum efficacibus in suis opusculis monet, & per illum Diuinus Spiritus. Cuius est ista suauis & salubris inuitatio Prouerb. III. *Dic Sapientiæ, soror mea es, & Prudentiam voca Amicam tuam.* Quo loco Caietanus expendens vocem, *Soror*, existimat sensum esse: Tam arctè Sapientiam tibi adiunge, & te illi connecte, quasi naturali sanguine, ac necessitudine te eidem sororis fratrisque instar copulatum putares. Nam ad sapientiam ac Honestatem, quidam in homine sunt naturales impetus, propter quos naturalis quibusdam dici potest Sapientia, & quodammodo sororis in morem sanguine ipso, ac naturali vinculo sociata. Sed si loquendi modum in sacris vsurpatum diligentius consideremus, apparebit, nomine Sororis, *Sponsam* denotari; quæ *Soror* etiam & *Amica* vsu scripturæ appellari consueuit, tum in libro Canticorum, tum alibi. Qua significatione licet interpretari illud Iobi cap. XVII. vermiculis suis in fimeto blandientis: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus.* Id quoque apud profanos non est insolens. Itaque inuitat monetque per sapientem Diuinus Spiritus, vt quilibet sibi adiungat Sapientiam, velut vt *Amicam*, siue *Sponsam*.

(a) Sap. VIII.

MEMBRVM V.

FRVCTVS MVLTIPLEX CONNVBII CVM SAPIENTIA.

AT quis inde fructus? respondet Salomon: *Ipsa te custodiet à muliere aliena, & ab extranea, quæ verba sua dulcia facit.* (a) O Adolescens! vis nō amare lasciuiam, superbiam, intemperantiam, voluptatem, meretricem, peccatum? dic Sapientiæ, soror, amica, sponsa mea es. Vis non decipi à blanditijs carnis, ab illecebris sensuum, à lenocinijs corporis? dic Sapientiæ, Sponsa mea es. Vis horrere luxuriam, detestari mollitiem, abominari sordes? dic Sapientiæ, sponsa mea es. Quæ huius tantæ oppositionis causa? Vulgaris est illa, quia distentus amoribus Sapientiæ, quippe virginis nobilis, regiæ, diuinæ, elegantissimæ, opulentissimæ, iucundissimæ, non potest vacare aliarum sordidarum & vilium congres-

(a) Prou. VII.

greſſibus: melius dixero, pudet illum alteri ſui copiam facere: piget alias vllas adamare. Cauſſa quæ ſequitur, plus conſiderationis continet, ſumitur autem ex vſu ſe verè tenerèque amantium: nam cernimus coniuges, & ſponſas zelotypiâ inſtigante, maritos Sponſoſque non obſeruare ſolùm curiosè, ſed ſeruare etiam ſolicitè. Quare, ſi quam fortaſſe ab ipſis adamari viderint, vel ſuſpicatæ fuerint, inde illos conantur retrahere, & auocare. Haud aliter, *Sapientia*, *Honeſtas*, *Virtus*, ſi ſemel alicui, Sponſæ in morem, ſit copulata, ex zelotypia proba caſtaque nititur Sponſum coniugemue ab aliarum amore congreſſuque omni auellere, & ſi contrariæ ſint Sponſæ, vt laſciuia luxuries, peccatum, Sapientiæ, Honeſtati, Virtuti; earum ingenerare odium. Neque enim omnis *Zelus*, vnde zelotypia, eſt vitioſus. Quod animaduertit S. Hieronymus, qui exponens illud Apoſtoli (a) *Caritas non æmulatur*, Græcè, *non zelatur: Abeſt*, inquit, *longè à Caritate* zelus malus, *id eſt, inuidia*, & zelus amarus, *id eſt, contentio, non autem* zelus pius, *qui zelatur, ne animus per amorem* Deo *adhærens, adamet terrena, diligat temporalia*. Id ipſum de Sapientia, ſeu Honeſtate in vniuerſum adfirmare poſſumus, & dicere, hominem, qui illi nupſit, ex Zelotypiâ, qua exſtimulatur, ne cum ſibi aduerſantibus communem habeat coniugem, à muliere aliena, nempe, carnis voluptate ſeruare. Zelotypiam illam egregiè exhibet S. Ambroſius (b) inducendo duas mulieres, quarum vna ſit imago Sapientiæ caſtæ, altera Voluptatis laſciuæ. *Duæ*, inquit, *mulieres vnicuique noſtrum cohabitant, inimicitijs ac diſcordijs diſſidentes, velut quibuſdam zelotypiæ contentionibus noſtræ replentes animæ domum Virtus & Voluptas*. Qui vult igitur animum habere auerſum à voluptate omni impura, Sponſam adſciſcat ſibi Sapientiam, quæ ex zelotypia id præſtabit.

Eodem ſpectant illa Prouerbiorum IV. *Poſſide Sapientiam, poſſide Prudentiam: ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eum & conſeruabit te.* Quæ adferuntur à Salomone tanquam ſibi dicta à parente ſuo cum in extremis eſſet, & moneret ſibi vnicè dilectum de adoptanda Sponſa. Eadem ſibi quiſque è vobis inculcari exiſtimet. *Poſſide Sapientiam*: duc illam in coniugem, poſtquam Sponſam habueris. *Ne dimittas eam*: Ne illius domum ducendæ occaſionem nactus, illam abire patiaris: quod ſi ſemel duxeris nunquam repudies. *Et cuſtodiet te*: Alij, *Et cuſtodiet cor tuum*. Cuſtodia domus ad munus vxoris pertinet: ſi benè cuſtoditam velis familiam, & in ea te patrem, nunquam Sapientiam ſemel ductam domo eijcias: illa domum & externam, & internam cordis tui diligentiſſimè curabit: nec quicquã deeſſe patietur. Lxxta. Interpretes legunt: (c) *Ne dimittas eã & parebit tibi*. Caue ne repellas à te ſemel ductam Sapientiam ſi tibi, rebuſque tuis cõſultum velis. Fidiſſima illa eſt coniunx, induſtria, obſequioſa, ad nutũ parẽs: nũquã à te diſcedet, niſi repudies, quod ſine æterna ignominię nota facere nõ poteris.

Alium fructum connubij cum Sapientia, ac conditionem Sponſæ continet, quod

(a) 1. *Corinth.* XIII. 4. (b) *lib.* 1. *de Abel & Cain cap* 4. (c) *Obſequioſa Sapientia.*

quod additur: *Dilige eam, & conseruabit te.* Est quidem officium boni mariti in vxorem solicitè oculos conijcere, eam asseruare ac custodire. At sapientia talis est vxor, vt istiusmodi diligentiam non postulet, ipsa & sui & mariti conseruatrix: illa te tuebitur, amiciet, obumbrabit vt habet Paraphrastes Chaldaicus. Nondum satis inculcasse harum Nuptiarum commoda visus Rex Dauid subnectit: *Principium Sapientiæ posside sapientiam.* Hebraicè est, eme Sapientiam. Quod ad côiugium spectare mihi persuadeo, & vox Hebraica indicat, quæ exponi etiam potest, *adquire:* quod verbum non minus ad nuptias pertinet: quomodo vsurpatur Actuū.xx. vbi Christus Ecclesiam DEI dicitur, adquisiuisse Sanguine suo, id est, Sâguine suo coëmptam duxisse Sponsam. Hortatur igitur pater optimus, vltimum trahens spiritum Salomonem suum dilectissimū, ne moretur, sed principium, id est, maximum in Sapientia adquirenda, ducat esse, moras abrumpere, & illam, velut sponsam coëmptam, quam primum stabili connubio sibi iungere. *Et in omni possessione tua adquire Prudentiam*, id est, quamuis opus fuerit ad eam Sponsam emendam, omnia tua bona profundere, ac pro illâ commutare, non hæreas, prudentissimè feceris, si Sapientiam, quæ eadem est cum Prudentia ita tibi copulaueris. Parentis monitioni præbens autem animumque Salomon, quam Sponsam diu expetierat, coniugem accepit, nuptias Coronatus celebrauit, & ad culmen potentiæ, opulentiæ, ac humanæ felicitatis peruenit.

MEMBRVM VI.

CORONA

Nuptialis æquè ac Militaris parata Sponso Sapientiæ, Philosopho & Philologo, ob triplicem victoriam.

SALOMONEM imitatus rerum humanarum diuinarumque studiosus, die nuptiali, qua tot procis petitam Sponsam Sapientiam & à se tot annis amatam, cultam, exambitam, ac laboris sudorisque precio coëmptam inducit in domum ac thalamum, qui est Cor suum, incedit Coronatus, vt ille diademate insignis in die desponsationis suæ. Porrò, *Corona*, ornamentum Coniugis Sapientiæ, licet nominetur *Nuptialis*, est tamen reuera *Militaris* etiam, & non datur nisi post bellum, & in eo conflictum initum, ac obtentum gloriosam Victoriam. Sic Clearchus antiquissimus auctor, apud Athenæum, (a) in dissertatione de *Corona* procorum ac Sponsorum, definit, eam esse *signum Victoriæ*: cùm nō prius amantes coronentur, quàm Amorem deuicerint. Tunc autem censentur deuicisse, quando amatū in suas partes pertraxerunt ad consensum, sicque à desiderio liberati, & quasi manumissi fuerint. Hoc sane contingit in operosa procatione Sapientiæ, quam nemo ducit, nec Coronâ, aut Sponsi, aut mariti

(a) *lib.xv.Dypnosoph.cap.xi.*

mariti aſſequitur, niſi poſt longum & multiplex bellum & repetitos conflictus atrociſſimaque prælia.

Pugnandum eſt. Adoleſcenti amanti Sapientiam, & illius nuptias ambienti: pugnandum ſtatim in pueritiâ, cum deſidiâ, ignauiâ, ſomnolentiâ, æſtu, algore, moleſtiſſimis incurſoribus.

Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit.

Pugnandum in adoleſcentiâ cum Baccho, Cerere, Venere, Iunone, Diana; cum temulentia, gula, laſciuia, ſuperbia, inuidentia, ira, acerrimis aduerſarijs. Pugnandum in iuuentute cum temeritate, audacia, ambitione, vana gloria, capitalibus hoſtibus. Pugnandum in maturâ, viriliqúe ætate cum hydris, harpyis, ſphingibus, Sirenibus pluribuſque, quam Hercules, quem, tanquam Sponſum Sophiæ, inducebat olim Prodina, ignaraque veræ Sapientiæ Antiquitas, mactaſſe traditur, monſtris. Nam his magis infeſtæ ſunt animorum peſtes, hæreſes opiniones erroneæ, maleuolentia, furor, voluptates corporis damnoſæ. Pugnandum in ſenio cum ſuſpicionum ſpectris, vmbris phantaſmatis: cum puſillanimitate, auaritia, moroſitate, impatientiâ. Sed in omni ætate pugnandum acerrimè, cum furioſiſſimis bellatoribus, Mundo, Carne, Dæmone: cum Concupiſcentiâ Carnis, Concupiſcentiâ Oculorum, & Superbiâ vitæ. Denique pugnandum cum numeroſiſſimo exercitu Vitiorum, quem dirigit, præceditque, vt Pentheſilæa furens, Sapientia humana, ſiue mundana, quæ Cenſore Iacobo Apoſtolo eſt *terrea, animalis, Diabolica.* Hiſce hoſtibus fuſis, fugatis, &, quatenus poſſunt, ad internecionem deletis, Coronatur Sponſus Sapientiæ, & Dilectam ſuam tot annis expetitam, quæſitamque ducit in coniugem. An non igitur Corona ipſius tam eſt Militaris, quàm Nuptialis? Victoriæ index, & triumphi, de inimicis, Sponſam in itinere rapere, & aliò abducere conantibus?

Est quoque Signum alterius Victoriæ de ipſa Sponſa reportatæ, quam Nuptialis Corolla potiſsimùm indicat. Nam Sponſa ipſa Sapientia expugnanda eſt. Siquidem cùm ſit pulcherrima, ditiſsima, nobiliſsima, ſtemmatis diuini, ſanguinis regij, generoſitatis imperatoriæ, non cuilibet paſsim exponitur, nec conſenſum in nuptias ſubitò præbet. Itaque adeunda eſt primò ſupplici libello deſideriorum quotidianorum: adiungendæ preces humillimæ ad ipſam, & parentem eius, Deum Deorum in Sion: vota cum ſuſpirijs proponenda: promiſſiones faciendæ de nunquam deſerenda, nunquam ducenda alia: ad fores ipſius cubandum: ibi noctu ſuauiſſimo orationum ardentiſſimarum concentu illi adblandiendum. Ad poſtes oſtij illius vigilandum: pollicitationes de fide illi perpetuò ſeruanda accumulandæ: multæ palmæ & adoreæ de hoſtibus eius reportatæ ad portas illius, & è tholo regiæ, vbi commoratur, ſuſpendendæ. Hæc eſt ars amandi ac procandi Diuam Sophiam. Cui adiungo, quod à magno Viro acceptum eſt, qui mirum in modum ſe ea praxi colendi Sapientiam Dei Increatam profeciſſe in omni genere Studiorum fatebatur. Qualibet die hora vna matu-

tina, qualibet hebdomade, dies Dominicus, quolibet mense, Kalendæ, quolibet anno, exordij pars initialis Sapientiæ consecretur. Ad eiusdem honorem Sacrificium offeratur, in quo, tempore, quod occupat *Memento*, amoriferum vnum suspirium ad Sapientiam, vt Sponsam, instar igniti iaculi, sine strepitu vibretur: preces accommodatæ fundantur: templum aliquod, vel altare, eius gratia visitetur: officium aliquod peculiare, honorandæ Sapientiæ ergò, exerceatur. Quotidie autem mane ad Sapientiam conuerso, si non vultu semper, certè animo anhelante, inuocetur: O SAPIENTIA, *quæ ex ore Altißimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterquè disponens omnia, veni ad docendum me viam Prudentiæ*; Sic expugnata Sapientiæ voluntate, & consensum suum dante, meritò Sponsus tanquam victor, coronatur in nuptijs militariter.

VICTORIÆ alius præterea meminit D. Chrysostomus, quæ propria sit procantis Sapientiam. Nam de Sponsorum Coronis ita censet, (a) eos, quasi peritos athletas, & egregios bellatores coronatos die nuptiarum processisse, quod castitatis suæ, roborisque animi specimen, atque documentum, in palæstra, siue in gymnasio domus paternæ, sese continendo, perturbationibus suis superiores & se continuò exercendo in studio Sapientiæ, dedissent. Hoc frequenter inculcandum esset Adolescentibus. Si in optatis habeant coniungi cum D. Sophia coniugio stabili, & Coronari, vt Triumphatores, necesse esse quàm diu illam procantur, vt inter domesticos parietes se contineant, & ibi tanquam in palæstra, ceu athletæ, ab omnibus se abstineant, quæ puritati sunt contraria, & inibi certent viriliter, quàm diu litteris dant operam, contra castitatem suam impugnantes, abigant omnem lasciuiam luxuriæ se declarent hostes capitales, omnem impudicitiam auersentur, sicque roboris inuicti dent specimen, &, quod gloriosissimum est, illibatam Virginitatem suam Virgini castissimæ Sapientiæ reseruent. Huius Victoriæ exemplum præclarum dedit IOANNES Apostolus ac Euangelista, castissimus iuuenis, ideoque sic adamatus à Sapientia Incarnata, vt de dilectione peculiari Christi D. meritò gloriari potuerit. Sponsam ille terrestrem deseruit, nuptijs in Cana celebratis, vt multorum est opinio, cælestis amore abstractus quam sibi arctißimè iunxit, nunquam ab ea separandus. Certè, Ioanni Virgini Dominus in extremis de Cruce Matrem Virginem commendauit qui[illegible]go erat. Atque ideò, vt scribit S. Hieronymus, plus amatus fuit à Domino, & super pectus eius recubuit: de cuius pectoris sacro fonte fluenta Euangelij, vt de Sapientiæ oraculo potauit, Sophiæ non Sponsus modò, sed & Coniurix Coronatus.

(*,*)

MEM-

(a) 1 ad Timoth. c. 2. & Serm. 8.

MEMBRVM VII.
CORONA

Muralis, Vallaris, Castrensis, Naualis quoque, seu Classica Philosopho & Philologo, quà Sapientiæ Sponso, & Coniugi dicata.

AT, è quo genere Militarium desumitur *Corona* pro Sponso Sapientiæ cùm non sit *Aurea, Ciuica, Obsidionalis*, quas hactenus alijs Victoribus distribuimus? Appellare eam posses *Muralem* aut *Naualem*: vtraque profectò Sapientiæ Sponso debetur. *Muralis*, quæ & Vallaris, erat olim *Aurea* vel *Argentea*, qua donabatur, qui primus in hostium muros aut castra perrupisset: quare *Castrensis* etiam fuit dicta. Erat autem murorum pinnis, & castrorum vallo insignis, adscripto etiam nomine eius, qui Coronam meruerat vt Polybius, Festus, A. gellius, Zonaras, alijque scribunt. *Naualis* Corona, siue *Classica Aurea* item fuit, nauium rostris distincta, quare & *Rostrata* dicta, quam is consequebatur, qui maritimo prælio primus in hostium nauim insilijsset. Et olim quidem *Corona naualis* nemini dabatur, sed rostra nauium tribunali præfixa, fori decus erant, veluti Populo Romano ipsi Corona imposita: posteà subiere in capita ciuium Rostra ait Plinius lib. XVI. cap. 4.

PORRO, vt Sponsam suam nanciscatur, quid facit Amator Sapientiæ? Imprimis, muros, & valla conscendit, per eaque irrumpens, ad Dilectam tandem peruenit. SOPHIA, Patris æterni proles, habitaculum obtinet in Vrbe fortitudinis Ciuitate munitissima, & magis inexpugnabili, quàm turris ahenea Vrbem hanc cingit murus altissimus Scientiarum speculatiuarum, quarum suprema, Metaphysica, muri huius coronis, cælum attingit, quippe, Theologia naturalis. Physica corpus ipsum efficit. Mathematica circa fundamentum occupatur. Vallum sunt, Scientia Rationalis, Moralisque: Logica & Ethica: ambæ practicæ. Fossas nuncupa- scilicet aqua turgidas, Grammaticam, Poesin, Oratoriam, Historiam. Per has vado transit, aut nata tu Sophiæ procus, & admotis vigilantiæ, & diligentiæ scalis, murum conscendit, inuaditque vallum, & ita Ciuitatem occupat, vt Sapientia Sponsa sua potiatur, dignus Corona Murali, Vallarique. Quid autem aliud est Encyclopædia, siue Artium & Scientiarum omnium vniuersitas orbicularis, quam mare quoddam vastum Oceano longius, latiusque? In eo nauigare incipimus à puero, donec tandem, adportum terræ auriferæ, vbi Sapientia domicilium habet, perueniamus. Sed vni clasii in qua Archithalassum agit bonus Genius, cui subest cum suis triremibus Theologia cum liburnicis suis Iurisprudentia, cum suis myaporonibus Medicina, cum phaselis Philosophia, cum cymbis, lembisque Grammatica, cui adhæret cum actuaria naui Oratoria, & cum oneraria Historice; occurrit semper inimica, quam ducit Tartareus pirata, conflatam ex nauibus infidelitatis, erroris, ignauiæ, ignorantiæ. Canitur

classicum, congrediuntur hæ prælio nauali, certatur acriter: inuaduntur triremes, repelluntur hostes: insilit in prætoriam aduersariorum pulsa infidelitate, trucidato errore, profligatâ ignauiâ Amator Sapientiæ, & in [illegible] vexillum suum infert, an non naualem meretur Coronam?

* * *

MEMBRVM VIII.

CONNVBII ET NVPTIARVM RATIO

cum Sponsa Sapientia: earumque celebritas.

IAM verò haud dubiè scire auetis, quid-nam sit Sapientiam sibi Connubio iungere, & cum Diua Sophia nuptias celebrare? Dicam id clarissimè. Sapientiæ, Honestati, seu Virtuti nubere, est ipsam sibi arctissimè copulare, scilicet exercitatione ac vsu Scientiam, Prudentiam, Virtutem ad habitum perducere, & habitualiter eam possidere. Siquidem quam diu Scientia non est in animâ radicata per habitum, ideoque in habente non operatur ex habitudine, quousque Virtus ex habitu non exercetur, nempe, non cum promptitudine & delectatione, nondum connubiali vinculo ad conuiuendum eius studioso adstringitur. Quamdiu enim habitus nexu non est colligata, firmiter non ita adhæret, vt aliquando non abscedat, & hominem deserat. Hunc ferè in modum declarat hominis & Sapientiæ *Connubium* ex veteribus celebris Interpres Scripturæ Olympiodorus, in Ecclesiasten cap. IX. *Mystico*, inquiens, *intellectu, Sapientia vxor nostra dicitur ad conuiuendum*, & ex recentioribus Quirinus Sa[illegible]rius Prouerbiorum IV. Id autem sic paullò vberius ad adolescentiæ instructionem declarari potest. Quam diu Rhetor non habet promptitudinem facultatemque bene dicendi, secundum præcepta suæ artis, procus dici potest, & quadamtenus Sponsus, non tamen Coniunx aut Maritus Reginæ Eloquentiæ, etiamsi aliquando magno labore oratiunculam quampiam componat, vel ex periodis furto sublectis consuat, ac bellè declamitet. Nec Logicæ Maritus est vllus, quam diu amœnissimæ illius Scientiæ (si tamen amœnitas est aliqua in Spinis: sed reuera Spinæ Logicæ sunt aureæ, totidem gemmulis præferendæ) non habet ex actibus frequentatis, comparatum habitū, licet memoriæ mandarit, &, psittaci instar, volubiliter recitet, quicquid Organo Aristotelis continetur. Eadem est ratio in Physica, Metaphysica, Medicina, Iurisprudentia, Theologia. Quarum, tanquam Sponsarum, nemo connubio potietur, nemo Coronam accipiet, nemo cum [illegible] nuptias celebrabit, nisi illas sibi habitu immobili arctissimè copulauerit. Hoc opus, hic labor est.

IDEM multo magis in Virtutibus obtinet. Non est coniunx Temperantiæ is, qui vno alteróue die, vel vnâ alterâue hebdomade, neque in cibo, neque in potu excedit; qui vno o[illegible]duo nō inebriatur; qui mense vno nō se ingurgitat; sed qui cōstanter, quotidie, ac sēper, ex habitu

bitu est sobrius. Nodū duxit Castitatē in vxorem, qui aliquamdiu à libidinoso aspectu, sermone, contractu abstinet: sed qui firmiter, toto anno, nec vno tātùm, sed pluribus, quæ casti sunt adolescentis, cum delectatione exequitur, & nunquā, vel oculis, vel lingua, multo minus manu, immò, nec cogitatu voluntariè sordibus luxuriæ se inquinat. Non est matrimonio iūnctus Virtuti Obedientiæ, qui, dum mādatur quidpiam ab habēte potestatem, non promptè exequitur, multo minus, qui reluctatur: nec, qui vnum aliquod facit, alterū negligit. Quare desiderabat Mater Christi, vt in nuptijs, ad quas inuitata fuerat, famuli quoque quos alloquebatur nuptias celebrarent cum Obedientiâ, modum expeditissimum tradens: (a) *Quodcumque dixerit vobis facite*, 1. Ioannis vi. (b) Nōdum coniugij vinculo Pietatē sibi copulauit, qui vno aliquo mense, orationem quotidianam, conscientiæ examen vespertinum, Rosarij recitationē diariā, Confessionē hebdomadariā, Cōmunionē festiuā, frequentationē tēplorū cōtinuatā, auditionem Concionis dominicalem, aliaque Pietatis officia non negligit; sed qui vacat iis per totum annum, & qui sequuntur hanc inchoatam assiduè, destinatis opportunè temporibus, ex habitu. Sic enim ad conuiuendum ducta censetur Pietas, Obedientia, Castitas, Temperantia. Et hoc est esse Coniugem Sapientiæ.

De cuius cum Amatore Connubio cùm disserit ingeniosè S. Augustinus (c) docet illi accommodari posse id, quod Adam dixit ad Euam Genesis secundo cap. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Subiungit autem: *Os de ossibus propter fortitudinem, & Caro de carne propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animæ partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere.* Quæ si accuratius perpendantur, licebit alium quendam modum Connubij cum Sapiētiâ, ex Augustini consideratione inducere. Nam insinuat, in eo consistere Coniugiū Sapientiæ quod tam sit arcta eius cum Amatore suo copulatio, vt os ex ossibus, & caro de carne duci diciq; possit ab eius Amatore quia nimirū, ab illa Tēperantiam & Fortitudinem, aliasque virtutes trahit. Anne non hoc est indiuiduam vitæ societatem colere cum Sapientiâ? Denique, tertius quidam modus celebrandi connubium cum Sapientiâ consistit in eo, quod ita Sapientiam accipiat in suam Amator illius, vt ei regimen omne domus suæ, omnemque in se potestatem tradat, habeatque illam toto vitæ tempore, vt legitimam vxorem, sicut Abrahamus Saram: ceteras autem scientias non respiciat, nisi vt ancillas, quibus imperet Domina Sophia; sit Logica, Physica Metaphysica, iuris prudentia, Medicina, & multo magis Grammatica, tanquam Agar quæ Saræ inferuiat.

Nonnulla ex his suggerit D. Augustinus disputās in cap. 1. Ioan. Tract. 2. alicubi de nuptijs inter Animum & Carnem, siue, inter Spiritum & Sensualitatem, seu Appetitum carnalem: & post nonnulla: *Ponitur, inquit, Caro pro vxore, quomodo & aliquando, Spiritus pro marito. Quare? quia ille regit: hæc regitur. Ille imperare debet: ista seruire. Nam vbi Caro imperat,* ac

(a) Ioan. 2. vi. (b) Pietatis. (c) lib. 2. de Gen. contra Manichæos. cap. 3.

ac Spiritus seruit, peruersa domus est. Quid peius domo, vbi fœmina habet imperium super virum. Deducit hæc deinde pluribus vt solet, tum inducit exemplum ex familia Abrahæ. Sicut olim Abraham Patriarcha plures duxit, ita accidit Spiritui. Nō enim vnam vxorem sibi copulat, sed duas: Carnem scilicet, atque Sapientiam: nimirum, Agar & Saram: hæc enim Sapientiæ, illa Carnis gerit imaginem. Et quidem Sara quæ Sapientiæ atque Virtutis simulachrum exhibet, Domina est: Agar, quæ Carnem refert, ancilla. Quēadmodum autem Saræ prouida cura, ancilla suo cum filio domo eijcitur, ita, Sapientiæ ac Honestatis, veræque Virtutis industriā & solicitudine Cato, Carnisque turpes illecebræ, ac homine indignæ ex homine pelluntur, ac nunquam superstite, & rerum potiente Sara, redeunt vtinam ab omnibus essent exclusissimæ. Allegoriam eandem de Sara & Agar adfert Philo Hebræus, & Clemens Alexandrinus, viri vndequaque eruditissimi, vt doceant, Amatorem Sapientiæ non alio fine, tum litteris humanioribus, tum altioribus Scientijs, Logicæ, Physicæ, ac reliquis, operam nauare debere, quàm quatenus conducunt ad veram Sapientiam, quæ est ipsa Honestas, ac Virtus, adquirendam. *Non enim sumus apti prolem ex Virtute suscipere, nisi prius misceamur eius ancillæ. Est autem Sapientia, tanquam Sara Agar ancilla, illa, quæ in liberalibus Artibus Scientia ponitur, vt Musica, Logica & similes.* Ita Philo, Libro de Congressu eruditionis caussa. Quare monent ab omni æuo viri grauissimi, eò omnem studiorum contentionem, & studiosorum operam tendere debere, vt Sapientiam illam matrimonio sibi iungant, hunc oportere esse finem laboris operosi ac molesti, quem à puero in artium gymnasio impendimus. Non Magisterium, Licentiam, Doctoratum: non consequendos inde titulos, Assessoris, Consiliarij, Cancellarij: non Coronas, bacceas, laureas, aureas.

Hic dolere libet, & ingemiscere quorundam animi vilitatem, qui nihil aliud in suis studijs, & tot annorum molestissimis occupationibus spectare videntur, quàm fugacissimas illas, & frondea qualibet, aut fœnea magis fragiles Coronas. Studetur Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, Theologiæ, quo fine? vt coronentur: quilibet enim in sua Disciplina Coronam accipere contendit. Ea est honoratus Titulus vento fugacior, Magistri, Licentiati, Doctoris. O Vanitas! Longè prudentiores illi qui Sponsæ cælestis coniugio contenti, aliam non æstimant Coronam, quàm Gloriæ nunquā intermorituræ, felicitatis semper continuandæ, beatitatis iugiter permansuræ: Coronam verè incorruptibilem, & immarcescibilem: auream quoque & gemmeam: omni conuiuiali, connubiali, militari amæniorem, ac pretiosiorem. Quam vobis spondeo, & certo certius addico si abiurata malesuada meretricula Voluptate, spretisque mulierculæ leuissimæ Vanitatis nuptijs, vni vos Diuæ Sophiæ, Sapientiæ æternæ, desponsandæ, & connubio nunquam dissoluendo coniungendæ impenderitis, & ab eius Parente Coronati, ad Agni Immaculati nuptias admissi fueritis, futuri-

futuri in omnem æternitatem apud Superos laureati Philosophi: hoc est, quales vos esse desidero omnes, AMATORES DEI PATRIS & FILII & SPIRITVS-SANCTI.

Amen.

COMMENTATIO V.

CORONA

CHARITVM SEV GRATIARVM

Militari Obedientiæ in Ecclesiâ Militante, seu Militia Christi promissa, & donari solita.

Audi fili mi disciplinam patris tui: Et ne dimittas legem matris tuæ: Vt addatur Gratia capiti tuo, & Torques collo tuo. Prouer.1,8.

MEMBRVM I.

CORONÆ

Appetitus. Ambitio. Cupiditas. Prensatio.

INCREDIBILE est multorum desiderium, vt Coronato sint capite, vtque collo sint Torquati. Quod non tantùm viget hoc æuo in quàm plurimis, sed fuit semper, vel in ambitiosis, vel generosis vtriusque sexus pectoribus. Non accumulo, quæ olim apud Hebræos, & inter Gentes, aut barbaras, aut humanitate excultas, quales Græci & Romani, sunt actitata in hoc genere, ex ambitione vel appetitu Coronæ, pauculis contẽtus. In sacra Regum historia lego, (*a*) Amalezitam, cæso Saule, detulisse Coronam regiam de capite illius, vt rem desideratissimam ad Dauidem. Detestatus est ille quidem facinus iuuenis in Christum Domini manum mittere audentis, Coronam tamen retinuit, sibique imposuit. Quâ non contentus, aptauit capiti suo Coronam Regis Ammonitarum, quando Raab eius ciuitas primaria fuit capta, & depopulationi exposita. Ionathæ summo Pontifici, & Principi Iudæorum missa fuit Purpura & Corona aurea ab Alexandro Rege Syriæ, tanquam donum longè acceptissimum. vt lib.1. Machabæorum narratur. C. Iulius Cæsar ex omnibus honoribus sibi à senatu decretis, nullum libentius recepit, quàm ius Coronæ Laureæ perpetuò gestandæ. (*b*) Sed missis externis.

APVD Christianos nunquam fuit pertinacius, & Ecclesiæ Militanti magis detrimentosum certamen, quàm quando dimicatum fuit pro *Coronâ*. Hinc schismata in Sede Petri, adfectantibus Antipapis, legitimis Papis cedere nolentibus.

(*a*) *Lib.2 Reg.1. lib.1. Paralip.20* (*b*) *Histor. Rom. Sabellicus lib.VII. Ennead.6.*

bus. Quæ aliquando fuêre tam diuturna, vt viginti, triginta, quinquaginta immò pluribus annis orbem Christianum in partes distraxerint. Hinc inter Pontifices & Cæsares bella exitialia: his Coronam Imperialem, instanter, instantius, instantissimè postulantibus, vt debitam Electo; illis pertinaciter vel denegantibus, vt illegitimè ambitam, vel è Capite Coronatorum detrahentibus, vt præproperè aut sine iure acceptam, vel detentam. Vt mirari liceat HENRICI I Imperatoris modestiam qui, oblato Imperio, iurauit, Coronam Imperialem nunquam se capiti impositurum, aut permissurum vt ab alio id fiat. Quod ægrè tulerunt Principes Imperij, qui idcirco illum ad curiam Romanam citarunt. In qua fuit propterea excommunicatus, vt quidam scribit, (a) addens Henricum tribus annis excommunicationem illam sustinuisse. Tandem verò sub formâ iuris absolutum, cùm allegaret iuramentum quod fecerat; tulisse Pontificem sententiam: susciperet sane Imperium gubernandum: Coronam verò Imperialem capiti non imponeret, sed in baculo ante se gestari sineret, quod fecit Henricus. Hinc etiam num ferale illud bellum quo Germania tot lustris atteritur ac penè conficitur: Quæ enim caussa longissimi huius, & multiplicis belli, quod primò fuit *Bohemo-Austriacũ*, tum *Hungaricum*, mox *Germano Gothicum siue Sueticum*, adiuncto *Gallico*, quod hodieque trahitur quæ dico, fuit occasio quod principium mirabitur posteritas, immodicus Coronæ appetitus. Qui frequenter non minor est in fœminis, quàm in maribus. Accipite exemplum ex historia Imperatorum Orientalium.

MANVEL Imperator cùm filiam suam ex priore coniuge Gertrudis sorore vxoris Conradi III. Imperatoris Occidenti natam Raynerio filio Gulielmi Principis Montisferrati despondisset vxorem, renuit filia, & se nulli nupturam iuramento asseruit, nisi Coronato, nempe, Regi. Quod cùm Imperatori esset relatum, laudauit filiæ indolem, vt videbatur generosissimam, & verè regiam. Tum die vna se cum vxore Constantia, Alexium iuniorem, cum Agnete Ludouici Regis Francorum filia Sponsa, denique filium Marchionis Montis ferrati generum cum sua filia fecit coronari, dato ei Principatu Thessalonicensi, vbi secunda sedes erat post Constantinopolitanam, vt satisfieret filiæ desiderio ad Coronam per maritum aspirantis. Tanta est in vtroque sexu Coronæ appetentia, &, quæ Coronã comitatur, Torquis. Quocirca à Sapientia instructus Salomon, vt efficacissimè permoueret & exstimularet ad obseruantiam legum, paternarum simul & maternarum, siue superiorum quorumcumque; in quolibet statu, Principum & Magistratus in Republica, tum ciuili tum Ecclesiastica, Imperatorum ac Ducum, aliorumque Capitum in Militia, tum profana, tum sacra, Manuductorum, Doctorumque in quacumque disciplina, promittit obedientibus, quales maximè censentur esse, certè esse deberent, Milites,

CORONAM &
TORQVEM.

MEM-

(a) *Hermannus Gigas.*

MEMBRVM II.

CORONA CHARITVM SEV GRATIARVM.

Ornamentum Capitis, Intelligentiæ, Voluntatis.

HABET autem illa Sapientis pollicitatio sensum multiplicem, sed quemlibet proposito nostro per quam accommodatum. Chaldæus & Hebræus contextus hunc indicat; Lex patris & matris, si eam audieris, ac feceris, comparabit, & copulabit gratiam capiti tuo. Quia lex instruit intellectum, vt concipiat ea, quæ intelligere oportet, æquè ac eloqui inquit Rabbi Leui. At R. Abenesra, ita, ait lex & disciplina apta erunt capitis tui ornamenta, ac si aliquid gratiam concilians copulatum esset capiti tuo. Simplicius Franciscus Vatablus; *Gratiam addent capiti tuo: & vice Torquis erunt collo tuo.* Sunt qui pro eodem accipiunt, Gratiam capiti addendam, & Torquem collo. Siquidem vsurpabant Hæbræi, tanquam parœmiam vtrumque iungendo, quando significare volebant, siue in familiâ filium, siue in gymnasio litterario discipulum, siue in Republica ciuem, siue in Militiâ Militem, ita ornari per gratiam obedientiæ, aut exactam obseruantiam legum, sicut Corona ornat caput, & torques collum. Quare planissimum esse sensum existimant recentiores Interpretes istum. Si monita legesque parentum tuorum susceperis, opereque exercueris, illa te condecorabunt, & exornabunt, perinde ac *Corona* solet caput, & Torques aureus vel gemmeus collum exornare. Addunt vim comparationis. Quemadmodum enim Corona ex nexus florũ vel circulorum, Torques ex nexu annulorũ plectitur, acconrexitur, sic obedientiæ ac virtutũ Coronis, decor, & perfectio, ex varia accõtinua earundem operatione connectitur ac consummatur. Sed caput ac collum ad altiorẽ sensum trahunt nõnulli. Et quidem Diodorus Interpres, ita symbolicè exponit. Per verticẽ, siue caput, & collum Sapiens Mentem designat: per Torquem verò aureum, notitiam spiritualemque animi ornatum. *Aut certè, Torques aureus obedientiam, quam* DEO *debemus denotat: aut illud præsidium, quod ex sacris eloquijs peti conuenit.* Similiter Eusebius: *Quemadmodum* Mens *per verticem, ceruicemq́; ita Diuinarum rerum notitia per Coronam & Torquem exprimi solet.*

QVÆ quamuis benè sint excogitata, tamen latet quidpiam peculiare in voce CORONA, quæ obedientiam exactam domi, militiæque exercentibus parata est, & promittitur. Quæ-nam, & cuius Regni est ista Corona? Non est Corona Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ, Poloniæ, Britanniæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Regni vllius alterius terreni, aut Imperij. Ex quibus omnibus Coronis licet ex auro puro, gemmis, & vnionibus, si vna coalesceret, quæ singularũ haberet precium, & iaceret tibi ante pedes, scires autem quas haberet spinas curarum, molestiarum, cruciatuum, si saperes, manu nõ attolleres, multo minus, capiti imprimeres,

res. Non est etiam è Coronis aliqua à Romanis vsurpari solita, siue ex lauru, Triumphalis, siue ex gramine obsidionalis, siue ex auro Muralis, siue è myrto Oualis, siue è rostris Naualis. Quæ Coronæ omnes sunt scenicæ, ad iucundum, sed euanidum plebeculæ spectaculum. Quæ, qualisque ergo, est tam preciosa, tam æstimanda, tamque omnibus alijs præponenda, & ab omnibus in Militia Christiana bellantibus expetenda CORONA?

Στέφανος Χαρίτων, inquiũt LXXta. apud Hebræos Sapientes Interpretes, CORONA CHARITVM, siue GRATIARVM. Quicquid nomen, Gratia, apud Latinos continet, aut significat, quod nullis donorum aut beneficiorum terminis continetur, quia ad quælibet separatim iunctimque extenditur; quicquid celebratissimæ olim. apud veteres Theologos, qui arcana Sapientiæ fabularum velamentis occultabant CHARITES denotabant; quicquid in Theologia Scholastica Gratiæ nomine exprimitur, aut inuoluitur, quod ingentibus voluminibus nunquam satis declaratur, CORONA illa, quæ ab Ecclesia Militante, Matre nostra, cui Sacramentum diximus, promissa est, suis mandatis optemperantibus complectitur. Itaque quicquid à Deo Opt. Max. datur gratis, id est. beneficia eius omnia; quicquid gratum DEO hominem facit, sanctitas, iustitia, caritas; quicquid hominem reddit gratiosum, humanitas, affabilitas, comitas; quicquid gratia actualis, quicquid habitualis importat, Coronâ gratiarum insinuatur. Quicquid per *aglaiam*, charitum primam, ab hilaritate dictam, quicquid per *Thaliam* semper virentem & immarcessibilem, Charitum alteram, denique, quicquid per *Euphrosynem* oblectationis parentem, charitum vltimam oculis intelligentiæ altioris objicitur, *Corona Charitum* exhibet. Qua, si audiueris disciplinam patris tui; & non dimiseris legem matris tuæ: id est, si in Militiâ Christianâ, in qua Matrem castrorum agit Ecclesia, Militans, estque DEVS supremus Pater & Imperator, ornaberis.

MEMBRVM III.

CORONA CHARITVM SIVE GRATIARVM,

Agonistica, Athletica, Militaris.

NON est penè efficacius incitamentum ad heroicum aliquod facinus, ac difficultatibus impeditum animosè aggrediendum, illudque constanter, disiectis omnibus, quæ occurrere solent, aut possunt, obstaculis, ad finem perducendum, quàm pollicitatio, & multo magis ostentatio CORONÆ. Ad Coronæ conspectum, immò, spem de longinquo, pugnat alacriter, nec sanguine per corpus defluente, desistit generosus miles, vitam ponere paratus, vt Coronam accipiat. Pro Corona certat in arenâ pugil, currit in stadio agonista, contendit in palæstrâ luctator, tempestatibus in mari se objicit nauclerus, enses non metuit

metuit gladiator in orchestrâ. denique, nihil est periculorum, nihil molestiarum, nihil laboris, quod subire detrectet, qui certus est se idcirco Coronandum. Itaque optimus Magister morum Salomon, animaduertens innatam omnibus cupiditatem indipiscendi *Coronam*, offert illam filio, audienti aure, & corde, disciplinam patris, per quem primariò DEVS intelligitur, à quo omnis paternitas, quique est Imperator Supremus Militiæ Christianæ; & non dimittenti, id est, non obliuiscenti, sed memoriâ semper recolenti, ac obseruanti legem Matris, quæ nobis est Ecclesia Catholica, in terris Militans, cuius vexillum sequimur. Coronam autem illam nobis promissam esse magis æstimandam, & magis preciosam, ideoque desiderabiliorem (liceat ita loqui) super aurum & topazion proximè, non solùm significauimus, sed in nos fallat propria opinio, satis, superque probauimus: at nondum. Qualis nam sit, sat clarè expressimus. Id nunc agamus.

POST longam de Coronarum generibus considerationem, venit in mentem AGONISTICA, quæ in agone contendentibus dabatur. Hanc, & per *Coronam gratiarum*, & per *Torquem colli* significari existimant, Venerab Beda, & Cardinalis Hugo, qui sic Salomonis mentem exprimunt Filius, qui DEO imprimis, tum parentibus, aurem, animumque accommodant, id est, qui Diuinis humanisque legibus obtemperat, tanquã gloriosus in certamine Victor, Coronam & Torquem consequetur. Et est sanè bella comparatio Adolescentis in domo parentis Militiam Sacram ingressi, & cum vitijs ac concupiscentijs alacriter depugnantis cum Athletis, & Agonistis. Quæ vt illustretur, quoniam ad Militiam Christiani spectat, & doctrinã continet, tam parentibus, quam filijs perutilem, præmitto, quod habet S. Chrysostomus homiliã de Annâ matre Samuelis Prophetæ, ac Iudicis populi Hebraici, & de eius educatione, cùm esset sub potestate ac curâ matris. Scribit eloquentissimus ille Pater, vsitatum fuisse apud antiquos, vt parentes filios suos, etiamnũ pueros & paruulos, quos fortes euadere, robustosque & bonos aliquando Milites exoptabant, in gymnasticâ & pugillatu exerceri curarent, mitterentque ad palæstram, vt quasi per lusum, præludia certaminis serij præmittendo, ad militiam se aptarent. Cuius moris vestigium hodieque in Hispania aliquod cerni auctor est Ferdinandus Salazarius Hispanus; qui scribens in Prouerbiorum cap. 1. refert ibi Optimatum, nobiliumque pueros, certaminum Patronos, vulgo *Padrinos* vocant, creari, ijsque interesse cum auctoritate aliquâ, si non omninò præsunt. Quo pacto mirum in modum, non ad ludicra tantùm certamina domi, sed ad seria quoque foris, & in Militiâ suscipienda & fortiter obeunda exacuuntur. Itaque D. Chrysostomus, ducta ab huiusmodi certaminibus similitudine, parentes ad rectam honestamque filiorum educationem in hunc modum exhortatur. Nonne videtis frequenter, quod „ qui in vrbibus versantur, pueros haud „ ita pridem à lacte depulsos faciunt „ *Thallophoros*, aut *Agonothetas*, aut cer- „ taminum præsides, & choreatum ma- „

„ gistros? Idem & nos faciamus: à pri„ mis statim annis inducamus filios & „ pueros nostros ad disciplinam Reipublicæ cælestis. Quæ-nam est ista? quam diu in hac vita mortali agimus, non est alia quàm *Militia Christiana*, prout illam nos depinximus. In hac assuescant pueri nostri, esse Thallophori, qui apud Græcos dicebantur, quorum erat ramos victoriæ indices gestare; & Agonothetæ, qui certantibus leges & iura dabant.

DEINDE, subiungit Constantinopolitanus Orator, alia manere præmia, alios applausus consequi, alias Coronas, & Torques mereri & expectare illos, qui in exercitatione spirituali, sub paternâ curâ profecerint, quàm quæ olim in ludicris illis pompis ostentabantur. Nimirum, qui à puero benè institutus in disciplinâ Christianâ, pugnat cum vitijs & concupiscentijs, repellit petulantiam, adsciscit modestiam, superat superbiam, deuincit lasciuiam, fugat iracundiam, iugulat gulam, profligat inuidiam, domat ferociam, mactat acediam, Corona donatur precij inæstimabilis, quæ nunquam atteritur, nunquam detrimentum patitur, nunquam non gestatur in capite, quia est incorruptibilis, immarcessibilis, æterna. *Terrena disciplina*, inquit Chrysostomus, Militia profana, dicimus nos, *cùm impendium habeat, fructum tamen nullum adfert. Nam nec à Corona, nec à magnifica veste, nec à reliquo fastu vniuerso, conceptam voluptatem si quærant* Milites profani, arrogantiæ, auaritiæ, libidinis, aliorumque Vitiorum mancipia, homines Mundo, mundanisque vanitatibus dediti, *inuenire queunt, quod omnia illa quouis vento celerius prætercurrant*, immò, auolent. Quod conuenit cum illo Philonis Hebræi: *Sunt somnijs simillima: veniunt, abeunt: occurrunt, refugiunt: priusquam comprehendantur euolant, vt somnium, & visio nocturna.* At, Militiæ Christianæ dediti, si fortiter pugnauerint, & de hoste gloriosam reportauerint victoriam, ad cælestem translati politiam, omnia secus experientur. Lucrum est ibi impendium, gratulatio sine inuidia, applausus sine simulatione. *Illic non homines ebrij sed Angelorum populus adplaudit Victori: quid dixi, Angelorum populus? ipse Angelorum Dominus laudat triumphantem*, inquit D. Chrysostomus. In cælesti patria, quò per sacras Militiæ Christianæ exercitationes tendimus, *non vno altero-ue die, sed in æternum triumphat, illic gestans* Coronam: *nec vnquam ibi caput illud videbis ea nudatum gloriâ. Hanc celebritatem non modo mares, sed filiæ quoque, & teneræ puellæ consequuntur. Neque enim quemadmodum in mortali hac vita viris tantùm certamen militare imperatur, & triumphus decernitur, ita in cælesti contingit*, verùm & fæminas ibi recipit theatrum, & non minus, quàm viri, bellatrices, Viragines, & heroinæ Coronantur.

HAC cohortatione disertissimus ille Ecclesiastes ad popularem captum accommodata, suadere conatur parentibus, vt filios suos à teneris ad religionē, pietatem, omniumque virtutum cultum exercere satagant, vt doceant pugnare cum hostibus animæ, quæ sunt vitia, vt disserant apud eos frequenter de *Corona*, quam accepturi sint, si constanter in hoc pugnādi genere perstiterint; denique, vt sæpe

ſæpe moneant, transferendas ijs eſſe cogitationes & deſideria de Coronis pictis ad veras, de fugacibus ad conſtantes, de terrenis ad cæleſtes, de temporaneis ad æternas. Hic commendandum eſt parentum quorundam ſtudium qui cùm animaduertunt, filiolos ſuos in prima ſtatim ætate religionis officia exercere, aras domi extruere, icunculis ornare cubile, Sacerdotum, Clericorumque in morem, cantum Eccleſiaſticum imitari, ſuggeſtum erigere, indeque ad domeſticos, concionatoris ritu, dicere, & his ſimilia præſtare, ac prælùdere, vel Clericalibus, vel monaſticis muneribus, non adprobant ſolùm atque dilaudant; verùm etiam impellunt ad ea ipſa, & perquam libenter liberos ſuos in ijs inſtituunt, vel pædagogos qui condocefaciant præficiunt. Nam præterquam quod ex rebus iſtiuſmodi futurorum euentuum omina captentur, haud omninò temerariè, vt accidit in D. Athanaſio, qui puer adhuc Epiſcopum agebat, & Epiſcopi in morem baptizabat; parentes ea demonſtratione paruulos ſuos animant ad veram pietatis exercitationem poſtquam ad maturiorem ætatem peruenerint.

E contrario, reprehenſione digniſſimi ſunt parentes illi, eorumque execranda, ſi non malignitas, quæ non ſemper fortaſſe interuenit; certè, ſtupiditas, ac ſtulta ſimplicitas, qui pueros, deindeque adoleſcentulos, vtriuſque ſexus liberos ſuos, à teneris aſſuefaciunt, vel exercent ipſi, verbo, aut exemplo; vel ſub aſpectu ſuo exerceri ſinunt in omnis impietatis præludijs, in luſibus chartarum, & alearum, in turpibus cantilenis, in ſaltibus ac choreis meretricijs, in procantium artibus venereis. Et illi, qui aptant eoſdem illos ſuos ad omnem vanitatem in cultu corporis, tum in cæſarie ventilanda, criſpanda, detorquenda, circinanda: tum in veſtitu ad lenonios penè, ac hiſtrionicos modos accommodando: in quo matrum maior erga ſuos Beniaminos, quàm patrum erga Eſauos culpa eſt; tum in habenis laxandis ad omnem in dicendo, faciendoque petulantiam. Peiores iam deſignatis ſunt ij, qui tenellos ſuos in illa ætatula, verbo, aut exemplo ad egregiè potitandum, mentiendum, blaſphemandum, & his magis nefanda, (dum in conſpectu illorum iſtiuſmodi liberrimè & ſimul ſceleratiſsimè committunt) liberorum ſuorum, quoad corpus, patres, quoad animas, peremptores incitant, erudiunt, exercent. Quo nullum in parentibus, quà parentibus, crimen facilè reperies enormius: & tamen haud eſt infrequens: de quo an confiteantur, vt debent, nouit Dominus. Hoc eſt filios non in prælùdijs Reipublicæ cæleſtis, ſed in progymnaſmatis Synagogæ infernalis exercere, non ad decus, ſed ad ignominiam; non ad honeſtatem, ſed ad turpitudinem; non ad religionem, ſed ad impietatem; non ad amorem, ſed ad odium Dei; non ad virtutem, ſed ad vitium, denique, non ad gloriam Cæli, ſed ad æternum ſupplicium inferni pignora ſua inſtituere, & tranſmittere. Quod quoniam non eſt amantiſsimorum parentum, ſed crudeliſsimorum carnificum: & quia patris diſciplina ſolet eſſe, certè, deberet eſſe, ad omnem honeſtatem, virtutemque in filijs promouendam efficaciſsima, lex

verò matris ad omnem pietatem persuadendam potentissima, idcircò Salomon sine vlla exceptione edicit: *Audi fili mi disciplinam patris, & , ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur* Corona Gratiarum *Capiti tuo, & Torques collo tuo.*

MEMBRVM IV.

CORONA CHARITVM, SIVE GRATIARVM,

Castrensis, Ciuica, Muralis, Triumphalis, Pulchritudinis, Gloriæ, Deliciarum, Amarantina.

SAPIENTISSIMVS Ecclesiastes, idemque Princeps prudentissimus Salomon, vt induceret auditores ac subditos suos ad obseruantiam legum paternarum ac maternarum, diuinarum ac humanarum, æternarum ac temporalium, iudicialium ac ceremonialium, denique cuiuscumque sint denominationis, modò sint DEI, tanquam patris, & Synagogæ tunc, Ecclesiæ militantis nunc, tanquam matris, non proponit in præmium conuiuia, in ijsque esculenta & poculenta omnis generis sapidissima, non diuitias, non dignitates, non voluptates, sed, quæ omnia hæc, & plura alia, virtute continet, CORONAM: *Vt addatur* gratia, *id est*, Corona, vel gratiarum Corona *capiti tuo*. Et sanè frequentissimè in Diuinis Litteris, vt exstimulentur homines ad satisfaciendum officio, aut strenuè agendum in munere ipsis imposito, promittitur præmium longè desideratissimum, CORONA. Isaias Propheta, (a) eleganter, vt erat è regio stemmate, semper loquens, inducit Iustum, DEOque ob heroica facinora percarum sibi congratulantem: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in* DEO *meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento Iustitiæ: circumdedit me, quasi Sponsum decoratum Corona.* Qua circumscriptione exprimit *Coronam* pulcherrimam & preciosissimam, quippe, quæ regiarum nuptiarum magnificentiam deceat, & commendet. Dauid Rex agens de præmio optatissimo omnium DEO fideliter militantium, ita canit. (b) *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius* Coronam *de lapide precioso.* En complementum desideriorum, orationum, benedictionum, Corona. Prouerbiorum VIII. post multa Sapientiam colentium munera liberaliter ijs oblata, tandem sequitur: *Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, &* Corona inclyta *proteget te.*

IN Nouo Testamento creberrimè *Corona* eodem fine nominatur. Iacobus Apostolus capite I. Epistolæ suæ Catholicæ: *Beatus vir qui suffert tentationem*, qui inter Christi milites adscriptus, in campum lacessitus progreditur, hosti se sistit, arma expedit, pugnat fortiter: *quoniam cùm probatus fuerit*, cùm præclarè se habuerit, cùm aduersarium strauerit, cum victor è prælio redierit, *accipiet Coronam vitæ.* Apocalypsis II. X. *Esto fidelis vsque ad mortem*,

(a) Cap. lxi. (b) Psal. xx. 3. 4.

mortem, & dabo tibi Coronam vitæ. At cur dicitur vitæ? An vt significetur, eam esse semper viuam, & perennem, quæ in æuum sempiterum efflorescat? (*a*) quasi dicas Lauream semper viuam, semper virentem, quæ nunquam sua amænitate ac decore spolietur. Quam necesse est infinitis partibus antecire illam Oleam in Coronario Græcorum opere longè clarissimam, quam Elei in campo Olympi coseuerant, vt victores inde Coronis donarentur: (*b*) nam nostra est *Immarcessibilis*, vt loquitur Petrus Apostolus.

An quia, est vitæ æternæ, ac gloriosæ, nec enim ab ipsa Beatorum degentium in æternitatis viridario Gloria distinguitur, nisi nomine. An quia est Corona viua & animata? Cùm enim sit vitalis visio ac fruitio DEI, vitam in se continet, quia Coronatos animat. An quia, vt Vita bonorum cumulum indicat, ita illa, quicquid boni honesti, vtilis, iucundi excogitari potest, complectitur? omne gaudium, omnes delicias, omnem honestatem, simulque amænitatem. An denique, quia est præmium vitæ, in Militia Christiana laboriosè, patienter, simulque fortiter, & constanter peractæ? Certè, Paulus Apostolus in hac Militiâ càpi ductor egregius, nomine Imperatoris spondebat commilitonibus suis, Coronandos esse illos, qui legitimè certauerint. (*c*) Atque ita incitabat omnes Christianos vt sui imitatione fortiter agerent, cum hoste congrederentur, vsque ad vltimum spiritum depugnarent, sic fore, vt tandem Coronarentur. Nam & ipsi vsurpare possent illud fiduciæ plenum carmen: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi* Corona Iustitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

Hoc Coronæ aliquando indipiscendæ inuitamento allecti olim Christi Milites, facilè spernebant, quicquid à Mundo, Carne, Cacodæmone offerebatur ornamentorum, & Coronarum; quicquid voluptatum, & deliciarum: patriam, parentes, vxorem, fratres, amicos, fænus, epulas, vestes. Hanc fuisse persuasionem omnium Christi fidelium primis Ecclesiæ temporibus, quamuis sub vexillo Imperatoris Gentilis stipendia facerent, argumento est fortissimus ille Miles, cuius encomium texit Tertullianus, aureo illo opusculo, De CORONA *Militis*; qui egregio facinore Castrensem meritus, illam capite circumferre in pompam recusauit, quod Christianum se esse diceret: Christianos autem in cælo Coronandos. Obijciebant audaculi quidam: *solus libero capite, coronamento in manu ocioso ambulas? Cur non cum ceteris coronaris?* Delatus ad Tribunum: negauit, cum ceteris sibi licere capite esse coronato in terris, qui Coronam exspectaret in cælis. Idcirco, vt loquitur Afer ille *russatus sanguine suo, spe calceatus, de paratura Euangelij succinctus acutiore Verbi* DEI, *totus de Apostolo armatus, & de Martyrij candida laurea melius Coronatus*, *donatiuum Christi in carcere expectabat.*

AT qualis nam est ista *Corona*, quam suis Satellitibus supremus Imperator pro-

(a) ἀειθαλῆ. *Semper viua, virens, immarcessibilis.* (b) *Arist. de mirabil. auscultat. Corona animata.* (c) 2. *Ad Timoth.* 4.

verò matris ad omnem pietatem persuadendam potentissima, idcircò Salomon sine vlla exceptione edicit: *Audi fili mi disciplinam patris, & , ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur* Corona Gratiarum *Capiti tuo, & Torques collo tuo.*

MEMBRUM IV.

CORONA CHARITUM, SIVE GRATIARUM,

Castrensis, Ciuica, Muralis, Triumphalis, Pulchritudinis, Gloriæ, Deliciarum, Amarantina.

SAPIENTISSIMUS Ecclesiastes, idemque Princeps prudentissimus Salomon, vt induceret auditores ac subditos suos ad obseruantiam legum paternarum ac maternarum, diuinarum ac humanarum, æternarum ac temporalium, iudicialium ac ceremonialium, denique cuiuscumque sint denominationis, modò sint DEI, tanquam patris, & Synagogæ tunc, Ecclesiæ militantis nunc, tanquam matris, non proponit in præmium, conuiuia, in ijsque esculenta & poculenta omnis generis sapidissima, non diuitias, non dignitates, non voluptates, sed, quæ omnia hæc, & plura alia, virtute continet, CORONAM: *Vt addatur* gratia, *id est*, Corona, vel gratiarum Corona *capiti tuo*. Et sanè frequentissimè in Diuinis Litteris, vt exstimulentur homines ad satisfaciendum officio, aut strenuè agendum in munere ipsis imposito, promittitur præmium longè desideratissimum, CORONA. Isaias Propheta, (a) eleganter, vt erat è regio stemmate, semper loquens, inducit Iustum, DEOque ob heroica facinora peractum sibi congratulantem: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in* DEO *meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ: circumdedit me, quasi Sponsum decoratum Corona.* Qua circumscriptione exprimit *Coronam* pulcherrimam & preciosissimam, quippe, quæ regiarum nuptiarum magnificentiam deceat, & commendet. Dauid Rex agens de præmio optatissimo omnium DEO fideliter militantium, ita canit. (b) *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius* Coronam *de lapide preciosa.* En complementum desideriorum, orationum, benedictionum, Corona. Prouerbiorum VIII. post multa Sapientiam colentium munera liberaliter, ijs oblata, tandem sequitur: *Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, &* Corona inclyta *proteget te.*

IN Nouo Testamento creberrimè *Corona* eodem fine nominatur. Iacobus Apostolus capite I. Epistolæ suæ Catholicæ: *Beatus vir qui suffert tentationem*, qui inter Christi milites adscriptus, in campum lacessitus progreditur, hosti se sistit, arma expedit, pugnat fortiter: *quoniam cùm probatus fuerit*, cùm præclarè se habuerit, cùm aduersarium strauerit, cum victor è prælio redierit, *accipiet Coronam vitæ*, Apocalypsis II. X. *Esto fidelis vsque ad mortem*,

(a) *Cap. lvi.* (b) *Psal. xx. 3. 4.*

mortem, & dabo tibi Coronam vitæ. At cur dicitur vitæ? An vt significetur, eam esse semper viuam, & perennem, quæ in æuum sempiterum efflorescat? *(a)* quasi dicas, Lauream semper viuam, semper virentem, quæ nunquam sua amænitate ac decore spolietur. Quam necesse est infinitis partibus antecellere illam Oleam in Coronario Græcorum opere longè clarissimam, quam Elei in campo Olympi coseuerant, vt victores inde Coronis donarentur: *(b)* nam nostra est *Immarcessibilis*, vt loquitur Petrus Apostolus.

An quia, est vitæ æternæ, ac gloriosæ, nec enim ab ipsa Beatorum degentium in æternitatis viridario Gloria distinguitur, nisi nomine. An quia est Corona viua & animata? Cùm enim sit vitalis visio ac fruitio DEI, vitam in se continet, quia Coronatos animat. An quia, vt Vita bonorum cumulum indicat, ita illa, quicquid boni honesti, vtilis, iucundi excogitari potest, complectitur? omne gaudium, omnes delicias, omnem honestatem, simulque amænitatem. An denique, quia est præmium vitæ, in Militia Christiana laboriosè, patienter, simulque fortiter, & constanter peractæ? Certè, Paulus Apostolus in hac Militiâ cāpi ductor egregius, nomine Imperatoris spondebat commilitonibus suis, Coronandos esse illos, qui legitimè certauerint. *(c)* Atque ita incitabat omnes Christianos vt sui imitatione fortiter agerent, cum hoste congrederentur, vsque ad vltimum spiritum depugnarent, sic fore, vt tandem Coronarentur. Nam & ipsi vsurpare possent illud fiduciæ plenum carmen: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi* Corona Iustitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

Hoc Coronæ aliquando indipiscendæ inuitamento allecti olim Christi Milites, facilè spernebant, quicquid à Mundo, Carne, Cacodæmone offerebatur ornamentorum, & Coronarum; quicquid voluptatum, & deliciarum: patriam, parentes, vxorem, fratres, amicos, fœnus, epulas, vestes. Hanc fuisse persuasionem omnium Christi fidelium primis Ecclesiæ temporibus, quamuis sub vexillo Imperatoris Gentilis stipendia facerent, argumento est fortissimus ille Miles, cuius encomium texit Tertullianus, aureo illo opusculo, De CORONA *Militis*; qui egregio facinore Castrensem meritus, illam capite circumferre in pompam recusauit, quod Christianum se esse diceret: Christianos autem in cælo Coronandos. Obijciebant audaculi quidam: *solus libero capite, coronamento in manu ocioso ambulas? Cur non cum ceteris coronaris?* Delatus ad Tribunum: negauit, cum ceteris sibi licere capite esse coronato in terris, qui Coronam exspectaret in cælis. Idcirco, vt loquitur Afer ille *russatus sanguine suo, spe calceatus, de paratura Euangelij succinctus acutiore Verbi* DEI, *totus de Apostolo armatus, & de Martyrij candida laurea melius Coronatus, donatiuum Christi in carcere expectabat.*

AT qualis nam est ista *Corona*, quam suis Satellitibus supremus Imperator pro-

(a) ἀθαλὴς. *Semper viua, virens, immarcessibilis.* (b) *Arist. de mirabil. auscultat. Corona animata.* (c) *2. ad Timoth.* 4.

verò matris ad omnem pietatem persuadendam potentissima, idcircò Salomon sine vlla exceptione edicit: *Audi fili mi disciplinam patris, & , ne dimittas legem matris tua, vt addatur* Corona Gratiarum *Capiti tuo, & Torques collo tuo.*

MEMBRVM IV.

CORONA CHARITVM, SIVE GRATIARVM,

Castrensis, Ciuica, Muralis, Triumphalis, Pulchritudinis, Gloriæ, Deliciarum, Amarantina.

SAPIENTISSIMVS Ecclesiastes, idemque Princeps prudentissimus Salomon, vt induceret auditores ac subditos suos ad obseruantiam legum paternarum ac maternarum, diuinarum ac humanarum, æternarum ac temporalium, iudicialium ac ceremonialium, denique cuiuscumque sint denominationis, modò sint DEI, tanquam patris, & Synagogæ tunc, Ecclesiæ militantis nunc, tanquam matris, non proponit in præmium conuiuia, in ijsque esculenta & poculenta omnis generis sapidissima, non diuitias, non dignitates, non voluptates, sed, quæ omnia hæc, & plura alia, virtute continet, CORONAM: *Vt addatur* gratia, *id est*, Corona, vel gratiarum Corona *capiti tuo*. Et sanè frequentissimè in Diuinis Litteris, vt exstimulentur homines ad satisfaciendum officio, aut strenuè agendum in munere ipsis imposito, promittitur præmium longè desideratissimum, CORONA. Isaias Propheta, (a) eleganter, vt erat è regio stemmate, semper loquens, inducit Iustum, DEOque ob heroica facinora peractum sibi congratulantem: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in* DEO *meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento Iustitiæ: circumdedit me, quasi Sponsum decoratum Corona.* Qua circumscriptione exprimit *Coronam* pulcherrimam & preciosissimam, quippe, quæ regiarum nuptiarum magnificentiam deceat, & commendet. Dauid Rex agens de præmio optatissimo omnium DEO fideliter militantium, ita canit. (b) *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius* Coronam *de lapide preciosa.* En complementum desideriorum, orationum, benedictionum, Corona. Prouerbiorum VIII. post multa Sapientiam colentium munera liberaliter ijs oblata, tandem sequitur: *Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, &* Corona inclyta *proteget te.*

IN Nouo Testamento creberrimè *Corona* eodem fine nominatur. Iacobus Apostolus capite I. Epistolæ suæ Catholicæ: *Beatus vir qui suffert tentationem*, qui inter Christi milites adscriptus, in campum lacessitus progreditur, hosti se sistit, arma expedit, pugnat fortiter: *quoniam cùm probatus fuerit*, cùm præclarè se habuerit, cùm aduersarium strauerit, cum victor è prælio redierit, *accipiet Coronam vitæ*, Apocalypsis II. X. *Esto fidelis vsque ad mortem*,

(a) Cap. lvi. (b) Psal. xx. 3. 4.

mortem.& dabo tibi Coronam vitæ. At cur dicitur vitæ? An vt significetur, eam esse semper viuam, & perennem, quæ in æuum sempiterum efflorescat? (a) quasi dicas, Lauream semper viuam, semper virentem, quæ nunquam sua amænitate ac decore spolietur. Quam necesse est infinitis partibus antecellere illam Oleam in Coronario Græcorum opere longè clarissimam, quam Elei in campo Olympico seuerant, vt victores inde Coronis donarentur: (b) nam nostra est *Immarcessibilis*, vt loquitur Petrus Apostolus.

An quia, est vitæ æternæ, ac gloriosæ, nec enim ab ipsa Beatorum degentium in æternitatis viridario Gloria distinguitur, nisi nomine. An quia est Corona viua & animata? Cùm enim sit vitalis visio ac fruitio DEI, vitam in se continet, quia Coronatos animat. An quia, vt Vita bonorum cumulum indicat, ita illa, quicquid boni honesti, vtilis, iucundi excogitari potest, complectitur? omne gaudium, omnes delicias, omnem honestatem, simulque amænitatem. An denique, quia est præmium vitæ, in Militia Christiana laboriosè, patienter, simulque fortiter, & constanter peractæ? Certè, Paulus Apostolus in hac Militiâ câpi ductor egregius, nomine Imperatoris spondebat commilitonibus suis, Coronandos esse illos, qui legitimè certauerint. (c) Atque ita incitabat omnes Christianos vt sui imitatione fortiter agerent, cum hoste congrederentur, vsque ad vltimum spiritum depugnarent, sic fore, vt tandem Coronarentur. Nam & ipsi vsurpare possent illud fiduciæ plenum carmen: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi* Corona Iustitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

Hoc Coronæ aliquando indipiscendæ inuitamento allecti olim Christi Milites, facilè spernebant, quicquid à Mundo, Carne, Cacodæmone offerebatur ornamentorum, & Coronarum; quicquid voluptatum, & deliciarum: patriam, parentes, vxorem, fratres, amicos, fœnus, epulas, vestes. Hanc fuisse persuasionem omnium Christi fidelium primis Ecclesiæ temporibus, quamuis sub vexillo Imperatoris Gentilis stipendia facerent, argumento est fortissimus ille Miles, cuius encomium texit Tertullianus, aureo illo opusculo, De CORONA *Militis*; qui egregio facinore Castrensem meritus, illam capite circumferre in pompam recusauit, quod Christianum se esse diceret: Christianos autem in cælo Coronandos. Obijciebant audaculi quidam: *solus libero capite, coronamento in manu otioso ambulas? Cur non cum ceteris coronaris?* Delatus ad Tribunum: negauit, cum ceteris sibi licere capite esse coronato in terris, qui Coronam exspectaret in cælis. Idcirco, vt loquitur Afer ille *russatus sanguine suo, spe calceatus, de paratura Euangelij succinctus acutiore Verbi* DEI, *totus de Apostolo armatus, & de Martyrij candida laurea melius Coronatus, donatiuum Christi in carcere expectabat.*

AT qualis nam est ista *Corona*, quam suis Satellitibus supremus Imperator pro-

(a) ἀμάραντος. *Semper viua, virens, immarcessibilis.* (b) *Arist. de mirabil. auscultat. Corona animata.* (c) *2. ad Timoth. 2.*

verò matris ad omnem pietatem persuadendam potentissima, idcirco Salomon sine vlla exceptione edicit: *Audi fili mi disciplinam patris, & , ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur* Corona Gratiarum *Capiti tuo, & Torques collo tuo.*

MEMBRVM IV.

CORONA CHARITVM, SIVE GRATIARVM,

Castrensis, Ciuica, Muralis, Triumphalis, Pulchritudinis, Gloriæ, Deliciarum, Amarantina.

SAPIENTISSIMVS Ecclesiastes, idemque Princeps prudentissimus Salomon, vt induceret auditores ac subditos suos ad obseruantiam legum paternarum ac maternarum, diuinarum ac humanarum, æternarum ac temporalium, iudicialium ac ceremonialium, denique cuiuscumque sint denominationis, modò sint DEI, tanquam patris, & Synagogæ tunc, Ecclesiæ militantis nunc, tanquam matris, non proponit in præmium, conuiuia, in ijsque esculenta & poculenta omnis generis sapidissima, non diuitias, non dignitates, non voluptates, sed, quæ omnia hæc, & plura alia, virtute continet, CORONAM: *Vt addatur* gratia, *id est*, Corona, vel gratiarum Corona *capiti tuo*. Et sanè frequentissimè in Diuinis Litteris, vt exstimulentur homines ad satisfaciendum officio, aut strenuè agendum in munere ipsis imposito, promittitur præmium longè desideratissimum, CORONA. Isaias Propheta, (a) eleganter, vt erat è regio stemmate, semper loquens, inducit Iustum, DEOque ob heroica facinora percatum sibi congratulantem: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in* DEO *meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento Iustitiæ: circumdedit me, quasi Sponsum decoratum Corona.* Qua circumscriptione exprimit *Coronam* pulcherrimam & pretiosissimam, quippe, quæ regiarum nuptiarum magnificentiam deceat, & commendet. Dauid Rex agens de præmio optatissimo omnium DEO fideliter militantium, ita canit. (b) *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius* Coronam *de lapide pretioso.* En complementum desideriorum, orationum, benedictionum, Corona. Prouerbiorum VIII. post multa Sapientiam colentium munera liberaliter ijs oblata, tandem sequitur: *Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, &* Corona inclyta *proteget te.*

IN Nouo Testamento creberrimè *Corona* eodem fine nominatur. Iacobus Apostolus capite I. Epistolæ suæ Catholicæ: *Beatus vir qui suffert tentationem*, qui inter Christi milites adscriptus, in campum lacessitus progreditur, hosti se sistit, arma expedit, pugnat fortiter; *quoniam cùm probatus fuerit*, cùm præclarè se habuerit, cùm aduersarium strauerit, cum victor è prælio redierit, *accipiet Coronam vitæ*. Apocalypsis II. x. *Esto fidelis vsque ad mortem*,

(a) Cap. lxi. (b) Psal. xx. 3. 4.

mortem.& dabo tibi Coronam vitæ. At cur dicitur vitæ? An vt significetur, eam esse semper viuam,& perennem, quæ in æuum sempiternum efflorescat? (*a*) quasi dicas,Lauream semper viuam, semper virentem,quæ nunquam sua amænitate ac decore spolietur. Quam necesse est infinitis partibus antecellere illam Oleam in Coronario Græcorum opere longè clarissimam,quam Elei in campo Olympico seuerant, vt victores inde Coronis donarentur:(*b*) nam nostra est *Immarcessibilis*,vt loquitur Petrus Apostolus.

An quia,est vitæ æternæ, ac gloriosæ, nec enim ab ipsa Beatorum degentium in æternitatis viridario Gloria distinguitur,nisi nomine. An quia est Corona viua & animata? Cùm enim sit vitalis visio ac fruitio DEI,vitam in se continet, qua Coronatos animat. An quia, vt Vita bonorum cumulum indicat, ita illa, quicquid boni honesti,vtilis,iucundi excogitari potest , complectitur ? omnê gaudium,omnes delicias,omnem honestatem,simulque amænitatem. An denique,quia est præmium vitæ, in Militia Christiana laboriosè,patienter, simulque fortiter,& constanter peractæ? Certè,Paulus Apostolus in hac Militiâ câpi ductor egregius,nomine Imperatoris spondebat commilitonibus suis , Coronandos esse illos, qui legitimè certauerint. (*c*) Atque ita incitabat omnes Christianos vt sui imitatione fortiter agerent,cum hoste congrederentur, vsque ad vltimum spiritum depugnarent, sic fore, vt tandem Coronarentur. Nam & ipsi vsurpare possent illud fiduciæ plenum carmen: *Bonum certamen certaui,cursum consummaui,fidem seruaui.In reliquo reposita est mihi* Corona Iustitiæ,*quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi,sed & ijs,qui diligunt aduentum eius.*

Hoc Coronæ aliquando indipiscendæ inuitamento allecti olim Christi Milites.facilè spernebant,quicquid à Mundo,Carne, Cacodæmone offerebatur ornamentorum,& Coronarum; quicquid voluptatum,& deliciarum : patriam,parentes,vxorem, fratres, amicos, fœnus,epulas,vestes. Hanc fuisse persuasionem omnium Christi fidelium primis Ecclesiæ temporibus,quamuis sub vexillo Imperatoris Gentilis stipendia facerent,argumento est fortissimus ille Miles,cuius encomium texit Tertullianus, aureo illo opusculo,De CORONA *Militis*;qui egregio facinore Castrensem meritus,illam capite circumferre in pompam recusauit,quod Christianum se esse diceret:Christianos autem in cælo Coronandos. Obijciebant audaculi quidam:*solus libero capite,coronamento in manu otioso ambulas? Cur non cum ceteris coronatus?* Delatus ad Tribunum: negauit, cum ceteris sibi licere capite esse coronato in terris,qui Coronam exspectaret in cælis.Idcirco,vt loquitur Afer ille *russatus sanguine suo,spe calceatus,de paratura Euangelij succinctus acutiore Verbi* DEI, *totus de Apostolo armatus,& de Martyrij candida laurea melius Coronatus , donatiuum Christi in carcere expectabat.*

AT qualis nam est ista *Corona*, quam suis Satellitibus supremus Imperator pro-

(a) ἀθαλῆ. *Semper viua, virens,immarcessibilis.(b) Arist. de mirabil. auscultat. Corona animata.(c) 2.ad Timoth. 2.*

mortem.& dabo tibi Coronam vitæ. At cur dicitur vitæ? An vt significetur, eam esse semper viuam, & perennem, quæ in æuum sempiternum efflorescat? (*a*) quasi dicas, Lauream semper viuam, semper virentem, quæ nunquam sua amænitate ac decore spolietur. Quam necesse est infinitis partibus antecellere illam Oleam in Coronario Græcorum opere longè clarissimam, quam Elei in campo Olympi coseuerant, vt victores inde Coronis donarentur: (*b*) nam nostra est *Immarcessibilis*, vt loquitur Petrus Apostolus.

An quia, est vitæ æternæ, ac gloriosæ, nec enim ab ipsa Beatorum degentium in æternitatis viridario Gloria distinguitur, nisi nomine. An quia est Corona viua & animata? Cùm enim sit vitalis visio ac fruitio DEI, vitam in se continet, quia Coronatos animat. An quia, vt Vita bonorum cumulum indicat, ita illa, quicquid boni honesti, vtilis, iucundi excogitari potest, complectitur? omne gaudium, omnes delicias, omnem honestatem, simulque amænitatem. An denique, quia est præmium vitæ, in Militia Christiana laboriosè, patienter, simulque fortiter, & constanter peractæ? Certè, Paulus Apostolus in hac Militiâ câpi ductor egregius, nomine Imperatoris spondebat commilitonibus suis, Coronandos esse illos, qui legitimè certauerint. (*c*) Atque ita incitabat omnes Christianos vt sui imitatione fortiter agerent, cum hoste congrederentur, vsque ad vltimum spiritum depugnarent, sic fore, vt tandem Coronarentur. Nam & ipsi vsurpare possent illud fiduciæ plenum carmen: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi* Corona Iustitiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

Hoc Coronæ aliquando indipiscendæ inuitamento allecti olim Christi Milites, facilè spernebant, quicquid à Mundo, Carne, Cacodæmone offerebatur ornamentorum, & Coronarum; quicquid voluptatum, & deliciarum: patriam, parentes, vxorem, fratres, amicos, fœnus, epulas, vestes. Hanc fuisse persuasionem omnium Christi fidelium primis Ecclesiæ temporibus, quamuis sub vexillo Imperatoris Gentilis stipendia facerent, argumento est fortissimus ille Miles, cuius encomium texit Tertullianus, aureo illo opusculo, De CORONA *Militis*; qui egregio facinore Castrensem meritus, illam capite circumferre in pompam recusauit, quod Christianum se esse diceret: Christianos autem in cælo Coronandos. Obijciebant audaculi quidam: *solus libero capite, coronamento in manu otioso ambulas? Cur non cum ceteris coronaris?* Delatus ad Tribunum: negauit, cum ceteris sibi licere capite esse coronato in terris, qui Coronam exspectaret in cælis. Idcirco, vt loquitur Afer ille *russatus sanguine suo spe calceatus, de paratura Euangelij succinctus acutiore Verbi* DEI, *totus de Apostolo armatus, & de Martyrij candida laurea melius Coronatus, donatiuum Christi in carcere expectabat.*

AT qualis nam est ista *Corona*, quam suis Satellitibus supremus Imperator pro-

(a) ἀειθαλὴς. *Semper viua, virens, immarcessibilis.* (*b*) *Arist. de mirabil. auscultat. Corona animata.* (*c*) *2. ad Timoth. 2.*

promisit? Si cum antiquis, & apud Romanos celebratissimis conferatur, vis nominare *Castrensem*? per me licet: siquidem Christiani Milites *castra verterunt exterorum*,(a) Mundi, Carnis, Cacodæmonis Vis appellare *Ciuicam*? nil vetat. Nam in hac vita iidem, verbo & exemplo multos conciues suos à calamitate mox imminente, & ferri acie defenderunt.(b) Vis dicere *Muralem*? non prohibeo. Nam antequam hinc migrarent, vt magnanimi ab Euangelio bellatores, vim cælo intulerunt, & admotis machinis violenter rapuerunt. Vis vocare *Triumphalem*? benè habet. quia Christi sequaces Satana perdomito, hostibusque alijs, armata manu deuictis, vt Stephanitæ paradoxi in cælum inuehentur.

ATTAMEN in Diuinis paginis alia celebrantur Coronarum nomina, alia epitheta, & denominationes, quæ magis, quàm, quarum hactenus facta mentio, alliciunt generosos Christi Milites. Appellant *Coronam gloriæ*, Isaiæ LXXII. *Coronam decoris*, Ezechielis XVI. *Coronam de lapide precioso*, Psalmo XX. *Coronam gratiarum*, *Coronam deliciarum Coronam inclytam* Prouer. IV. vbi Hebræus habet, *Diadema decoris*, Chaldæus, *Pulchritudinem* in abstracto: nempe, ex omni pulchritudinum venustatumque concentu compositam, ex gratijs omnibus coagmentatam, & delicijs quibuscumque honestissimis plexam. An etiam ex floribus? rosis, lilijs, violis? est hæc materia minus constans, quæ vix diem solidum perseuerat, & minus preciosa, nimisque vulgaris, & obuia, quam vt adsciscí debeat in Symbolum Coronæ & preciosissimæ & æternũ duraturæ. Quod si flores arrideant, legantur purpurei & immortales amaranti; non tamen qui nascantur in fictitijs Adónidis, aut pensilibus Babyloniæ, aut pœticis Alcinoi viridarijs, sed in Paradiso cælesti, vbi immortalia nascuntur & durant, inter quæ est *Amarantina*, quam, cùm apparuerit, Princeps Pastorum, idemque Imperator militibus suis distribuet

GLORIÆ CORONA.

(a) *Hebr. xi.* (b) *Muralis.* (c) *Amarantus flos immortalis.*

MEMBRVM V.

CORONA CHARITVM SEV GRATIARVM Regalis & Pontificalis.

QVADRAGESIMA, cuius hodie celebratur prima Dominica, est aptissimum tempus, in quo meritò Christianis omnibus occinatur carmen illud Sapientis: *Ne dimittas*, id est, ne obliuiscaris & multo magis, ne spernas, néue calumnieris *Legem Matris tuæ*. In eâ enim Lege præscriptum est, & idcirco, sub peccato mortali mandatum omnibus, qui ad annum XXI. peruenerunt, & legitimam excusationem non habent, *Ieiunium*, quod inter communia, quæ sic vocantur, quoniam per omnes orbis Christiani partes, iure communi seruantur, est primum & celeberrimum. Nam alia nominantur *Priuata*, & *Propria*, quod vel

pro-

proprij voti religione, vel Sacerdotis pœnitentiam iniungentis præcepto, vel peculiari Antistitis mandato, vel speciali gentis, ciuitatis, aut populi statuto, vel ex priuata deuotione suscipiatur: *Communia* verò, vel iure communi, vt diximus, vel consuetudine toties Ecclesiæ generali sint constituta, ac recepta. Disputari quidem posset, An Ieiunium quadragesimale sit immediatè, ex præcepto Patris DEI? An verò tantùm ex lege Matris proximè? hoc est, An sit de iure diuino, DEO siue CHRISTO expressè mandante præscriptum? An potius iure Canonico, Ecclesiâ, Matre nostrâ primo ac immediatè præcipiente, institutum? Vt vt sit, cùm istiusmodi Ieiunium legitimè sit sancitum à Matre Ecclesiâ, cui potestatem DEVS contulit, & qui eius præceptum adprobat, dicere possumus Christiano cuilibet: *Audi fili mi disciplinam Patris tui: & ne dimittas legem Matris tuæ*, nempe, Ecclesiæ. Quod erit obseruantiæ hanc Matris legem præmium? *Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*: id est, vt *Coronam* & *Torquem* accipias. At, quamnam illam? In superioribus nominauimus *Athleticam*, *Agonisticam*, *Militarem*; & hanc multiplicem: nunc lubet adderet,

REGALEM & PONTIFICIAM. De alterutrâ harū velut vtraque promissionem Salomonis, vel addicentis Coronam obseruatori legis maternæ exponit Nicolaus Lyranus, qui scribit, antiquitus Spaientes vti solitos torque aurea, & bulla, à collo in pectus demissa in Sapientiæ symbolum, quæ in pectore mortalium sedem habere putatur; vt hic sit sensus llius sententiæ: Consequeris perfectam Sapientiam, dignus qui Coroneris, si maneas in disciplina patris, & non obliuiscaris legem matris. Vel peruenies ad dignitatem Principis, siue Ecclesiastici siue Politici, etiam supremi, sapientia illustris, sicque portabis Coronam, vel Regiam, vel Pontificiam. Huius rei gratiâ: *Obserua*. Quondam apud varias gentes solitos Principes *Coronâ* & Torque conspicuos prodire in publicum. Exempla de Torque sunt, in Iosepho Patriarcha, quem cum Pharao constituisset administratorem regiorum negotiorum, ac Proregem, *vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumdedit*: (*a*) & in Daniele, cui Nabuchodonosor, vt honoraret tanquam Principem, addicebat purpuram & torquem auream: (*b*) denique in illo, cui apud Esdram in Sapientiæ certamine cū primas obtineret, à Dario offerebatur torques circa collū (*c*) Ex quibus colligas, quod monet Abulensis Episcopus, Torquem ijs tantùm Principibus offerri solitum, qui potestatem ob sapientiæ meritum consequuti erant, aut in vtraque eminebant. Cum torque autem in summis Principibus *Corona* splendebat. Salomō igitur vel Dauid spondet fore, vt, si quis à disciplinâ patris non subducat se, & matris suæ legem seruet, quod pietas in parentes postulat, is Principis & Sapientis insignia consequetur, & Torquatus Coronatusque incedet. Quod contigisse Iosepho in præmium pietatis, & obseruantiæ erga parentes, à quibus idcirco præ ceteris fratribus amabatur, egregiè docet S. Ambrosius, vitam Iosephi libro integro illustrans. Vis & tu Coronam principalē, immò, regiam in Capite,

K

(a) *Gen. xli*. (b) *Daniel. v*. (c) *lib. 3 Esdr cap. 3*.

pite,& torquem è collo in pectus dependentem? *Audi disciplinam patris tui,& ne dimittas Legem*,Ecclesiæ,*Matris tuæ*. Verùm, mihi nō displicet interpretatio, quæ graues habet auctores,(*a*)polliceri Salomonem vel Dauidē legis paternæ,& maternæ obseruatoribus, Coronā & Torquem pueris olim dari solitam,quibus ornabātur,& recreabantur. Apud Athenienses (*b*)pueri aliquando triennes, aliquando annorum septem coronabantur, mense florido,Græcis ἀνθεστηριῶνι,siue ille fuerit Aprilis,siue Maius,siue October,nam lis est apud eruditos. Idē mos antiquissimis tēporibus, viguit apud Persas & Arabas, à quibus deriuari potuit ad Hebræos,ab his ad Græcos, de quibus Philostratus, sicut de Persis Barnabas Brissonius.(*c*)

AT,cur coronabantur pueri?An,quod victores euasissent earum difficultatum, ac periculorum, quibus interuallo primi triennij, aut septennij plurimi succumbunt, illi autem tanquam è prælio incolumes excessissent, facti ipso præliandi vsu robustiores? Ita vir eruditus Carolus Paschalius, qui librum de Coronis integrum conscripsit. An,vt animarētur pueri,ad maiora & longiora in ætate subsequente certamina,sub disciplina patris,& obseruantia legum maternarum, quibus si se accommodarent,certi essent, de coronatione vlteriore,quæ filijs obedientibus, à Prouidentia Diuina promittitur. Hæc in populo DEI persuasio esse potuit, quorum paruulis frequenter inculcabatur Salomonis pollicitatio: *Fili mi audi disciplinam patris tui,& ne obliuiscaris legem matris tuæ,vt addatur* Corona *capiti tuo*. Iisdē haud dubiè declarabatur, vt prima illa *Corona*, signum erat vitæ, inter tot mortis discrimina,quibus est obnoxia infantia & pueritia, feliciter traductæ,ita *Coronam*,quæ datur Adolescenti,Iuueni,viro, paternæ & maternæ legis obseruatori, tum præmium esse, obedientiæ filialis perfectæ,tum signum prognosticon ætatis feliciter in multos annos extendendæ. Quare, cùm Salomonis pollicitatione conuenit illa Apostoli Ephesijs cap. VI. exactam maiorum obseruantiam,& pietatem filialem persuadere conantis: *Honora patrem tuum,& matrem tuam, quod est mandatum primum in promißione, vt benè sit tibi, vt sis longæuus super terram*. Quo circa per *Coronam* quam pollicetur Salomon, symbolicè intelligere possumus, *vitam* longæuam, *Senectam* viridem,*ætatem* annorum multitudine cumulatam, sed nequaquam decrepitam, siue ea dicatur à crepando, quod ætatis extremæ senes, clamando, & conquerendo frequenter crepent;siue à decrescendo,eo, quod incuruati & contracti, minores fieri videantur senes;siue ab adiectiuo, creperus, quod idem est, ac dubius, vel anceps, quoniam vita senum id ætatis in dubio sit constituta. Nequaquam etiam *effœtam*, quæ annorum numero defloruerit,vigoreque pristino amisso, elanguerit: denique,nequaquam *emaciatam,eneruatā, exhaustam,lassatam,sterilem*,tristem,morbosam,molestam,tremulam,inertem, debilem,sibi alijsque grauem,sed *iucundam, amœnam*,vt aquilæ *renouatam*, florentem, validam,robustam, fœcundam bonorū operum denique,venerabilem. Talis Senectutis symbolum est *Corona*, quā spondet Salomon obseruanti legē matris suæ, ideo

(*a*) *Rodolph. Ianfenius. Salazar.* (*b*) *Philostrat. in Heroic.* (*c*) *Brisson. lib. de Regno Persico.*

ideoque eadem *Corona* designat bonam valetudinem, sanitatem, robur, denique, statum corporis, actiones omnes suas probè obeuntis, & in eo coloris quandã suauitatem. Quæ omnia per temperantiam, sobrietatem, abstinentiam moderatam, & ieiunium obtinentur. Quare fingite Salomonem, nostro instituto accommodatè, concionabundum cum vehementiâ, elata voce hortari singulos hic præsentes: Ne dimittas hoc tempore legem Matris tuæ: obserua exactè ieiuniũ Quadragesimale, cuiuscumque sis sexus, cõditionis, ætatis: nõ te pænitebit: addet *Coronã* capiti tuo. In Paschate multo eris sanior, robustior, vegetior, pulchrior, quã si legẽ Matris tuæ trãsgressus fuisses.

ADMIRARE, nam imitari non potes, sat scio, nec vt tentes suadeo, Simeonem STYLITEM, quem referunt historiæ Sanctorum Patrum, viginti & octo Quadragesimas, absque cibo & potu transegisse, sanum ac incolumem; Christique quadragenarium ieiunium toties imitatum diebus ac noctibus. Imitare quadamtenus IVSTINIANVM Imperatorem, de quo Procopius, (a) & ex illo Cæsar Baronius (b) scribunt, omnibus diebus, qui Paschalem solemnitatem antecedunt, eũ ieiunio addictum, duram egisse vitam, & talem, vt vel priuatus recusaret. Per dies abstinebat: summo manè lectulo consurgens, Reipublicæ inuigilabat, cuius negocia verbo ac opere pertractans, meridianum, nocturnum, matutinumque tẽpus implebat: nam in seram noctem lectum petens, mox surgebat, quasi plumatũ pertæsus. Cibi appetens; vinum, panẽ, & istiusmodi alia cibaria abesse mandabat; brassicam, & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edens. Potus, seu ero ieiunantium ritu, aqua erat. Neque his ad saturitatem vtebatur; sed degustato cibo non tamen sumpto, quod naturæ satis erat, reliqua remittebat. Si non potes assequi perfectionẽ ieiunandi Iustiniani Imperatoris, imitare B. IVSTINIANVM Protopatriarcham Venetiarum, (c) qui quàm fuerit exactus obseruator legis maternæ de ieiunio quadragesimali vsque ad extremam ætatem, hinc colligite; cùm medicus eum laborantem infirmitate corporis, iam fermè septuagenarium ad edendas carnes inuitaret Quadragesimæ tempore, petiuit, an abstinere posset sine vitæ periculo, cùm ille non negasset, subiunxit: Me, vt verum fatear, valdè delectant veterum exempla Sanctorum. Et adduci non potuit vt carnibus vesceretur & septuagenarius, & ægrotus. Tanta religione quondam à verè pijs Quadragesimale ieiunium exactè custodiebatur: nec tamen ea propter, aut moriebantur citius, aut peius corpore habebant.

NE alterum nobis debiliorem sexum neglexisse arguar, ASELLAM produco (d) virginem nobilissimã & tenerrimam, de qua hæc scribit S Hieronymus, epistola ad Marcellam. Cùm per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens, tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante cõiungens: & quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, DEO autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret

K 1 stoma-

(a) lib. 1. de ædificijs Iustin. (b) Tom. 1. Ann. xxx. (c) Vita Surij 8. Ianuar. (d) S. Hieronym. epist. 15.

stomachus, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus in qua cubabat, iacentia membra conficeret, non sacco asperata cutis fœtorem situmque contraheret, sed sano corpore, animo sanior, solitudinem putaret delicias, & in vrbe turbida eremum inueniret Monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occalluisse reperta est.

NOSTRO ferè tempore, FRANCISCVS BORGIA Dux Gandiæ, Prorex Gotholaniæ, qui nunc Beati titulo in Ecclesia DEI honoratur, quam primum adiecit animum ad perfectius DEO seruiendum, (*a*) ita Ieiunium coluit, vt carnis sibi perpetuò interdiceret: prandio ita parcè victitabat, vt herbis & leguminibus coctis tantum vteretur: pane solû & frigida contentus. Hac abstinentiæ factum, vt cùm obeso admodum corpore, ventreque esset, breui laxas nimis tunicas experiretur, duplicatique indumenta possent. Idem Societatem IESV ingressus, cuius fuit Præpositus Generalis (*b*) tertius, vir iam grandæuus, cùm abstinentiæ immodicæ caussâ, dolorumque ventriculi imbecillioris, morbique cardiaci, viginti ferè annos à piscium esu abstinere Medici eum iussissent Quadragenarij ieiunij tempore, nisi si in discrimen caput vitamque adducere vellet. His quidem non parere, durum videbatur atque incommodum: euicit tamen precatione animique celsitudine. Audito enim Pium V. Pont. Max. ætate maiore annua ieiunia religiosè seruare, nulla ætatis fessæ atque decrepitæ ratione; idem sibi vel capitis discrimine tentandû putauit. Quod cùm benè feliciterq; euenisset absq; valetudinis detrimento, diuturna verni temporis ieiunia, & quattuor anni partium, atq; Aduentus seruare perrexit: mirantibus, qui corpusculi imbecillitaté nossent. Sed à DEO vires, quod res erat, celso animo suppeditari existimabant. Benè illi quidem, sed addere iuuat, hoc esse præmium obseruanti legem Matris Ecclesiæ, tum aliam quamcumque, tum signatè illam de Ieiunio. Quocirca, si & tu velis vitam tuam per multos annos perducere, si dies videre bonos, iucûdos, serenos, tranquillos, si sanitate frui continua, si ad ætatem peruenire senilem, nullis morbis grauioribus obnoxiam, liber à doloribus, capitis, stomachi, renum, integer corpore, lætus animo; *Audi disciplinã patris tui: & ne dimittas Legem* de ieiunio Ecclesiæ *Matris tuæ*: nec dubites, *addetur Corona*, sanitas, bona valetudo, longæuitas, *capiti tuo*, & *Torques* decoris *collo tuo*.

(*a*) *Vita lib. 1. cap. 9. Andr. Schot.* (*b*) *Lib. IV. cap. 5.*

MEMBRVM VI.

CORONA MILITIS OBSEQVENTIS.

Ex multiplici Gratiarum flore contexta.

PRIMA statim Quadragesimæ Dominica, & eodem ritu in consequentibus, inuitarunt sese mutuo Ecclesiastici, qui sunt primi ordinis Milites Christiani, ad psallendum DEO Imperatori suo, voce & spiritu, corpore & anima, lingua & corde, hoc carmine excitati orio. *Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus* Coronam *vigilantibus*. Promittit Dominus Coronam vigilantibus.

tibus, excubias agentibus, certantibus, ieiunantibus, DEVM timentibus, sed multo maximè, legem suam & dilectissimæ Sponsæ suæ Ecclesiæ, Matris nostræ obseruantibus, filijs, & Militibus obsequentibus. *Audi fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, vt addatur* Corona *capiti tuo.* Quæ, Qualisue sit ista *Corona* sæpius disquisiuimus, & multas produximus, è quarum singulis, aliquid semper peculiare desumi potuit, quod ad illustriorem reddendam illam Coronam, quæ est Militum Christianorum fortiter depugnantium præmium, & ad quamlibet opportunitatem aduigilantium incitamentum, conducat plurimum. Sed est premendum paullò accuratius quod habet Latinus Interpres, addatur *Gratia* capiti tuo, Lxxta legunt, *Corona gratiarum*: quasi dicat Sapiens: si leges, monita, statutaque à DEO Patre, & ab Ecclesia Matre præscripta suscepe tis, atque opere exercueris, multiplex Gratia, quæ sit instar Coronæ nexilis, in quâ flos flori copulatur caput tuum condecorabit. At, quæ nam sunt illæ Gratiæ, quæ Coronam hanc, dum in illa nectuntur, componunt? GRATIÆ vocabulum multa innuit, quæ ad conficiendam Coronam Gratiarum conueniunt. Imprimis autem significat fauorem, beneuolentiam, animum benè affectum: inde gratus idem est quod acceptus: gratiosus, qui beneuolentia, & fauore alicuius fruitur, & gratiam sibi alterius conciliat. Talis est, qui alterius se voluntati accommodat, qui eius leges seruat, & mandatis obsequitur. Itaque *Corona Gratiarum* est fauorum peculiarium apud DEVM, Angelos, & homines, quos consequitur obsequens: vt hæc sit sententia exhortatoris Sapientis. Eia age, non subducas te ab obseruatione mandatorum DEI, & Ecclesiæ; nam spondeo tibi, si obaudieris, & feceris, quæ præcipiunt, conciliabis tibi gratiam & fauorem DEI, Angelorum, hominum, quæ tam copiosa erit, vt instar Coronæ caput tuum cinget, & collum ac pectus exornabit. Et sanè gratissimi sunt, & maximè gratiosi, qui obsequentissimi, & maximè obedientes. Obedientissimus filius est gratissimus parentibus, obedientissimus seruus, domino, obedientissimus discipulus, magistro: obedientissimus religiosus Prælato, obedientissimus Clericus Episcopo, obedientissimus aulicus Principi, obedientissimus ciuis magistratui. Vis igitur maximam apud DEVM, & Cælites mereri & obtinere gratiam ac fauorem, sis in mandatorum diuinorum obseruatione exactissimus.

IAM verò, nomen, *Gratia*, quamlibet virtutem designare potest, cùm quælibet sit gratia à DEO communicata, & per diuinam gratiam habeatur. Quare *Corona Gratiarum* est *Corona Virtutum* omnium. Siquidem Obedientia mãdatorum DEI, & Ecclesiæ, vel imperat, vel suadet ac cõsulit virtutes omnes, & ad illas impellit. Imperat imprimis actũ Religionis, qualis est latria erga DEVM, hyperdulia erga DEIPARAM, dulia erga Sanctos, dum quis est in templo, & cum ijs agit. Imperat ibidem adorationem, orationem, deuotionem: non circumspectionem, curiositatem, fabulas, nugas, risus: ne euagationem mentis quidem, multo minus oculorum. Eadem imperat actus temperantiæ ac sobrietatis in triclinio, in quouis

K 3 prandio,

prandio, cœnâ, refectione: nam temperantia & sobrietas, ne quis plus comedat & bibat, quàm ratio dictat, quod dictamen, per libellam necessitatis minimè fucatæ regulari debet, semper est in præcepto, nullo temporis discrimine: tam enim obligat in Bacchanalibus, & Paschate, quàm in sanctiore hebdomade. Eadem obedientia mandatorum DEI imperat actus ieiunij, diebus ad ieiunandum ab Ecclesia eius Sponsâ præscriptis, in Quadragesima potissimùm. In quâ, immò, per totam vitam, imperat actus pænitentiæ: nam *Nisi pænitentiam egeritis*, qui peccastis, quæ Domini Nostri est interminatio, *omnes simul peribitis*, Lucæ XIII. Eadem imperat nunc actus modestiæ, nunc humilitatis, nunc misericordiæ & eleemosynæ, nunc caritatis, nunc ceterarum virtutum. Quocirca, qui studet obedientiæ Legis diuinæ, & ab eâ dependentium legum Ecclesiæ, & quorumlibet legitimè imperantium, ex omnibus diuersissimarum Virtutum functionibus, tanquam floribus, *Coronam* sibi nectit *Amarantinam & Immortalem*, ac collum & pectus suum ornat virtutum omnium Catena magis fulgente, quàm gemmea. Siquidem Obedientia est virtus, quæ ceteras virtutes, per modum torquis ac Coronæ connectit, & menti inserit, insertasque custodit, vt Gregorius Papa insinuat.

HANC ob caussam Religiosi, quorum finis est, tendere ad perfectionem Christianarum virtutum, tanto studio erudiuntur, & instigantur ad obedientiam exactam, tum legum DEI & Ecclesiæ, tum Constitutionum, & ordinationum peculiarium sui instituti: siquidem in ea persuadent sibi omnium exercitationem virtutum contineri. (a) Quod vt certum habebat IOANNES Abbas à Cassiano nominatus, Religiosorum insignis Magister, qui moriturus, cùm interrogaretur, quæ-nam esset maximè compendiosa ad perfectionem tam disciplinæ Christianæ, quàm Monasticæ via, quâ ipse ad vtramque peruenisset? Respondit. *Nunquam equidem feci voluntatem propriam: nec docui alium quicquam, quod ego prius ipse non fecerim.* Prius illud ad obedientiam spectat, & omnibus conuenire potest. Nam qui accuratè in cunctis mandata DEI exequitur, is in nullo facit voluntatem suam: Siquidem voluntas propria est illa, quæ ita est hominis, vt non sit DEI. Quo pacto voluntatem famuli dicimus esse illam, quæ non est communis cum voluntate domini; aut, quæ illi non est conformis. Abbati Ioanni nón cessit PAVLVS *Simplex* (b) nominatissimus S. Antonij Eremitæ discipulus, in abnegatione voluntatis propriæ, & obedientiâ quadam cæca omnium mandatorum DEI, ac superiorum suorum. Vnde gratissimus fuit DEO, qui plura per ipsum, quàm per Antonium, & maiora operabatur miracula; gratissimus etiam hominibus, & iudicio S. Antonij, perfectionis religiosæ exemplar, nam ad culmen, obedientiæ scalâ ascenderat: ideoque alijs omnibus illum proponebat Antonius: qui etiam ab ista virtute fuit semper commendatissimus.

ADHAEC, *Gratia* idem est Latinis, quod *Donum*, ac beneficium. Ergo *Corona Gratiarum*, est Corona Donorum ac

(a) *Cassian. lib. V. Instit. Cap. 28.* (b) *Ruffin, in Vit. Patrum lib. 2. cap. 31.*

ac Beneficiorum. Corona autem copiam, abundantium, plenitudinem denotat, quam tribuit Militiæ nostræ Imperator maximè obsequentibus sibi militibus: quemadmodum pater coronare solet sibi obsequentissimos, ideoqúe gratissimos filios donorum multitudine; quæ complectitur, cum à DEO quis ea coronatur, longam vitam, sanitatem, opulentiam, bonam famam, dignitates, honores, felicitatem huius & vitæ alterius. De hac CORONA est illud Ecclesiastici, cap. I. *Timor Domini Gloria, & gloriatio, & lætitia, & Corona exultationis.* Item. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum.* Quam si desideras, *Audi disciplinam patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ.* Addit Ecclesiasticus: Cap. III. *In omni opere & sermone honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio ab eo.*

DENIQVE inter *Gratias*, quibus Milites suos DEVS coronat, est *Gratia triumphalis* quæ dicitur Regni cælestis, promissa Obedientiæ militari, iuxta illud Prouerb. XXI. *Vir obediens loquetur victoriam.* Et omnes qui in Militia Christianâ secundum præscriptum Imperatoris se fortiter constanterque gesserint. *Accipient Regnum decoris, & Diadema speciei de manu Domini,* Sapientiæ V. Quocirca præmium Regni cælestis vocatur à quibusdam de Coronis Militiæ Sacræ differentibus, CORONA OBEDIENTIÆ. Quam nuncupationem reperio in Historia Societatis IESV. In cuius prima Parte Nicolaus Orlandinus agens de PETRO FABRO, scribit quod post mortem cuidam Religioso apparuerit, redimitus *Corona Obedientiæ:* eo quod ipse tam in vitâ, quam in morte victima extitisset Obedientiæ: fuit enim secundum normam Societatis, nempe, Militiæ nostræ, obedientissimus. (a) Quod ei mortis caussa fuit. Siquidem vocatus Romam in summis æstatis caloribus, Vrbem est ingressus, quamuis sciret, se certum adire vitæ periculum, malens vitæ, quàm obedientiæ iacturam facere: CHRISTI exemplum sequutus.

HIC est ille PETRVS FABER, primus S. IGNATII discipulus, primus quoque, qui è Societate Coloniam Agrippinâ venit, & hanc in Vrbem Socios induxit, Anno M. D. XLII. id est, duobus annis post confirmatam Societatem. Itaque post biennium erit annus Secularis, ac Iubileus Societatis Coloniensis, vti nunc est Societatis vniuersæ. Amauit Virum, quamuis exterum, erat enim Allobrox, siue Sabaudus, Ciuitas Coloniensis, & Socios multorum aduersantium insectationibus imperitos, Senatus benignè cómorati simul permisit. Deinde Sacrorum Antistite, quæ fuit illius temporis summa calamitas, ad Lutheranismum deflectente, cùm is IESVITAS conatibus suis maximè obsistere ignorare non posset, egit cum Senatu, ne contra Agrippinensium decretum, nouas Religiosorum familias admitteret, Societatem nominatim, ausam haud ita pridem Colóniâ ingredi ibidéqúe domiciliũ figere: hanc igitur, & in eâ homines nouos ac incognitos exturbaret. Quod nunquam prudentissimo, & semper Catholico Senatui persuaderi potuit: pleno tamẽ Sapiẽtiæ cõsilio ijs dato, monuit Patres, vt tãtis per delitescerẽt, ac sepa-

(a) *Vita Fabri lib. 2. cap. 18.*

separatim degerent, per domos amicorum dispersi, donec tempestas illa defæuijsset, aut saltem deferbuisset. Quæ post hæc sequuta, narramus ex fide in *Elogio Constantiæ Coloniensis* dudum scripto, editoque. Paucula hic dicimus haud importunè Anno Societatis seculari, occasione Petri Fabri, quem *Corona Obedientiæ* redimitum in cælis accepimus.

QVOD ipsum refricat mihi memoriam narrationis antiquæ quam habet libellus de Obedientia in Vitis Patrum (a) Quendam vidisse quattuor Ordines in cælo hominum DEO carorum: *Primum*, infirmorum & DEO gratias agentium. *Secundum* hospitalitatem sectantium. *Tertium*, in solitudine agentium. *Quartum*, Obedientium. Additur autem: *Vtebatur Ordo Obedientium* Torque *aurea & Corona, ac maiorem, quàm alij gloriam habebat: quia alij faciunt sua secundum propriam voluntatem: Obediens autem omnes voluntates suas abijcit, pendet à DEO, vel ad DEVM iussionemque Patris spiritualis: & propterea maiorem gloriam habet.* Subnectitur clausula, more exhortatorio: *Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia est genitrix omnium virtutum. Obedientia Regni cælorum inuentrix est. Obedientia cælos aperit, & homines de terra eleuat. Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum omnium est cibus. Ex hac enim ablactati sunt, & per hanc adperfectionem peruenerunt.* Adiungamus nos: Dignum est caput illud, quod Obediens submisit minimè coactus legibus Diuinis ac humanis, quod filius mandatis parentum, discipulus instructioni Magistrorum, Ciuis decretis Magistratus, subditus præceptionibus Superiorum, Christiani Canonibus Matris Ecclesiæ, Miles directioni sui Imperatoris, dignum, dico, quod exaltetur, & *Torque* ac *Corona*, non solùm *Agonisticâ*, Ciuicâ, *Murali*, *Castrensi*, *Ouali*, sed etiam *Triumphali* in omnem æternitatem decoretur.

* * *

(a) *Lib. v. libello 14. de Obed. num. 19.*

MEMBRVM VII.

CORONA GRATIARVM SEV CHARITVM

Obedientiæ militari Sapientiæ promissa.

MVLTA diximus hactenus & varia de *Torque* & *Coronâ* capiti Militis Sapientiæ obedientis debita, aut donari solita, siue in hac vitâ, siue in alterâ, Imperatore Sacræ Militiæ curante sedulò, vt non maneat irremunerata legum Diuinarum Humanarumque obseruatio, & obedientia. Sed nondum diximus omnia, quæ huc spectant, & ad vtilissimæ sententiæ explicationem faciunt. Quare addamus nonnulla, quæ incitamento esse possunt ad obediendum exactius legibus Patris nostri DEI, & Matris DEIPARAE ac Eclesiæ Catholicæ. Imprimis illud, quod nuper quoque insinuabamus; CORONAM & TORQVEM olim fuisse præmia atque insignia Sapientiæ, maximè, in adolescentibus & iuuenibus; vt incitare videatur voluisse Salomon iuuenes ingenuos, locuple-

cupletes, ac nobiles, ad disciplinam, obedientiam, virtutemque colendam, & potissimum Sapientiam illam, quæ hæc omnia ambitu suo complectitur, quod huius cultum *Corona & Torques* sequatur. An fortasse hinc ortum habet, quod, cùm in Academijs creantur Artium liberalium Magistri, & multo magis in superioribus facultatibus Doctores, detur Pileus Doctoralis, tanquam Diadema, caput coronans, & alicubi interdum Torques aureus collum & pectus, *Sapientiæ* sedem, ornans. Quod si tam Torques, quam Corona aurea donaretur omnibus, qui aut in facultate Philosophicâ, aut alia quauis superiore Lauream post baccas consequuntur, liberalitate Principis, aut Reipublicæ, reor equidem, quod non ignobiles solùm, aut plebei, sed ex nobilitate etiam equestri quam plurimi Academicè promouentur.

Qvam persuasionem fortasse habuit magnus in Imperio Princeps, *(a)* Episcopus simul & Dux potentissimus. Qui, vt Academiam à se institutam fundatamque celebriorem faceret, & nobilitatem quoque ad capessendos honores Academicos incitaret, prænobili Adolescenti, Cathedralis Ecclesiæ Canonico, *(b)* cùm absolutis Philosophiæ studijs, cum alijs suis Sodalibus, Magister Artium & Philosophiæ, Principe præsente, & magna Franconiæ nobilitate, vt ibi mos est, proclamaretur, Torquem aureum, quem in id Promotori miserat, collo inijci iussit. Sed magis eundem illum Adolescentem Sapientiæ Præses Devs deinde coronauit, alioque magis precioso ornauit Torque, quando post nauatam diligenter in Theologiâ, ac Iurisprudentia operam, multis elapsis annis, quibus prior Princeps vixit, hunc de quo agimus, iam Virum, successorem & Episcopatus & Ducatus opulentissimi constituit, addito altero Episcopatu & Principatu, qui solus in orbe Christiano Coronam Imperatoriam scuto insignit usque Episcopalibus superimpositam gerit, nimirum, *Bambergensis.* Id diuinitus factum tunc fuisse, omnes, qui aliquid iudicij ad superiora reflectentis habuimus, existimabamus. Est enim cælitus firmatum oraculum: *Si audias disciplinam patris, & non dimittas legem matris tuæ, addetur* Corona gratiarum *capiti tuo, & Torques collo tuo.* Nec puduit magnum illum Principem & Episcopum, in consessu aliorum sibi similium profiteri, se Artium ac Philosophiæ, olim in adolescentiâ suâ promotum Magistrum. Immò, honori sibi ducebat. Non ob acceptam Coronam & Torquem, sed quod Titulum illum publicè datum existimaret esse *Sapientiæ* legitimum testimonium, sicut reuerà esse deberet.

Sed quoniam, nescio, quâ iniquitate temporum, & regionum quarundam infelicitate, aut potius hominum illas incolentium, nimiâ facilitate, ad ipsos à maioribus deuolutâ, factum est, vt honores Academici, maximè in facultate Philosophica dicantur esse, non tam Sapientiæ ac Doctrinæ, quàm temporis in Gymnasijs detriti, & vtinam non ab aliquibus dilapidati certa indicia: Hinc existimant Viri graues, & in Academijs diutissimè

L cum

(a) *IVLIVS Episcopus Herbipolensis Dux Franconiæ.* (b) *IO. A. GODEFRIDO ab Aschausen postea Episcopo Bambergensi & Herbipolensi Duci Franconiæ post Iulium.*

cum laude versati, ortum, vt Nobiles nullâ aut *Coronâ*, aut *Torque* allici se ad promotionem Academicam patiantur; sed illam, vt ornamentum plebeiorum, qui eo splendere desiderent relinquant. Id de omnibus, & vbique celebratis promotionibus dici non posse sine iniuriâ sum certus; de aliquibus, & alicubi fieri solitis verissimum est, & per Europam notorium: pudendum tamen, & prouidentiâ, ac animaduersione supremi in vtroq; Ordine Magistratus dignū. Sed nos nunquam querelis, quamuis iustissimis, emendabimus. Remedium vt adhiberetur, monuit Concilium Constantiense: emendationem optauit, & aggressus est Iulius II. Pontif. Max. superiori seculo; sed parum effectum est, & extra Germaniam, & in illâ alicubi. Interim pronunciant grauissimi Theologi, &, quod magis mirêre, Canonistæ. Peccatum esse mortale, Doctorem indignum creare. Item, Baccalaureos & Magistros Artium promouere indignos, illisque Titulum illum Academicum publicè conferre, aut priuatim etiam peccatum esse lethiferum. (a) Verum, hæc, similiaque alijs, & alio locq examinando relinquamus.

Hoc nostri est instituti, quod diximus: Salomonem, tanquam Sapientissimum Reipublicæ Institutorem, Sapientiæ moratæ constituere *Torquem* & *Coronam*. Quod fecerunt in Gentilitate Sapientes Græci, qui piceros parentibus morigeros, optimis moribus præditos, & doctos coronabant. Sic Lysim coronatum refert Plato. Pythagoram vero ob Sapientiam singularem Corona aurea redimiri solitum, illamque publico suffragio, velut inauguratione doctorali consequutum, scribit Ælianus. Conuenientissimum autem illud esse præmium probitatis ac Sapientiæ pluribus confirmat Carolus Paschalius in suo de Coronis volumine sanè erudito. Me illa mouet ratio: quoniam cum Sapienti ac probo datur Corona, ipsa Sapientia & Probitas coronatur. E Sacra-Scriptura præclarum habetur suffragium Apocalypsis IV. vbi Seniores viginti quattuor ob Sapientiam & virtutem Coronis aureis decorantur.

(a) *Syluester. Nauarr. Aluarus. Pelagius. Greg. Tolosan lib. 18. cap. 9. §. 7. Adamus Conzen lib. IV. Polit. cap. 16.* (b) *Plato in Lysi.* (c) *Lib. 12. hist. Var. Cap 32.* (d) *Lib. 5. cap 9. Lib. 6 cap. 29.*

MEMBRVM VIII.

B. MARIA V.

CORONA CHARITVM ET GRATIARVM CORONATA.

Si vnquam Sapientia ac Virtus splendidè in homine mortali est Coronata, *Coronâ Charitum & Gratiarum*, id accidit in Coronatâ B. MARIA V. Patrona Nostra: quia, vt nullus, aut nulla fuit in hominum genere, qui, quæ vè diligentius audiuit, excepitque disciplinam Patris, & non dimisit, sed obseruauit accuratissimè legem Matris, ita nullus, nullá-ue, CHRISTO semper excepto, sumptuosius, opulentiusque fuit diademate exornata. Huc mihi liceat aduocare fictionem quandam ingeniosam, nec improbam veterum in Græcia Sapientum,

cuius meminit Tertullianus, libello de *Corona Militis*, vbi sic scribit: *Si fuerit aliqua* Pandora, *quam primam fœminarum memorat Hesiodus, hoc primum caput coronatum est à Charitibus, cùm ab omnibus muneraretur. Vnde* Pandora, *quasi dicas*, Omne-Donum. Meminit etiam Pondoræ D. Irenæus, agens de hæreticis fabulatoribus, qui fingebant Saluatorem ex omnibus Æonibus factum, vt loquitur, omnibus in eum deponentibus florem suum: quos dicit non extra Hesiodi *Pandoram*, nouum aliquid adferre, ne glorientur isti nouatores, vt de re à se inuenta. Finxerat enim iam olim Hesiodus, *Pandoram* esse Deam, quam singuli Dij donis suis ornauerant, *Pallas* Sapientia, *Mars* fortitudine, *Diana* castitate, *Mercurius* eloquentia, *Venus* formâ, ac pulcritudine: ideoquè Pandoram dictam, quasi ab omnibus Dijs omni bonatum dotum genere donatam. Hæc dona singulorum Deorum flores appellat Poëta, asseritque ex ijs *Coronam* quandam elegantissimam à Charitibus, seu Gratijs contextam, & ab ijsdem Pandoræ capiti fuisse impositam. Quocirca *Gratiarum* vel *Charitum Corona*, secundum hanc fictionem, erit omnium donorum in vnum coactorum complexio, omnium virtutum circulus, Sapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, omnium charismatum vnus veluti cinnus. Qui igitur Sapientiæ militat, qui Prudentiæ castra sequitur, qui ab Honestatis vexillo nunquam recedit: vno verbo, qui præliatur bella Domini, omnes bonas dotes, & dona cælestia sibi comparabit, dicendus haud malè PANDORVS meliori iure quàm Numen aliquod fictitium. Sunt qui *Pandoram* cum Aristophane, *Terram* interpretantur. Et sanè cur Tellus non celebretur, vt *Pandora*, cùm in illam Cælum genus omne donorum impluat, quæ ipsa vicissim in animalia omnia refundit, *Coronata* & *Coronans*?

SED magis Christianè, & ad pietatem partheniam accommodatè, dicamus, PANDORAM, vt imaginem, posse produci, ex ijs vnam, quæ dicuntur Symbolicæ, Virginis DEIPARA, quippe, cui DEVS omnes Angelorum hominumqúe dotes, omnia dona, ornatum omnem contulerit, adeóque in quâ polienda excolendaqúe certasse videri possit Sanctissima TRINITAS. Siquidem DEVS Pater contulit illi suam quadamtenus Paternitatem, vt vnico Filio esset ipsa tam vice Patris, quàm Matris: Filius eam adoptauit in Genetricem: Spiritus Sanctus elegit in Sponsam: ac, vt Sponsam dilectissimam, omnibus eam suis charismatibus honestauit. Hoc merebatur illa, quæ Sanctissimæ TRIADIS æquè ac parentum suorum disciplinæ ac legibus, per omnia obediuit promptissimè. Quid hoc est aliud, quàm, abstrahendo à fabulis, esse PANDORAM? non fictitiam, sed veram, non terrenam, sed cælestem, splendidissimè donis omnibus diuinis coronatam? Ad cuius exemplum, qui audit disciplinam Patris sui, & non dimittit Legem Matris suæ, omnium donorũ, virtutumqúe serto, & tandem Gloriæ nunquam intermoriturae diademate coronabitur.

(a) *Hesiod. lib. Opera & dies.*

NOTÆ.

§. I. BElli Germanici initium ab ambitioso appetitu Coronæ regiæ.] *Legendus, præter alios, Florus Germanicus Euerhardi VVassenbergij.*

§. II. CORONA CHARITUM.] *Charites, Gratiæ tres fingebantur,* Aglaia, Thalia, Euphrosyne, *Iouis & Eurynomes filiæ, vt vult Hesiodus, in Theogonia: aut Veneris & Liberi vt alij fingebant.*

Has veteres pinxerunt nudas, quod gratias inter amicos minimè deceat esse fucatas, aut velamine obtegi. Tres ea ratione dicuntur, quod vna beneficium det: altera accipiat: tertia reddat.

Pinguntur iuuenes, ne beneficij memoria senescat: Ridentes, quod hilariter dandum sit beneficium. Et cum duæ nos aspiciant, vna pingitur auersa. Quo significari volunt, quod pro accepto beneficio duplex à nobis gratia debeat referri. Pingebantur connexæ, quia insolubiles gratiæ esse debent, & beneficium semper aliud beneficium parere, perpetuumque amicitiæ fœdus.


Qui Veneris & Liberi filias arbitrantur, è quibus Seruius, hac mouentur ratione, quod eorum præcipue Deorum, æstimatione idololatrarum, muneribus gratiæ conciliuntur.

Tradunt etiam eas in Acidalio fonte, qui est Orchomeni Bœotiæ vrbe lauari: quoniam puras esse beneficia oportet, & nihil sordidum, nullamque spem retributionis habere. Mantuanus.

—— properate Sorores
Gratiæ ab Orchemano. Tu primum Aglaia decore
Lætitiam præ te ore Ferens: tecumque Thalia,
Cincta sacrum viridi strophio caput, Euphrosyneque
Læta genis, læta os roseum, vngalumina læta:

Aglaia. Lætitia; Thalia, semper virens, immarcessibilis. Euphrosyna.

§. III. LEX Matris Ecclesiæ.] *Ieiunium quadragesimale.] Communis est Theologorum, & veterum & recentium sententia: Quadragesima Ieiunium, non Iure diuino, sed Apostolicâ traditione, siue mandato, & Iure Canonico ac generali Ecclesiæ consuetudine coli, & celebrari. Ita* Durandus in 4. *dist.* 15. *q.* 4. *a.* 5. *Concl.* 4. *Ibid.* Maior. *q.* 4. *Concl.* 3. Gabriel in 4. *dist.* 6. *q.* 2. *art.* 1. Adrian. in 4. *de Confess. q.* 1. Nauar: *in Manual. cap.* 21. *num.* 12. *Quos sequuntur Theologi iuniores fine numero. Legendus* Ioann. Azor. *Tom.* 1. *Instit. lib.* VII. *Cap.* 12.



SYN-

SYNTAGMA De Coronis.

MEMBRVM I.

Etymologia. Appellatio. Synonyma. Inuenteres. Vsus.

DISPVTANT *Grammatici*, *cuius linguæ nomen sit* CORONA, *Appion Græcæ adscribit, in quâ* χόρ-ωνα. *Festus* Coronam *scribit dictam, siue à choro, quod in choris adhibeatur: siue quod cohonoret illos, quibus imponitur. Alij* χορωνὰ, *quæ vox summitatem, & flexuram cuiuslibet rei significat. hinc* Coronis. *Isidorus ait appellatam, quod initio circa aras curreretur, atque ad imaginem circuitus idcircò esse formatam.*

Strophia *Plinio dicuntur Coronæ tenuiores, quibus olim vtebantur dicta, ἀπὸ τοῦ στρόφειν, à vertendo.* Serta *Corona quæ à floribus texuntur, à serendo. Hinc Sertum & Serta. Virg.*

Serta procul tantum capiti delapsa iacebant.

Si sertos dixeris, adde flores: si sertas, adde coronos. Lucan.

Accipiunt sertas nardo florente Coronas,

Coronæ pactiles, *quæ pangebantur figebanturquê, insertis floribus.* Coronæ Sutiles, *quæ ex mero rosarum folio consuebantur. Hinc illud:*

Ornenturquê rosis tempora sutilibus.

Coronæ plectiles, *quæ è surculis, ramentis, aut spinis plectebantur, vel innectebantur. Vt ex lauro, myrto, alijsquê herbis odoratis.* Coronæ hybernæ, *quæ floribus hyeme deficientibus, ramento ex cornibus tincto conficiebantur. auctor Plin.* Corollæ, Corollaria *graciliores Coronæ.*

PRIMVS *auctor putatur Ianus. Hoc quia incertum, alij alijs inuentionem attribuerunt. Legendus Athenæus. De Vsu Plinius lib. XXI. cap. 3. Coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum & priuatorum, & sepulchrorum, & Manium. Coronarum vsus erat in Sacris. Coronabantur Sacrificantes, hostiæ, idola. Erat etiam in certaminibus, ludis, triūphis. In nuptijs, vbi coronabatur Sponsus & Sponsa. In Regum Principumquê inaugurationibus. In funeribus, in quibus Libitina cadauera coronabantur. Itē, Sepulchra, cippi, columnæ. Legendi, Tertull. lib de Corona Militis, Cicero pro Flacco, Lucianus in Nigrino.*

MEMBRVM II.

CORONÆ CONVIVIALES.

Earum Materia, Forma, Caussa, Modus.

CORONAS *epulares peperisse putatur necessitas, vsurpasse deinde Voluptas, Cùm enim profusius biberent, medendis capitis doloribus, fascijs seu vittis primum capita redimebāt,*

atque ligabant, quibus accedebant flores & frondes boni odoris, vt etiam conuiuantes perfunderent, & demulcerent. Huius rei Bacchum auctorem credidit antiquitas, teste Plutarcho, quaest. 1. Sympos. 3. Vtiles etiam erant Coronae *istae ad refrigerandum caput, ex Medicorum consilio, vt Athenaeus tradit. Conficiebantur ex hederâ, nardo, myrtho, rosis, apio, lilijs, & tenuissimis, quae inter truncum & corticem tiliae sunt, tunicis, quas coronas philyrias vocabant. De quibus* Ouidius *lib.* Fastor.

> *Ebrius incinctis philyra conuiua capillis*
> *Saltat, & imprudens vertitur arte meri.*

Coronabant, primò quidem Caput: *tum collum & Pectus. Horat. lib. 2 Satyr. 3.*

> ——— *potus vt ille*
> *Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.*

Praetereà, Pocula. *Virg. lib. 1. Aeneid.*

> *Crateras statuunt magnos & vina coronant.*

Titull. *lib. 2.*

> *Aut è veste sua tendet vmbracula sertis.*
> *Vincta: coronatus stabit & ipse Calix.*

Virg. lib. 1 Aeneid.

> *Tum pater Anchises magnum cratera corona*
> *Induit, impleuitque mero* ———

Ad haec, Coronas *poculis immittebant, & ex ijs bibebant. quod appellabant,* Coronas bibere. *Id fecisse Cleopatram narrat* Plinius *lib. 22. cap. 3. Ac Coronam veneno imbutam scypho iniecisse è quo quigustaret, eductus è custodia expirauit. Item, triclinia, thoros, lectos ipsumquè pauimentum quodammodo coronabant, spargendo flores & Coronas. Quod tam profusè fecit Heliogabalus, vt parasitos suos penè violis & floribus oppresserit, & multi animam efflarent. Auctor Lamprid. Adhibebantur autem* Coronae *demum in mensis secundis, cùm iam largiore potu indulgere vellet. Denique vnguentis Coronas imbuebant. Sic Rex* Persarum *Coronam è rosâ & croco consertam, vnguento intinctam Antalcidae Spartiano misisse dicitur* Plutar. 7. Symp. Probl. *6. Quin eo processit antiquorum luxuria, vt arte conarentur vincere natiuos florum colores in Coronarum texturâ. Apud Christianos alicubi Sertorum & Coronarum vsus perseuerat. Germani in quadam regione singulis conuiuis Coronam imponunt. Belgae cadauer Virginis functae terna corona adornant ex rosis texta.*

MEMBRVM III.

CORONAE HONORARIAE

Earum Materia. Forma. Caussa. Vsus.

ANTIQVISSIMIS *temporibus Victores* PALMA *coronabantur. Ita Theseus à Cretâ redux, vbi ludos Delii instituerat victores exornauit. Mox Coronis mutatis, mansit consuetudo, vt Victores vbique* Palmam *manibus gestarent. Pausan. in Arcadic.* LAVREA *Corona propria fuit Delphicorum praemiorum, cùm ob perpetuum virorem; tum quia arbor Apollini fuit dicata.* Natalis Comes *lib. 4. Mythol. cap.* 10. *Apud Romanos* Palmae *Victoribus data,* P. *Cornelio Aruina, & Mario Rutilio* C. *Conss. Al. ab Alex. lib. 5. cap. 8.* HEDERA *Bacchus fuit coronatus, quam ex Indiâ in Graeciam deportauit, primusquè omnium capiti imposuit.* Plutar. lib. 3. Symp. segmento 1. Festus voce. Hedera, Ouid. Fastor. 3. *Alexander M. ex India Victorem exercitum* Hederâ *coronatum reportauit, exemplo Liberi Patris, cuius & thyrsos olim & galeas atque scuta in solemnibus Thraciae Sacris adornabat.* Plin. l. 16. cap. 34. OLEA *proprij generis Callistephanos, de qua Aristoteles in Pantheo Huius folia contrario modo se habent, quàm in alijs: extra siquidem non intus albent. Hinc Corona Oleaginea. Apud Lace-*

Lacedamonios, qui strenui fuerant in bello & occubuerant Oliua & alijs ramis redimiti exornabantur. Ælian.lib.VI.var.hist.

ROMÆ *mos erat, vt quoties insigni victoria Consules potiti essent, ob res prosperè gestas Laureatis fascibus prælatis incederent, litterasque Laureatas Romam mitterent, aut nuncios cum iaculis laureatis: nauem etiam laureatam, aut vittatam aduenire, victoria signum erat.* Alex. ab Alex.lib.1.cap.27. PERSEA *arbore coroni victores dicunt, quod à Perseo Memphi sata esset.* Plin.lib.15.cap.13. APIO *coronabantur monumenta defunctorum.* Calius lib. 7. Antiq. lect c.19. SPICEAM *Coronam primam apud Romanos fuisse tradit* Plinius lib.18. Ex CINNAMOMO *Coronas interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolij, atque Pacis dicauit Imper. Vespasianus.* Plinius lib.22. *E bracteis ligneis, siue eburneis varijs coloribus infectis Corona fiebant, qua vocabantur* Ægyptiæ *siue Hiberna, quod conficerentur hyeme, quùm terra horret. E lamina aenea tenui inaurata aut argentata Corona parabantur qua propter gracilitatem corolla dicta sunt.* Polydor.lib.2.de inuent.rer.c.17. *Coronã aureis argenteisque folijs primus suis ludis dedit Crassus Diues.* Plin.lib.21.

MYRTVS *Veneris victricis arbor Coronam dedit Posthumio Tuberto. Hac postea Ouantium fuit Corona* Plin.lib.15.c.19. *Coronam Solis Luna, & siderum specie commentus est C.Caligula,* Alex.ab.Alex.lib. 4. cap.19. ASPARAGO *Coronatas sponsas in Bœotia aiunt, quod deposita feritate ad alterius voluntatem mansuescere discerent: quippe ex corruda asparagus altilis atque esculentus fit.* Scaliger lib.3. Poëtic.cap.100. OVATA *Corona Ioanni Duca Imperatori Constantinopolitano post victoriam à Turcis partam imposita fuit. Quur sic dicta? quia cum Turca fame premerentur, ab eo Oua auro redemerunt. Tantum enim pecunia ex diuenditis ouis confecerũt, vt Imp. Irene Coronã fecerint gemmis & lapillis distinctã, quã Imper. Ouatã voluit appellari.* Niceph. Greg.lib.2.

MEMBRVM IV.

CORONÆ MILITARES.

Apud Romanos multiformes & varia fuerunt.

TRIVMPHALIS Aurea. *Imperatoribus ad honorem triumphi mittebatur, Id vulgo dicitur Aurũ Coronariũ. Antiquitus è lauro fiebat,* OBSIDIONALIS Graminea, *qua nulla nobilior, dabatur à liberatis obsidione & exitio totis castris.* Plin. lib.22. cap.5.& 6. CIVICA, *primùm* Iligna, *posteà ex* Esculo *Ioui sacra, quam ciuis ciui, à quo seruatus erat in prælio, testem vita salutisque percepta dabat* Plin.lib.16.c.4.

Muralis, qua donabatur ab Imperatore, qui primus murum subierat inque oppidum arcemue hostium per vim ascenderat, & idcirco quasi muri pinnis decorata erat. Alex.lib.4.cap.18. Plin.lib.16.cap.4.

Castrensis, qua donabat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introierat. Ex auro contexta Valli insigne habebat.

Naualis, qua & Rostrata, qua donari solebat maritimo prælio, qui primus hostium nauem armatus transiluisset, ea quasi nauium rostris insignita erat: & ex auro conficiebatur. Plin. lib.16.cap.4.

Oualis Myrtea, quo Ouantes vtebantur, quasi non Martius, sed Venereus esset triumphus absque sanguine parta victoria. Gel.l.5.c.6, Al.l.4.18.

MEMBRVM V.

CORONÆ

Regum, Cæsarum, Imperatorum, Pontificum.

SAVL Rex Coronatus fuit, quo interempto, Coronam eius accepit David tanquam regium insigne. Lib. 2. Reg. 1. Posteà etiam Coronam Regis Ammonitarum. 1. Paralip. 20. IESVS Christus Rex Regum, accepit Coronam auream à Patre: Sancti quoque in signum regni perpetui. Apocal. 6. & 14. item. 1. 2. 4. Reges & Imperatores Constantinopolitani quomodo coronarentur, describunt, Cedrenus, Euagrius, Zonaras. Cæsari & Imperatori Romanorum dantur tres Coronæ. Prima est argentea Regni Germanici. Secunda ferrea Regni Lombardici, quam Modoëtia suscipit. Tertia aurea Romani Imperij. Quomodo singulas susceperit Carolus v. eleganter narrat Iouius lib. 37. hist. Legendus Ioann. Azor tom. 2. Instit. ad calcem. Pontifex Romanus Diademate ornatur, triplici Corona spectabili, dequo, & cæremonijs Coronationis, leg. nd. Pontificale, & qui nouissimè descripsit Coronationem INNOCENTII. X. Pont. Max. Italicè, Antonius Gerardi.

MEMBRVM VI.

VARIA. SACRA. PROFANA. MISSELLANEA.

I. AN fas sit Christiano vti Corona olim fuit disputatum. Acer fuit in hac re Tertullianus libello de Corona Militis, in quem legendus Iacobus Pamelius. Certè, exosam fuisse Christianis Coronarum gestationem in sympofijs, epulis, & festiuitatibus secularibus ostendit satis Clemens Alex. lib. 2. Pedag. Cæcilius Christianorũ calumniator inter alia obijciebat, quod Christiani neque redimerentur sertis, neque vnguentis delibuti essent. Cui respondit M. Minutius Felix. Sanè, quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni florũ naribus ducere, non occipitio capillis-ue solemus haurire. Lege Gulielm. Stuckium lib. 3. Antiq. Conuiuat. qui de vsu posteriorum temporum apud Germanos sic scribit: In media Germania singulis conuiuijs subinde alias & alias Coronas imponi moris est, de varijs florum pro tempore generibus; aut etiã ex chartarum fascijs depictis, aut ex equinis setis tinctis, velut olim ex ramentis cornuum tinctis. Apud Christianos etiam Sponsæ Virgini Corona imponitur. Insuper Sacerdoti Neomystæ, dum sacra hostia primùm litat: nam Coronatus ad arã procedit, quod veluti desponsatus Christo Regalis Sacerdotij primum propriumque munus exequatur. Alicubi etiam solenne est, vt in Conuiuio nuptiali aßidentes Coronam habeant capiti impositam, & per ordinem mutent, Sponso, Sponsæ-ue deferant, eorumque salutem pleno cyatho delibent. Legendus Ioannes Mathenesius, De modo propinandi in Salutem.

II. QVAE sit Corona Nuptialis? Frequẽs est mentio in ritibus Hebraicis, Græcis, Romanis Coronæ nuptialis. Legendi, Ioannes de Pineda, libro 3. de rebus Salomonis cap. 5. & 6. Delrio in Canticor. 3. ibidemque Cornelius, Maimilianus Sandæus in Theologia Iuridica lib. VI. qui est de Matrimonio Allegorica inter Verbum & Humanitatem. Comment. 46. 47. 48. 49. Item, de Nuptijs D. Sophiæ, Commentatione 50. Materia Coronarum nuptialium fuit varia. Ex myrrha potißimum con-

contextas, sumunt aliqui ex illo Sponsa Canticor. 1.3. Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi. *Plinius flores odoratos nominat lib.* XXI. *cap.* 9. *Caßiam, Crocum, melilotum, cap.* 3. *nardum & folia vnguento madida cap.* 4. *rosas lib.* XIII. *cap.* 9. *flores spina, lib.* XV. *cap.* 29. *myrtum, cap.* 30. *Laurum lib.* XVI. *cap.* 34. *hederam lib.* XVII. *cap.* 44. *Oleam lib.* XVIII. *cap.* 2. *Spicas lib.* XIX. *cap.* 8. *rutam, lib.* XX. *cap.* 12. *Sisimbrum odoratum, lib.* XXI. *cap.* 8. *amaranthum, cap.* 9. *thimum & conyzum, lib.* XI. *cap.* 25. *heliocyssum, cap.* 27. *acinonen, cap.* 31. *sthrygnum, lib.* XXII. *cap.* 21. *Chamæmelon lib.* XXIV. *cap.* 10. *chamesisson, cap.* 12. *Spinam Arabicam cap.* 9. *philantbropon lib. ambrosiã, lib.* XXVII. *cap.* 11. *& hypoglossam. Athenæus lib.* XII. *& XV. myrrha & thuris frequenter meminit, & addit Coronas inspergi solitas vnguento myrrhino, sicut illa dicebat nuptiis vale remittens:*

Non mihi iam pinguis sudabunt tempora myrrha.

Quocirca Sponsa genas Sponsi comparans cum areolis aromatum, videtur describere flores ex illius serto, ac temporibus pendentes odoratißimos, & guttas etiam vnguenti myrrhini per faciem defluentis ex capite, cùm ait, cap. V. 13. Labia illius distillantia myrrham primam. *Quem locum sic legunt* LXXta: Maxillæ eius sicut phialæ aromatis germinantis, vnguentaria labia eius lilia distillantia myrrham plenam: *id est, implentes flores illi totam faciem, vsque ad labia : nam vnguentum à capite descendit in barbam.*

Hymenæum vt coronam capiat inuitat paranymphus apud Catull. ad nuptias Iuliæ & Manlij:

Cinge tempora floribus
Suaueolentis amaraci.
Flammeum cape, lætus huc
Huc veni niueo gerens
Luteum pede soccum.

Pars Quarta.

Corollis supplicatum sumitur ex illo Euclionis in Aulularia Plauti.

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas.
Hæc imponientur in foco nostro Lari
Vt fortunas as faciat nata nuptias.

III. CVR *Sponsus Sapientiæ dicatur Coronari tanquam Miles? Quia militat dum Sapientiam procatur. De Iacobo* Patriarcha *dicitur* Certamen forte dedit illi vt vinceret, *Sap.* X. 12. *Idcirco coronatur vt Miles, quia pugnando vicit. Consule* Martinum de Roa, *lib.* 3. *Singularium cap.* 10.

IV. QVÆ *sit* CORONA *Sponsi Sapientiæ? Prouerb.* IV. 9. Dabit capiti tuo augmentum gratiarum & *Corona inclyta* proteget te. *Sensus est varius. Caietanus idem esse putat, capiti augmentum gratiarum dari, quod reddi amabilem ac gratiosum. Hæc verò augmenta gratiæ vel fauoris capiti addenda dicit, quia rationalis pars, quæ perficitur Sapientia in capite sita existimatur. Quasi dicat, propter caput tuum, id est, Sapientiam tuam, gratiam omnium inibis.* II. *Iansenius ac Lyranus, per gratiarum augmenta capiti addita* Coronam *accipiunt, quia capiti splendorem ac decus conciliant. Eadem fuit mens* LXX *Interpretum, qui vertunt: Vt det capiti tuo coronam gratiarum. Vnde quod sequitur: Et* Corona inclyta proteget te*: prioris versiculi potest esse expositio, vel repetitio. Addit Lyranus: Antiquitus datas fuisse Coronas Sapientibus, nempe ex oliua, myrto, vel lauro, in signum,* I. *quod ab alijs deberent honorari.* 2. *quod in periculis deberent adiuuari, atque defendi. Talis* Corona *fuit* Cydaris *Sapientum insigne apud Persas, quæ idcirco Sapientiori datur Esdræ* IV. *cap.* 3. Cydaris byssina, & torques promittitur circa collum propter Sapi-

entiam suam. *Et quidem Cydari vel diademate tiaram obligare solebant Sapientes apud* Persas *vt tradit Brissonius lib. de Regno Persarum. Quare, cum ceteris tiara simplici vti liceret, addebant Sapientes Cydarim byssinam. Vt propriè dici posit capitis additamentum. Sic autem habet lectio originalis: Et dabit capiti tuo additamentum gratia.*

III. *Iansenius quoque Sapientiam ipsam, vt Coronam concipit, sicque exprimit Salomonis promissum: Sapientia erit tibi pro diademate & Corona. Quemadmodum enim diadema, gratum alioquin & pulchrum caput, nouo decore & gratia cumulat, sic Sapientia homines gratos magis ac honore digniores reddit. IV. Corona est regni insigne.* Per *sapientiã autem homo sui ipsius ac vitiorum Rex constituitur. V. Cum sermo ille censeatur esse Dauidis filio Sapientia amorem inculcantis, fortasse significat Sapientiam facturam, vt Corona regni illius, sit futura omnibus gratiosa, ipsaq; Sapientia magis quàm parens illi regnum conferat: Sicque Corona & Imperium, quod in alijs periculosum est, alea plenum ac securitatis expers, te muniet, tuebitur, ac securitate donabit. Ita Salazarius.*

V. QVAE nam *sit ista* Corona Inclyta, *quam* LXX. *indigitant,* Deliciarum? *An fortasse* Puerilis? *Nam Coronas inter puerorum delicias recenseri satis constat. An potius* Conuiualis? *vel* Sponsalitia *&* Connubialis? *In Conuiuijs sanè erat vsus Corona. Et apud gẽtes conuiua omnes Coronis solebant ornari. Apud Hebræos, Symposiarcha solus aut Rex Conuiuij ea videtur fuisse insignis. Quod colligunt aliqui ex illo Eccles.* XXXII. Rectorem te posuerunt, *agitur de regno Cõuiuij,* noli extolli. Esto in illis quasi vnus ex illis: curam illorum habe, & sic considе, & omni cura tua explicita, recumbe: vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias Coronam, & dignitatem consequaris corrogationis. *Vbi Corona tanquam insigne & nota muneris dati symposiarcha significatur. Erat autem Symposiarcha munus leges bibendi edendique conuiuis præscribere, aliaque ad conuiuium spectantia, inter quæ escarum distributio. Idcirco Rex symposij, eiusque munus Regnum appellabatur. Hinc illud Lyrici.*

Et regna vini sortiere talis.

Si *de Corona nuptiali sit sermo sensus est: Sicut Sponsa Sponsi sui caput Corona speciosa vincire solet, sic Sapientia atque Honestas si eam duxeris, capiti tuo Coronam imponet. At negant aliqui sponsum à Sponsa accepisse Coronam: cùm Sponsus sponsæ solitus fuerit illam offerre, vt constat ex Ezechielis* XVI, *vbi* DEVS *Sponsi personam induens, Ierosolymam, tanquam Sponsam, affatur:* Dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & Coronam decoris in capite tuo. *Et Cant.* IV. *Sponsus ad Sponsam* Veni de Libano: Veni Coronaberis. *Hoc ipsum autem plurimum facere potest ad excellentiam Sapientiæ, tanquam Sponsæ attollendam: quia cum aliàs Sponsi suas sponsas Coronis donare soleant: hæc contrà, Sponsi quoque partes agens, si illam Sponsam duxeris, Coronam capiti tuo imponet.*

AT, *rituum Hebraicorum gnari probant fuisse Matris coronare Sponsum, ex illo Cantic.* 3. Videte Regem Salomonem in Corona, qua coronauit eum mater sua in die desponsationis. *Quod apud gentes etiam vsitatum significat Euripides in Ephigenia, quam eius mater* Clytemnestra *nuptui se daturam significat his verbis:* Attamen Coronans

nans eam adduxi, tanquam nupturam tibi. *Ita ergo Dauid filium suum alloqui potuit Mater quidem coronare Sponsum consueuit: sed si tu Sapientiam duxeris, scias, quod ab illa magis Speciosam, quam à matre tua Bersabea Coronam, nempe regiam, & omnium gratiarum accipies.*

Si magis lubet per Coronam deliciarum *intelligere* Coronam Conuiuialem; *hunc intellectum habere potest paterna illa cohortatio: Quemadmodum communi omnium gratia, conuiui Rex aut Sympofiarcha creatur & Corona insignitur in potestatis argumentum. Quod significant illa Ecclesiastici: Et ornamentum gratiæ accipies Coronam: hoc est, ex gratia ac beneuolentia conuiuarum Coronam assequeris, conuiuii Rex, seu Rector creatus. Sic tu Sapientia & Honestatis ope id obtinebis, vt communi omnium procerum acclamatione & congratulatione Coronam consequaris.* Et dabit capiti tuo Coronam *gratiarum*, & *Corona deliciarum* proteget te. *Coronam obtinebis ex communi omnium gratiâ, ad eum modum, quo inter conuiuarum delicias Sympofiarcha defertur. Legendi Salazar, & Cornelius in Prouerb. & Pineda de rebus Salomonis lib. V. cap. 3. num. 6.*

EPILOGVS

S. MARIA V.


CORONA. CORONIS. CORONARIA.

QVICQVID in aliquo genere vndeumq; perfectũ, & planè consum matũ est; CORONA, & CORONIS appellari solet, apud Latinos Græcos, Hebræos ob perfectione figuræ rotundæ vt in superioribus à nobis est declaratum. Sic Eccl siastici 1. Timor Domini vocatur CORONA *Sapientiæ, & exultationis*: id est, consummata & absoluta sapientia, & exultationis caussa, ipsaque perfecta exultatio, sicut & gloria, ac gloriatio, id quod consummat, vt ibidẽ dicitur. Eccl. cI. xxv. ver. 8. *Corona senũ multa peritia*: id est, prudẽtia multiplici experimẽto longoque vsu collecta (Græcè πολυπειρία) est senum perfectio summa. Prouerb. xvII. 6. *Corona senum filij filiorum*: nimirum, numerosa propago posterorum. Plura in hac rem congerit Carolus Paschalius lib. 1 de Coronis cap. 1. Quæ omnia illustrant siue Symbolum, siue Titulum DEIPARÆ, quæ non rarò à Patribus appellatur.

CORONA S. Cyrillus Alexandrin. homilia habita in Synodo Ephesina contra Nestori. CORONA *Virginitatis*. Quia enim nullius Virginis puritas ad puritatem ac nitorem exquisitissimum MARIÆ accessit, dicitur eius Virginitas perfectissima, & in apice constituta. Idemque erit. quod Virgo purissima, seu perfectissima, si abstractum Virginitas, positum sit pro concreto, vt frequenter contingit. Eodem sensus salutatur in Hymno Græcorum apud Buteonem p. 124. CORONA *Temperantiæ*. A B. Ephrem acclamatur illi initio Laudat. B. V. CORONA *Sanctorum omnium*: A S. Epiphanio

Orat. de Laudib. Deip. CORONA *regia preciosissimum habens Lapidem, & gemmis similem Christum.*

CORONARIÆ *mulieres* dicuntur Latinis, quas Græci vocant Στεφανηπλόκους, quod Coronas plectant. *Corona Opifices* appellat Flaccus lib. 3. Carminum. De his Coronarijs mulieribus multa habet Paschalius lib. 2. de Coronis cap. 12. quæ conferunt, vt intelligatur encomium B. Virginis, quod est in Hymno Græcor. apud Buteonem pag. 13. CORONARIA CERTANTIVM. Quæ sic dicta est, vt benè exponit *Theophilus Raynaudus*, in Obseruationibus ad Nomenclatorem Marianum, quia hic in vitæ scammate viriliter se gerentibus plectit Coronas, impetrãdo illis vires ac robur, vt superiores euadant, sicque pertingant ad Coronã. Quod selectis aliquot exemplis declarat, ex quibus ita colligit: Habent igitur Christi Pugiles generosi præter Agonotheten, quem Christianis certaminibus præficiebat Tertullianus, Lib. ad Mart. cap. 3. DEVM viuum, & eorundem Epistaten, Christum IESVM, ac Xystarchen, Spiritum-Sanctum, CORONARIAM DEIPARAM, eandemq; CORONIDEM, cuius interuentione speranda, vt ibidem loquitur Tertullianus, CORONA ÆTERNITATIS, Brabium Angelicæ substantiæ, Politia in Cælis, GLORIA in Secula Seculorum.



LIBER II.

LIBER II.

ORDINES MILITARES ECCLESIÆ MILITANTIS.

Quibus

CORONA CERTAT.

Identidem inclamans:

Fratres mei Chariſſimi & deſideratiſſimi, Gaudium meum, & Corona mea: Sic ſtate in Domino, Chariſſimi. Ad Philipp. IV. I.

COMMENTATIO I.

ORDINVM MILITARIVM DIVERSITAS.

MAIESTAS Eccleſiæ Chriſtianæ Militantis, vt in alijs multis, quæ hactenus in eâ ſpectauimus, tum præcipuè etiam cernitur in tam varijs Ordinibus Militaribus quibus cingitur, tanquam domeſticis ſatellitibus, quorum fideli operâ ad omnem expeditionem bellicam vti ſolet, ſiue defendendi ſui, ſiue hoſtes abigendi, aut opprimendi cogat neceſſitas, vel inuitet opportunitas.

MEMBRVM I.

MILITVM ET EQVITVM DISCRIMINATIO.

EQVITES Latinè, MILITES communiter Iuriſconſultis, apud omnes ferè gentes, nomen ab equis inuenerunt. *Caualieri* ſanè Italis, *Caualleros* Hiſpanis, *Cheualier* Gallis, *Ritter* Germanis & Belgis, *Margogh Cambro* Britannis ab equitãdo dicuntur: Anglis ſolummodò *Knghtes* vocantur: quod antiquâ Anglorum vti Germanorum linguâ, Miniſtrum, ſiue ſeruientem, & iuuenem promiſcuè ſignificat. Milites etiam dicebantur cõmuniter, qui prædia beneficiaria ſiue feuda habebant, vt militarent. Hinc feuda militaria dicta fuerunt, & qui alibi Feudatarij, in Angliâ & alibi Milites dicebantur: Vt Milites Regis, Archiepiſcopi

copi Cantuariensis, Comitis Rogeri, Comitis Hugonis & aliorum:. quod eâ lege prædia ab ijs accepissent, vt illis militarent. Quod si pro solidis militabant, *Solidarij* & *Seruientes* appellabantur.

PORRO, siue Milites siue Equites variè olim denominatos reperio, potissimùm verò ab ornamentorum insignibus, quibus ab emeritam Militiam decorati fuerant. *Auratorum* nomen multis ab auri præcinctura, vel auratis calcaribus adhæsit. *Cornicularij* dicebantur, qui emeriti Milites erant, armillis, corniculisque virtutis ergo donati. Quod hodie etiam num aliquot Germaniæ Principes in more habere tradit *Lazius*, qui aulicos suos multo tempore cognitos. & in varijs ministerijs vsurpatos corniculis argento comprehensis, & in humeris suspensis donant. *Torquati* vocabantur, torquium ornamentis, vt illi corniculis decorati. Quibus & duplex plerumque stipendium dabatur, vnde *Duplares* dicti sunt. De Torquium donis siue insignibus, vnde Manlio Torquato memoria, consule Liuium Deca III. lib. 4.

MONOZONI, illustres olim cingulo militari, siue baltheo fuerunt honorati inter Milites; de quibus Iure consultis fit mentio in *Lege Valentis*. Quem à priscis temporibus ad Germanos morem esse deuolutum est verosimile admodum: nā sicut apud Romanos ab egregia facta Miles baltheo donabatur; ita vetustiori in Militia Germanorū Cingulo & Gladio (quæ hodie ornamenta in Calcaria sunt versa, & auri præcincturam) Miles emeritus publicè ornabatur. Hinc Cingulo donare elegantius, & prisco ex more dicimus, quod hodie, mutatâ consuetudine, Gladio percuti, & Auratum fieri Equitem dicere solemus. Nō enim Gladio verberabantur, quod hodie fit, qui insigne quid in bello aut prælio egissent sed Gladius illis cum Baltheo jā Principe accingebatur. Qui autem *Monozoni* Iureconsultis, Græca origine, Historicis verò *Cincti* nuncupantur, hodie *Equites Aurati*, quod aurum in calcaribus & gladio gestare possint, dicuntur. In Annalibus peruetustis Austriæ hæc leges, Anno M. CC. XLV. Fridericus Dux Austriæ auro plenus & argento in festo S. Georgij CXL. iuuenes de terra sua Nobiles apud Viennam honorificè donauit Gladio & Cingulo Militari. Vtrumque occurrit frequenter in antiquis picturis & sculpturis: Cingulum scilicet, bullis aureis graue ac densum, in lumbos ac ventrem demissum, vnde Pugio ex vno. & ex latere altero Gladius pendet. Quod priscis erat ornamētnm Militis honorati, siue Equiris: quæ nomina nullo discrimine vsurpantur in Nomenclatore Ordinum Militarium. Consule Iurisperitos in *Rubrica Instit. de Testam Milit.* nominatim *Viglisum*.

NB in Titulo CORONATA CERTAT.

(*,*)

MEM-

MEMBRUM II.

ORDINES MILITARES.

Sacri. Non-Sacri.

MILITES, qui & Equites Christiani, ad duas vniuersim classes reuocari possunt: vt alij sint *Sacri*, alij verò *Non-Sacri*. Hi, idest, nullo modo Sacri dicuntur, qui sola Regum aut Principum auctoritate sunt instituti; & nulla summi Pontificis Romani auctoritate confirmati: ac ideò nullis Ecclesiæ priuilegijs gaudent, nisi ijs, quæ habent speciali Pontificis beneficio. Qui quidem Equites vulgo TORQVATI dicũtur, eo, quod Torquem aureum deferant è collo pendentem. Quales in Anglia sunt *Equites, Iarterij*, in Galliâ, *Equites Stellæ*, & *S. Michaelis*; in Sabaudia, *Equites Annunciationis*; in Hispaniâ, *Equites de la Banda* (qui iam desierunt) in Burgundiâ, *Equites Velleris aurei*. Vulgò *del Toson*, cuius supremum ius & potestas modò penes Hispaniarum Reges est.

ISTI verò Equites, nempe *Sacri* appellantur, qui tribus Religionis votis sunt adstricti, formam aliquam viuendi auctoritate Ecclesiæ approbatum profitentur, denique aduersus fidei hostes & Christianæ Religionis inimicos, quà terrâ, quà mari belligerant. Et isti sunt triplicis generis. Alij enim sunt viri Nobiles, qui velut Sacri quidam Milites, instar Machabæorum, pro fide ac lege Christi, cum Turcis & Saracenis fortiter dimicant. Alij sunt Clerici, qui ad diuina ministeria obeunda recepti in suorum Ordinum Collegijs ac Sacris ædibus commorantur, in choro diuinas laudes decantant, Missarum Sacrificia offerunt, DEVM pro Militum salute deprecantur. Qui & solent Ecclesijs præfici, quamuis Ordini Militari subiecti: aliquando etiam, tanquam Capellani cum ipsis Sacris Militibus in Militia versantur, ad illorum cõfessiones excipiendas, rem diuinam faciendam, & ijs venerabilem Eucharistiam impertiendam. Alij denique sunt, qui ad domestica munia & ministeria exequenda admittuntur, tum Clericis, tum Militibus inseruientes.

HI Ordines, *Militares* appellantur, quia ad Militiam instituti: *Religiosi* verò, quod Milites in hos Ordines recepti tribus se Religionis votis obstringant: *Sacri*, quoniam Regulam Ecclesiæ auctoritate approbatam profitentur, DEO per tria illa vota deuincti, & addicti ad dimicandum pro fide & Religione Christianâ. De quibus nos hic agimus potissimùm.

COMMENTATIO II.

ORDO MILITARIS EQVITVM S. CRVCIS.

Ab Imperatore Constantino institutus, & per orbem Christianum vbique gentium sparsus, ac receptus.

MEMBRVM I.

ORDINIS INSTITVTIO.

CONSTANTINVS MAGNVS Anno Christi CCCXII. Imperij sui VII. contra Maxentium Tyrannum prælio certaturus, CRVCEM diuinitus apparentē conspexit in aëre. Sole à meridie flectente; siue illa Solis reflexione, DEO operante, formata, siue stellis, Angelorum opera, coëuntibus ad illam figuram effigiata fuerit, legitque characteribus expressum, & fortasse audiuit etiam sonora voce pronunciatū Numinis promissum. IN HOC SIGNO VINCES. Hanc CRVCIS apparitionem Constantino factam in Vbijs, terrâ Coloniensi, haud procul ab vrbe Agrippina, certè in Tractu Rhenano alibi demonstramus. Veneratum fuisse Imperatorem SIGNVM quod videbat, & in illo Auxiliatorem suum, quem non videbat, sed ad fore sperabat, haud ambigo. Sic ad Christi Sacra per CRVCEM traducto CONSTANTINO, demandata est ab ipso cura Nobilissimis QVINQVAGINTA MILITIBVS, ijsque fortissimis præferendi in pugna CRVCIS VEXILLVM. Hos Quinquaginta Vexilliferos in Societatem coijsse, & PRIMVM constituisse in ECCLESIÆ CHRISTI MILITANTE ORDINEM MILITAREM, sub CONSTANTINO supremo illius Magistro, à quo Cruce fuit signati, existimo, haud leuibus argumentis ductus ex Ecclesiastica historia.

MEMBRVM II.

ORDINIS DILATATIO.

MOx Nobilium Palatinorum arma vestesque signari CRVCE cœperunt. Ab hoc deinde initio mos inualuit adsciscendi CRVCEM pro gentilitio stemmate; aut collocandi in Scuto familiæ. Quod paullatim ad Nobilium Militum posteros transijt. Sanè, etiamnum Virorum Illustrium ac primæ Nobilitatis Insignia CRVCEM ostentant; & de CRVCE nominari gaudent. Sed nullibi (vt reor) antiquiora sunt in hoc genere monumenta, quàm in Hispaniâ,

vbi celebratur IOANNES DE PALAFOX, *Marchio de Hariza*, quem fuisse ferunt ex lineâ vnius è Quinquaginta illis Nobilibus Primi Ordinis Militaris, qui Constantino CRVCIS Labarum prætulerunt. Ob quam caussam stirpis illius Heroës in Insignibus Angelum ostendunt, & CRVCI adhærentem inscriptionem: IN HOC SIGNO VINCES. Sequuti sunt Principes alij, è quibus nominari possent plurimi, qui Sacras Expeditiones in Terram Sanctam, aut contra CRVCIS inimicos, Saracenos, Turcas, Hæreticos, promouerunt, aut susceperunt. In quibus celeberrimum nomen habet Princeps BOHEMVNDVS Guiscardi Apuliæ Ducis filius, qui Sacram Expeditionem mente agitans, coccineis duobus paludamentis in teniolas scissis, CRVCES composuit, easque assuit sagulis duodecim millium generosorum Militum.

SIMILIA leguntur in historijs Familiarum principum, CRVCES inter Gentilitia Signa, siue Erectas, siue Decussatas, siue vtriusque in Clypeis suis consociatas præferentiũ, & ijs magis, quàm vel Solis Lunæ, Siderum; vel Aquilarum, Leonum, Pardorum, aliorumque animalium; aut quarumcumque rerum inanimatarum formis aut figuris gloriantium. Postquam autem primi Familiarum Illustrissimarum Heroes CRVCES adsumpserant, easdem posteris in hereditarias tesseras consecrarunt; vt nepotes quoque suos, & seram omnem posteritatem CRVCIS domesticæ intuitu, ad CRVCIFIXVM amandum, CRVCEM honorandam, & pro CRVCIS honore fortiter pugnandũ, sanguinemque prodigè (quod hic virtutis est) fundendum, inflammarent. Hæc spectasse mihi persuadeo primos EQVITES fortissimos, ac pietate Christiana Excellentissimos Domus Nobilissimæ *Aldeburgicorum*, *Principum Calabriæ*, *Ducum Allobrogum*, & vetustissimorum *Asperi Montis Lindeniæ Comitum*, aliorumque Regulorum, & Nobilissimorum Militum, Equitumque, in quorum Scutis, Clypeis, Galeis CRVCES eminent. Nimirum, ipsis etiam, ipsorumque posteris

——— *Clypeorum Insignia* CHRISTVS *Sculpsit*, (a) *& exarsit summis* CRVX *addita cristis*.

Quod cecinit Christianus Poëta de CONSTANTINO. In quo Christianissimo Imperatore, priuatæ deuotionis fuit, sed ad publicum Militum Christianorum incitamentum, quod refert eius in vitâ Eusebius: (b) solitum fuisse signare frontem CRVCE, quasi Trophæo victorioso. Ita Magno Constantino præeunte, factũ est, vt à locis suppliciorum fecerit CRVX transitum ad frontem Imperatorum. (c) Quocirca non pudeat Viros militares signare frontem CRVCE. Eia Milites Christi frequenter gaudentes hoc SIGNVM leuate in frontes, quod Cacodæmones cùm viderint, contremiscent. Certè, qui aurea Capitalia non timent, CRVCEM timent, clamat Origenes (d)

(a) *Al. Scripsit.* (b) *Lib 1. cap. 28 lib. l. cap. 20.* (c) *S. August in Psal 36.* (d) *Hom. 8 de diuers.*

MEMBRVM III.

CRVCE SIGNATI.

PRINCIPES. REGES. IMPERATORES.

HOc Ordine Militari Equitum S. CRVCIS introducto & stabilito, magis deinde, Christianâ Religione per orbem propagatâ, hæsit in animis verè Nobilium singularis erga CRVCEM & CRVCIFIXVM Pietas ac Deuotio. Nec reperio in historijs nationum vllos æquè CRVCIFIXO deditos, & CRVCI Addictos, ac Viros Militares Nobiles: neque aliquos tantùm sortis inferioris, sed supremæ Nobilitatis plurimos. Exemplis si agatur, infinitudine confundar: tot occurrunt Christianorum Militum coronata capita. Hic nominare possem, ex Imperatoribus, post *Constantinum Magnum*, celeberrimos in illa serie, *Iouinianum, Valentinianum, Theodosium, Tiberium*, *Heraclium*, *Leonem*, *Carolum Mag. Ludouicum*, *Henricum Rodolphum*, *Conradum*, *Fridericum* MAXIMILIANVM I. *Carolum* V. Ferdinandos III. Ex Regibus, *Ludouicum* Galliæ, *Philippos* Hispaniæ, *Alphonsum* & *Ioannem* Lusitaniæ, *Oswaldum*, Eduardum, & *Henricum* Angliæ, *Sigismundum* Poloniæ, *Stephanum* Hungariæ. Ex Archiducibus, *Leopoldum*, *Rodolphum*, *Fridericum*, *Maximilianum*, Ordinis Teutonici Magistrum, Augustissimæ Domus Austriacæ Heroës: de quibus non vanè scripsit Vir doctus: Eos amplissima Regna & Imperia, Religione Sacramentorum cultu, signatè autem CRVCIS veneratione, defensioneque, & CRVCIFIXI DOMINI pientissimâ obseruantiâ sibi peperisse, continuasse, conseruasse in dies potentia crescente.

Ex Ducibus, Lotharingos, *Godefridum*, *Eustachium*, *Balduinum*, Nortmannos, *Robertum*, *Bohemundū*, *Rogerium*. Sabaudos, *Amadeū*, *Emmanuelem*, *Carolum*, *Philibertū*. Hetruscos. *Cosmum*, *Iulianum*, *Laurentiū*. Bauaros, *Albertum*, *Gulielmum*, *Maximilianum*, nullis in honorandâ CRVCE, & imitando CRVCIFIXVM inferiores, plurimis superiores. Ex Comitibus, vt omittâtur alij sine numero, *Elzearium* Arriani Comitem cum *Dalphina* castissima coniuge, eiusdē cum marito propositi, nullibi sine CRVCE agentem, & semper in VVLNERE LATERIS CHRISTI nidulari solitum.

ADIVNGI his possent ex Nobilitate Equestri in qualibet Gēte, siue illi denominentur *Barones*, siue *Dynastæ*, siue Satrapæ; quorū Maiores CRVCE signati, vel ad recuperandā Palęstinā, CRVCIFIXI Theatrū, se contulerunt olim, vel in alijs, pro CRVCE & CRVCIFIXO Expeditionibus militarunt: atque exinde CRVCEM posteris in gentilitio stēmate, aut familię Scuto reliquerunt. Quales sunt innumeri, in Italia, Germania, Hispania, Gallia, Sarmatia, Britannia, Pannonia, alijsque Orbis Christiani Regnis & Prouincijs. Adnotatū profectò est diligenter ab ijs, qui Tesserariæ CRVCIS origines curiosè inuestigarunt, CRVCES migrasse in Clypeos

peos Imperatorum, Regum, Principum, Nobilium, indeque Familiarū, ex amore erga CRVCIFIXVM aut ad honorandum CRVCEM. Mox enim vt Christi religionē amplexi fuerant per CRVCEM se redemptos professi, vel nomen MILITIÆ CHRISTIANÆ dantes, Clypeos aut vestes CRVCE insigniebant, Exemplo Magni Imperatoris, & ab eo instituti Ordinis Militaris, CRVCIS Titulo illustrium.

A Filio autē Imperatore seiungi non debet Mater Augusta HELENA, illa *Templorum*, CRVCI & CRVCIFIXO dicatorū, & CRVCIS figurā referentium MATER, multo verior, quàm à Gētilibus celebrata *Castrorū* Agrippina. Inuentrix CRVCIS HELENA, quā nobilissimas inter Matronas, nulla fuit, nulla erit CRVCI & CRVCIFIXO magis DEVOTA. Ab hac eiusque imprimis filio originē habent *Ordines Militares*, CRVCE signati, & CRVCIFIXO mancipati. Quibus quid illustrius in Orbe Christiano? quid splendidius in Ecclesiā Christi Militante; cum & professione sint Religiosi, & armorum tractatione Milites, CRVCIS inimicis terribiles; haud minus profectò, quàm CASTRORVM ACIES ORDINATA.

COMMENTATIO III.

ORDINES MILITARES

Terræ-Sanctæ-Palæstinæ. Syriæ.

MEMBRVM I.

ORDO MILITARIS EQVITVM SANCTISSIMI SEPVLCHRI D.N.I.C.

In Regno Ierosolymitano.

NOMINANTVR EQVITES isti hoc tempore, IEROSOLYMITANI DOMINICI SEPVLCHRI. Eius Ordinis originem quidā referunt ad S. Iacobū fratrē Domini, Episcopū Ierosolymitanū Anno LXIII. pro Christo cæsum: indeq́ factum, vt istius Instituti Milites Ierosolymorū Patriarchæ fuerint subiecti. Magis cōmunis est illorū sententiā, qui existimant, CONSTANTINVM postquā Militiā instituisset in honorē CRVCIS quam conspexerat, vel in cælo, vel in aëre, patefacto deinde Domini Sepulchro glorioso, Ordinē alterū Militū CRVCE signatorum introduxisse. Nam cum Imperatoris Mater HELENA diuino mōstrāte Numine cū CRVCE Monumentū Dominicū feliciter reperisset sumptuosas in honorem Resurrectionis Dominicæ erexit ædes, præcipuæ autem tutelam addidit Militum Sacratorū, quibus nomen titulumq́ue dedit SEPVLCHRVM DOMINI, consequenti ætate adiunctum fuit Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, eiusque Sodalibus S. Sepulchri custodia demandata; Saracenis interim, & Turcis (qui rerum inibi potiti, totum Orientem, & præcipuè Palæstinam diutissimē afflixerunt) id ægrē,

tributo animo persoluto, indulgẽtibus.

Qvo factum, vt CAROLVS Magnus Imperij Occidentalis Conditor Christianorum tranquillitati ijs in partibus consulens, cum infidelum Rege Aarone fœdus inierit, pro se & posteriorum temporum Principibus vt ritu inter Christianos recepto, certis Vrbis Sanctæ attributis locis Sacra peragere possent. Ita arctata fuit Christianorum potestas, & Barbarorum vinculis per multas annorum centurias Sodalium S. Sepulchris detenta virtus; donec tandem felicibus GODEFRIDI Bullonij, & BALDVINI fratris eius auspicijs, quasi relaxata, in apertum tandem prodijt. Porrò ij Canonicos Regulares S. Sepulchri Cũstodes, Militiæ suæ ad honorem SS. Resurrectionis susceptæ vniri voluêre. Quorum incredibili virtute muniti, id perfecêre, vt Christianorũ regna, prouinciæ, vrbes tam in Oriente, quam in Occidente, aduersus Barbarorum & infidelium incursiones, vel fortissimè tutati fuerint vel etiam recuperarũt, & Christianum nomẽ per florentissimas terrarum partes admodum propagarint, idque eo tantum fine, vt Christiana Religio aut sarta tecta conseruaretur, aut à Barbaris oppressa in integrum restaurata reflorescceret.

EIVS rei fidem faciunt tot Belli Sacri Expeditiones in Terram-Sanctam susceptæ, quæ CRVCIATÆ, aut VIÆ S. SEPVLCHRI nomine à Scriptoribus commendantur. Docent tot Principũ & fortissimorum Ducũ (qui Militiæ S. Sepulchri nomina dederunt) ad summos Pontifices de rebus in Syria gestis perscripta testimonia; nec nõ sumptuosissima titulo S. Sepulchri per orbẽ Christianũ erecta Cænobia. In quibus hodieq; videre licet Militũ illorũ imagines & monumẽta, tibijs in CRVCEM transuersis (sic enim sepulti fuerunt, quotquot illo seculo nomina Bello Sacro dedissent; vel qui (vt tunc temporis loquebantur) CRVCEM suscepissent. Verùm deinde pessũ eunte Ierosolymitano regno, & per intestina mala distractis Christianorum animis, domesticorum perfidiæ cessit bellicosissimorũ Militũ destituta subsidijs conuenientibus virtus. Itaque in Italiam secedentes, Perusiæ sedem suã collocarunt multi. Alij ex voluntate Innocentij VIII. P.M. in Societatem Rhodiorum Equitũ adsciti sunt; alij ad propria, dum Copiæ aduersus communẽ Christiani nominis hostem restaurarentur, remearunt. Agit de hoc Ordine Militari vbertim Innocentius III. cap. *Inter Dilectos de Donat. Ex.*

OBLIGANTVR huius Ordinis Milites ex Regulæ præscripto, ad ista præcipuè Infidelibus pro virili arma inferre: captiuos redimere: Preces & Horas S. CRVCIS quotidie recitare: *Quinque Cruces rubeas*, in honorẽ Quinque Plagarũ Domini CRVCIFIXI: vel, Sanctæ Crucis, Sanctissimiq; Christi Sepulchri, ac S. Georgij Insignia deferre, vt indicant Tabulæ Equestres *Petri Menneniij*. Leges, siue Cõstitutiones, vt vocant, ipsis Latinè à Carolo Magno, Ludouico Pio, Philippo Sapiẽte, Ludouico S. Galliarũ Regibus, & Godefrido Bullionio, præcipuo Ordinis Instauratore præscriptas ex autographo recitat *Iacobus Villamontius*. Priuilegia, & Ceremonias *Bartholomæus à Salígniaco Ioannes Zuallardus*, *Nicolaus Hautius* Fromontij Regulus eiusdem Instituti Equites, nec nõ *Nicolaus Christophorus Radzivilius*

xiuilius Dux Olikensis in sua Peregrinatione Ierosolymitanâ recensent: & ex iis alijsque *Abrahamus Ortelius*: ac *Franciscus Quaresmius* libro secundo Elucidationis Terræ-Sanctæ à cap. XXXI.

ORDINEM Militarem S. Sepulchri quidam duplicem faciunt: Alterum appellant *Sepulchri Christi apud Italos*: alterum *Sepulchri Christi in Ierusalem*. Ita Aubertus Miræus insinuat, qui libro I. de Origine Ordinum Equestrium cap. 15 sic scribit: *Fuit olim & Ordo Equitum Sepulchri Christi in Italia celebris; cuius quidem candidati binas* CRVCES *rubras pro tessera in veste praeferebant, Sede primaria Perusiæ constituta. Hos Innocentius* VIII. *Papa Rhodiis Equitibus adiunxit*. Tum cap. 16. adiungit: *Agmen claudant Milites, siue Equites toto orbe notissimi, quos Ierosolymitanos, siue S. Sepulchri Domini Nostri* IESV *Christi in Ierusalem nuncupant*. Videtur sanè loqui de prædictis Ordinibus, tanquam de distinctis; tum quia tanquam de diuersis diuisim disserit; tum quia diuersa insignia vtrisque adscribit.

Verùm alij specie illos non distinguũt, sed quod superius indicauimus, asserunt, Equites Italiæ traxisse originem ex Ierosolymitanis, quando nimirum S. Ciuitate deperdita, habitationem in Italiam transtulerunt.

QVIS autem Ordinis Dominici sepulchri primus Institutor haberi debeat Iacobus-ne Apostolus, an Constantinus Imperator? certant Auctores: lis componi potest, si initium aliquod rude adsignetur Apostolo, vt Patriarchæ, amplificatio Constantino CRVCIS, & Resurrectionis Domini religiosissimo Amatori ac Defensori. Cetera, quæ ad eundem spectant Ordinem, vt sunt Gentilitia Stemmata Regni Ierosolymitani & Equitum: Crucium pluralitas & mysteria in Stemmatibus: Progressus & multiplex conditio ac status Ordinis: Modus perficiendi, siue ordinandi Militem S. Sepulchri: Statuta ac Leges à diuersis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Magistris latæ ac promulgatæ: Priuilegia, Prærogatiuæ, Encomia: Expeditiones bellicæ, & his adnexa prosequuntur Auctores antea nominati.

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM HOSPITALARIORVM

Sancti Ioannis Ierosolymitani, qui post Rhodii dicti, nunc Melitenses vocantur.

QVo tempore Terra Sancta Christianorum Catholicorum Principum Expeditionibus militaribus sacris celebris esse cæpit, Quatuor præcipuè Sacri Militarium Virorum Ordines Ierosolymis aut exorti, aut reparati auctique fuêre. *Primus*, Hospitalariorum, qui S. Ioannis dicti sunt, à Gerardo quodam. *Secundus*, Templariorum ab Hugone, & Godifredo. *Tertius*, S. MARIAE Teutonicorum, à Germanis. *Quartus*, S. Lazari, origine, vt existimant quidam antiquissimus.

Hos inter semper excelluisse produnt Ordinem Militum S. Ioannis, vel à Ioanne Hircano Machabæo trahentium origi-

originem; vel à Ioanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino benignitatis cognomine in pauperes celeberrimo; licet vota Ioanni Baptistæ, vt Patrono nuncuparent. Horum ab initio sedes primaria fuit Hospitale S. Ioannis in Ierusalem (quod Militibus Hospitalariorum nomen dedit) à Girardo (vt quidam illum nominant) incerto quo, qui loca Christi pedibus calcata, & Sanguine respersa visens, nouo genere feruoris exædificauit Hospitalem domum, attraxitque in consilij societatem Nobiles aliquot. Instituti sui, & viuendi rationis approbatorem habuit Gelasium II. Papam. Vestem nigram, Crucemque in ea candidam Commilitonibus, Honorio II. Pontifice Max. annuente, attribuit. Leges artiores attulit Raymundus de Rhodio, primus Ordinis formati Magister, qui se in ibi vocat *Seruum Pauperum Christi*, & Hospitalis Ierusalem Custodem; additque se de Consilio Capituli Fratrum ibi digestas sanctiones cõstituisse, quæ variæ & Christianæ pietatis plenæ in Codice Statutorũ leguntur. Cœnobia Ordinis rariora sunt, Bona & census in omnibus ferè prouincijs. Quod mirum non videbitur ei, qui sciet illos Innocentij Papæ, & aliorum munitos Diplomate olim, omnia Christianis ferè habitata loca obtinuisse: & pro Confratrijs suis, (sic Sodalitij Bulla vocat) eleemosynis vndique Christianorum liberalitate donatos fuisse. Vt videre est apud Belli sacri Scriptores, *Tyrium* lib. XVIII. cap. 5. *Vitriacum*, cap. 64. *Marinum Sanutum*, *Torsellum* lib. III. par. 8. Ex quibus & illud habetur.

MILITVM huius Ordinis ex voto Religionis in professione emisso, Finem fuisse, peregrinis ad loca sacra confluentibus genus omne officij ac pietatis solicitè exhibere. Et itinera à latrocinijs, & incursionibus Barbarorum tuta reddere. Quod adeò fortiter præstitêre, vt, Christianorum etiam Principum auxilijs subnixi, felicissimè sæpius exercitum in Saracenos direxerint. Vnde id incrementi, quod hodie cernere est sumpserunt. Christianorum porrò rebus in Syria perditis, *Rhodi* Insulæ ius omne à Clemente V. Pont. Max. ijs attributum ac confirmatum esse, testantur Paulus Æmilius, Blondus & alij. Quæ quidem Insula non rarò postea ab infidelibus tentata frustra fuit, Equitibus Sacris eam egregiè defendentibus & hostem repellentibus. Quod factum etiam cùm Mahometes Turcarum Imperator, Anno 1460. & 1481. illam inuadere extremo conatu niteretur: sed dedecus reportauit. Tandem tamen Anno 1523. à Solimanno Imperatore Turcarum, nôn tam deuicta, quàm proditione (quæ fortissimos quosque perdere potest) superata in Barbarorum manus deuenire coacta est.

MELITAM igitur à Carolo V. Imperatore & Clemente VII. Pont. Max. dono acceptam Rhodienses Equites concesserunt. Insula ea est non procul à Pachino Promontorio, quasi Christianorum aduersus insultus Turcicos obex, & insuperabile munimentum. E quo portu cum Teutonici Ordinis Militibus soluentes, publicos Fidei hostes indesinenter fatigant, & à Siciliæ atque Italiæ ingressu fortissimè abarcent, honorifico adeò simul & formidabili per totum Orientem

Orientem comparato nomine, vt, CRVCIGERI ab infidelibus, terroris ergò inclamentur. Ab eo nimirum tempore, quo Solimannum, & deinde Amurathem, claustrum illud Italiæ, immò Europæ effringere conantes memorabili clade, suorum nunquam intermoritura gloria affecêre. Præclara huius Ordinis Statuta à Raymundo Rodio, ceterísque omnibus Magistris præscripta, & per nonnullos S.R.E. Cardinales diligenter examinata, cùm Paulus III. approbasset eadem in Comitijs Melitensibus aucta Anno 1584. & in vnum volumen redacta, sub nomine Hugonis Lupi Verdalæ Vasconis (qui Ioanni Episcopio Cassetio proximè succedens, supremum Magistratum cum Coronâ, quæ Principatus à Pontificibus adiecti insigne est, suscepit, & meritis suis Cardinalium Collegio postea adscriptus) Sixtus V. Anno 1586. Pontificatus I. confirmauit.

VETANT autem Statuta Ordinis, quemquam nisi loco nobili Natum ad Equestris istius dignitatis fastigium promoueri. Ad quem etiam fæminæ, iuxta Magistri Reuelij tabulas, admittuntur. Nec mirum, cùm Agneti cuidam nobilissimæ fæminæ Ordinis initia accepta referantur. Diuiduntur hodie omnes fere in Octo linguas, vt vocant, siue Prouincias, quibus singulis datus est Prior: omnibus autem præest Magister Magnus, olim Ierosolymis, nunc Melitæ, post amissam Rhodum, residens. Ille reliquorum Militum suffragijs Priores & Baliuos quaquauersum constituit. Priores in suo tractu Præceptores, Concilij membra maioris: Magnus Præceptor, Marescalcus, siue Equitum Tribunus, penes quem ius armorum est: Hospitalarius, Admiratus, qui Classi præest: Draperius, Turpuculerius, qui Bailliui Conuentuales dicuntur, & Cancellarius. Hanc Ordinis totâ Europa spectatissimi rationem accuratè describunt, *Iacobus Bosius*, totam Ordinis historiam Italico sermone tribus voluminibus complexus: *Ioannes Azorius* in Institutionibus Moralibus lib. XI c. I. *Iacobus Gretzerus* Tom. 3. de Cruce li. 2 c. 15. *P. Boyssatius* in historia de huius Militiæ progressu; de Priuilegijs eidem à summis Pontificibus concessis; de Magistrorum, seu Præfectorum Generalium rebus domi, militiæque præclarè gestis. Ex quibus pleraque habet *Franciscus Mennenius*, & ex hoc ad litteram *Franciscus Quaresimus* libro secundo Elucidationis Terræ-Sanctæ capite LII.

CEREMONIAS plenas Christianæ pietatis & Militaris ornamenti, quæ adhibentur, cùm aliquis in Equitum Melitensium Collegium cooptatur, & quæ instar ceterarum esse possunt, has recenset *Antonius Possevinus*.

Primò Ceream eamque candidam facem (quæ Charitatem designat) gestans Tyro, atque ante altare procumbens in genua, talarem indutus vestem (libertatis signum) minimè præcinctam, petit ab eo, cui facultas sit, vt se admittat. Tum, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti deauratum Ensem eo nomine accipit, vt Catholicam Ecclesiam tueatur, hostes abigat & domet: parcat subiectis: morti si fuerit opus, se ipsum pro fide exponat: ea omnia in virtute CRVCIS faciat, quam capulus transuerso ferro significat. Deinde cingitur, vt

sciat

ſciat ſibi caſtitatem ſeruandam. Enſe euaginato ter percutitur in humero, vt meminerit ſibi grauia ob Chriſti honorem eſſe toleranda. Eundem ipſe mox Enſem de manu Equitis capiēs, ac ſtringens, ter aërem punctim feriens, hoſtes Catholicæ fidei in nomine Sanctiſsimæ Trinitatis ijs geſtibus ſe prouocare oſtendit. Rurſus deterſum brachio enſem imponens in vaginam, indicat ſe fore poſt hac ab omnibus vitijs mundiſsimum quem Prudentia cūnctis in rebus comitetur, Iuſtitia compellat ad conſeruandas Reſpublicas, Fortitudo muniat, Temperantia moderetur.

Tum manu tradentis Militarem Ordinem humeris admota excitatur, moneturne in peccatis torpeſcat, aut dormiat, vigilet autem in fide Domini, adſpiret ad verum decus, res gerat inſignes quas ſtrenuè tractet. Vbi aurata calcaneis calcaria à duobus Equitibus admouentur, docetur vt ſtimulos continēter ad quæ libet laudabilia gerat in animo: aurum pedibus conculcet, tanquam lutum: nec vnquam agat quicquam animo indignum liberali, quantocumque ab hoſtibus auro ad id inuitetur. Cerea iterum face accenſâ, in manibus accepta, & diuino verbo publicè ac ſecreto Miſſæ audito, operibus autem pietatis, atque Hoſpitalitate, quin etiam Redēptione captiuorum ei commendata: narratis item laboribus, quos in eo ſubiturus eſt Ordine, in quo ſuam libertatem cuilibet Equiti ſuo ſuperiori traditurus ſit. Interrogatus demum num graui ære alieno obſtrictus, vel matrimonio ſit coniunctus, num-ue in altero Ordine regulari victurum ſe vouerit, aut profeſsionem ediderit; an verò inter Rhodios (Melitenſes) Equites viuere decreuerit, vt iniurias aliquas vlciſceretur, atque à ſeculari Magiſtratu eſſet immunis. Vbi quæ opus eſt reſpondit, profeſsionem edit, atque in Ordinem adſciſcitur.

Hæc vbi acta ſunt, Miſſale ſuper quo ſolemniter tria vota profeſſus eſt portat ad altare, & deinde illud reportans ad eum, à quo accepit Inſignia Equitum, fit particeps Priuilegiorum, & Condonationum, ſiue Indulgentiarum, quas Sedes Apoſtolica Rhodijs (Melitenſibus) Equitibus conceſsit. Tum in dictis (quæ ſingulis diebus ei recitandæ ſunt) Orationibus Dominicis & Salutationis Angelicæ centum quinquaginta: vel Precibus horarijs B. Virginis: aut pro Defunctis totidem item Precationibus Dominicis, ac Salutationibus Angelicis pro ſingulis, qui ex hac vita inter eos decedunt. Pallium, quo Equites indui ſolent, oſtenditur, ſublatâ in altum eius parte, vel limbo, aut manicis, vt aſperrimæ vitæ meminerint, quam duxit Ioannis Baptista, vir Sanctus, quem Tutelarem ideò Equites habent, vt imitentur. Manicas induens, Obedientiæ leges induat. Octogonam Crucem, eamque ex pura linea tela candidam accipiens monetur Sanguinis, quem profundere libens debeat, vt à Chriſtianorum finibus hoſtes repellat. Monetur item puritatis; atque Octo Beatitudinum, quas conſequentur, qui legitimè eam geſtantes Crucem militauerint. Ad extremum, fune collo impoſito, vt Dominici iugi quod ſubire debet, recordetur in pace dimittitur.

Professionis hæc eſt forma. Ego

N. Vouco

N. voueo DEO *Omnipotenti & eius Matri Immaculatæ Virgini* MARIÆ, *& S.* IOANNI BAPTISTÆ, *me obseruaturum perpetuò,* DEO *iuuante, veram Obedientiam cuilibet Superiori, qui mihi à* DEO, *& ab ipso Ordine dabitur. Item, me victurum absque Proprio, & Castitatem seruaturum.*

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM TEMPLARIORVM.

BELLO Sacro Vrbani II. Pont. Max. auspicijs, & Godofredi Bullonij Ducis Lotharingiæ ductu felicissimè cōfecto, ad ea conseruanda, quæ fortissimè recuperata erant, Hospitalariorum exemplo, Ordo TEMPLARIORVM, cuius Origenem Pontacus ad Gelasij II. tempora refert, à Gallis Principibus erectus fuit: quia Gallorum maximè opera recuperata Ierosolyma fuerat. Huius Instituti præcipuè exstitêre Principes, *Hugo de Paganis, & Gaufredus à S. Andomaro*, Equestri ambo dignitate insignes. Et quoniam iuxta Templum Domini, loco à Balduino Rege concesso, commorarentur, Fratres Militiæ Templi, seu Templarij sunt appellati. Steteruntque adeò numero nouem toto nouennio, more Canonicorum Regularium (quod in manu Guarimundi Patriarchæ Ierosolymitani ita professi essent) viuentes, & peregrinos per loca sacra contra latronum & Barbarorum insidias, ducentes ac reducentes, teste Gulielmo Tyrio lib. XII. de Bello sacro cap. 7. Donec Anno 1118. de mandato Honorij Papæ, & Stephani Patriarchæ Ierosolimitani instituta est eis Regula (quam à D. Bernardo scriptam affirmant) & albus habitus.

POSTEA Eugenij Pontificis auctoritate CRVX rubea attributa, vt scilicet vestes albas in signum innocentiæ deferentes, per Cruces rubeas Martyrium ob Christi nomen non subterfugiendum designarent; eo, quod sanguinē proprium, secundum Instituta Regulæ, pro defensione Terræ Sanctæ effundere essent obstricti; & Christi Crucis inimicos viriliter expugnando à Christianorum finibus propellere. Vnde, vt scribit Vitriacus in Historia Orientali cap. 65. & 66. adeò formidabiles facti sunt Templarij fidei Christi aduersarijs, quòd vnus persequebatur mille; non quot-nam essent, sed magis vbi-nam essent, dum ad arma conclamaretur, interrogantes. Leones in bello, agni mansueti in domo: in expeditione Milites asperi, in Ecclesia velut Eremitæ & Monachi: inimicis Christi duri & feroces, Christianis autem benigni & mites. Vexillum bipartitum ex albo & nigro, quod nominant *Beauceant* (quasi *beatseant*) præmium habentes, eo quod Christi amicis candidi sint & benigni, nigri autem & terribiles Christi inimicis.

CRVCEM tesseram Ordinis fuisse volunt octogonam, illius instar, qua hodie Equites Melitenses insigniuntur, & qualì *Iacobi Molæ*, vltimi Templariorum Magistri effigies in Gallia communiter exhibetur. At Hieronymus Romanus Hispanus contendit fuisse duplicem, & quasi Patriarchalem, qualem insignia antiqua præferunt Hungariæ, & in Republica sua

ca sua Mundi ob oculos expressam ponit. Multis tandem exantlatis pro Republica Christiana laboribus antiquissimus iste Ordo Viennæ in Concilio, Patrum decreto damnatus, & totaliter extinctus est: Bona Hospitalarijs addita, quo illi tempore Rhodum Insulam eripuerunt, Alijs Sacris Militibus quales sunt Spathiferi, Calatrauenses, Mõtesiani, Christi, opimo ex ijs detracto censu aucti fuêre; iure-ne an iniuria variant Annales: fama tamen frequentior & sensus propè omnium damnat. Diuitias, quibus immensum aucti fuerant, malo fuisse, fateamur necesse est, siue virtutũ indole, quibus res tantas terra mariq; perfecerant, voluptatibus exstincta: siue ex ea re inuidia apud Populum conflata, apud Principes spe lucri excitata. Tam citò in omne genus improbitatis degenerasse, vix esset credibile, nisi Clementis V. Pont. Max. Diplomata, quæ inter tabulas Ædis Toletanæ omnium maximæ (vti *Ioannes Mariana*, lib. xv. rerum Hisp. cap. 10. testatur) plura extant, indicio essent: famam haud quaquam vanam fuisse affirmantis, duos & sexaginta ex eo Ordine, se coram quæstione habita scelera nefandissima fassos veniã petijsse. Huius porro abolitionis disquisitionem in vtramque partem reperire est, apud *Marianam* loco cit. *Villaneum*, *Antoni*. *Platinam* in Clemente V. *Robert. Gaguinũ in* Philippo Pulchro, *Papyrium Massonium*. lib. V. Annalium, *Ioannem Azorium* lib xii. Instiut. moral. cap. 6. *Iacobum Gretser*. de Cruce Tomo iii. libro 2. cap. 14.

MEMBRVM IV.

ORDO MIL. EQVITVM TEVTONICORVM.

HOspitalis S. MARIÆ in Ierusalem *Qui & CRVCIGERI & MARIANI dicti sunt*. EADEM penè tempestate, Friderico I. Imperatore à Gregorio VIII. Litteris ac legationibus impulso, copiasque amplissimas in Syriam ducente, exædificata Ierosolymis S. MARIÆ Æde (quæ nomẽ Equitibus S. MARIAE Teutonicorum in Ierusalem peperit) Ordo TEVTONICORVM, Cælestino III. Pont. Max. sub Regula D. Augustini approbãte aduersus fidei Christianæ hostes institutus etiam fuit. Cuius quidem Instituti Milites, Templariorum, & Fratrum S. Ioannis normam sequuti, & in vnã quasi conflatam, solemni voto professi, ad discrimen Cruces nigras albis Clamydibus apposuere, vt referunt *Tyrius*, *& Vitriacus* loc. cit. *Marinus* item *Samitus*, *Torsellus* Patricius Venetus in Secretis fidelium CRVCIS, & alij.

PRIMVS Ordini Magister datus *Henricus VValpot* vir fortissimus, æquata cum Regibus potestate creandi Equites, & à dicto Cælestino sacra in armis operandi facultate. vt de ijs verè dicere liceat, quod Rodricus Archiepiscopus Toletanus de suis prodit Equitibus: Qui laudabant in canticis, ac cincti sunt ense: & qui gemebant orantes ad defensionem patriæ adsumpserunt gladios: Adeò, vt religiosa quadam societate inter se deuincti non minorem orationibus, quàm armis nauarent operam. Et MARIAM Virginẽ cuius sese Patrocinio deuouerant assiduè inuocarent, Rosarium eius, cuius tesserã

& in Scuto cũ CRVCE suapostea Mariæ-Burgi adsumpserunt, quotidie recitando. Vnde MARIANI & CRVCIGERI hodieque appellantur.

CAPTA postea Vrbe Ierosolymitana à Saladino Saracenorũ Duce, Sodalitium Teutonicũ Aconẽ, seu Ptolemaida trans latũ. Inde, vt ex tota item Syria cũ ceteris Christianis expulsũ Fridericus II. in Germania collocauit. Quod vbi ad Prussiæ Prouinciã à Christi fide tunc alienã, & Polonis Christianis infensam subigendã Christiq; Religione imbuendã, sola interueniente Gregorij IX. auctoritate destinasset, vt latè narrat *Martinus Cromerus* lib. IX. Polen. & ex Actis publicis probat contra Nauclerũ & alios; inter vicinos Principes Christianos, & Teutonicos istos Milites, mirũ quàm variæ simultates & contentiones, quæ ad arma prorupe-runt exortæ sint. Ad quas cõponẽdas, ne Ordinis illius præclari ad fidẽ dilatandã progressus (quibus Satan inuidebat, impedirentur, Romani Pontifices incessãter aduigilarunt. Hinc factum, vt Cõradus Mazouiæ Dux, à Borussis (qui hodie Prusi) tunc Christi hostibus bello attritus, Ordinẽ Teutonicorũ sibi adiunxerit, & Culmensi agro concesso, totã Prussiam, & omnẽ eam ditionem, quæ trans Vistulam ad mare Balticũ porrigitur, occupandã dederit. Anno igitur deinceps LIII. ac salutis nostræ M. CC. LXXIX. debellata prouincia, Christi nomen à Teutonicis in eã sit constitutũ, Ductore *Hermano Saltza* Magistro spectatæ virtutis. Qui primus Sacræ Domus Vexillũ in Prussiam traduxit. Quo officio, non plebis tantùm animos, sed etiam Principum voluntates sibi conciliarunt.

DEINDE, ab ijsdem Teutonicis acerrima bella contra Lithuanos & Tartaros pro Polonis pugnata sunt. Quare arctissima tunc inter illos & Poloniæ Reges amicitia coijt: donec extincta vetere Regũ stirpe, & Christi nomine à Lithuanis suscepto, Iagello Lithuaniæ Princeps à Polonis in Regem acceptus est, coniuncta cum Polonia Lithuania. Eius progenies, quæ multas tot clades ab Ordine Teutonico illatas ad suum dedecus pertinere existimabat, nihil non ab eo tempore fecit, quo Teutonicos astu seu vi antiqua possessione depelleret: infelici quidẽ per initia successu, vti & iniusto conatu. Ingenti tandẽ clade affecti Equites propè Tannebergã Anno M. CCCC. X. Idus Quinctiles sub Wenceslao Iagellone, amissis aliquot hominũ millibus, vix tandem adducti vt quiescerent; sed pro inueterata Gentis, pro militari Sacramenti religione, extrema potius tentare, quam tot laboribus parta ignauè deserere maluerunt, donec Borussis, ac LXX. circiter oppidis & arcibus vna die, quasi conspiratione factâ deficientibus, Casimirus Sigismundi I. parens occasionem arripuit Ordinemque in eas angustias redegit, vt Ludouicus Erlinsusius, cùm de vniuersis fortunis periclitaretur, metu, qui in constantissimum cadit, adigente, nulla Cæsaris, aut Imperij auctoritate interueniente, in eas conditiones cũ Polono transegit, vt singuli deinceps Ordinis Prussiæ Magistri, intra sextum ab inito Magistratu mensem Poloniæ Regẽ adire, & eũ pro supremo Domino per iusiurandum agnoscere tenerentur.

Iis conditionibus posteà cùm stare nollet Fridericus Saxo, atque post eum Al-

bertus Brandeburgicus Sigismundi sororis F. rursus graui se bello implicuit, cui gerendo cùm auxilia à Cæsare & Germanis, quorum de Maiestate & iure agebatur, expectarentur, conditionibus longè deterioribus imminēte belli procellā, pace cū auunculo contractā, in occasionem sibi priuatim consulendi vertit. Nam ex Ordinis Magistro, à Polono, cuius se clientelæ credidit, Prussiæ Dux creatus est; statimque inuita Religione, voti vinculum soluit, ducta vxore Dorotheā, Friderici I. Daniæ Regis filia: & Prouinciam, quam anteà vsus fructus tantùm titulo obtinebat, iure proprietatis possidendā ad heredes transmisit.

CVIVS filius Fridericus, eadem, quæ parens ceremonia tanquam Regni beneficiarius in Borussiæ Principem Lublini, tradito vexillo, & accepto à Rege torque aurea inauguratus est Anno M.D.LXVIII. Adeò, vt sensim Illustrissimus ille Ordo, non paruo Germanicæ nationis dedecore in ijs partibus exstinctus fuerit, cùm tribus ferè seculis in Prussia maximo; Reipublicæ Christianæ, & Ecclesiæ Militantis bono floruisset, magnaque inde Regnis Germanicis decessio facta. Quod Tilmanus Bredenbachius, edito ea de re libello, & Martinus Cromerus in historia Pol. latè exponunt. Vnde apparet maximam Ordini Teutonicorum iniuriam ab Alberto, Polonorū ope, pro quibus tot bella Crucigeri pugnauerunt, factam fuisse, atque adeò Cæsari & Imperio, in quorum tutela iam ab initio continuata possessione Equites Teutonici semper extitissent.

QVAMOBREM Albertus iure ab Imperio proscrip tus, caussa eius maxima contentione agi cœpit in Comitijs Anni M.D.XLVIII. inter Stanislaum Lascum & Wolffgangum Melchingum, quem Cæsar, ante quadriennium in Ordinis Teutonici Magistrum inaugurauerat. Recognitâ, exitus illius actionis fuit, vt sententiam contra Albertum pronūciatam tuendam esse censerent: cetera, in quibus maior difficultas ad Cæsarem reijcerent.

NVPERVS totius Ordinis Teutonici Magister fuit MAXIMILIANVS Austrius MAXIMILIANI II. Fil. Rodolphi & Matthiæ Cæsarum frater, qui insignia Austriaca & imperij, cum Cruce Ordinis (quæ nigram alteram auream complectens, etiam Collegij tessera habetur) coniunxit. Eadem Insignia nunc præfert Ordinis Magister GVLIELMVS LEOPOLDVS, FERDINANDI II. Imperatoris Filius, FERDINANDI III. Frater.

Milites Ordinis & Sacerdotes CRVCEM nigram limbo argenteo insignem Chlamydi assutam, & alteram ex collo pendentem præferre solent. Hæc & alia fusius describūt, *Sebastianus Munsterus* lib. III. de Germania, qui seriem Magistrorum, & res illustriores ab ijs gestas recenset *Belforestus* lib. III. Cosmographiæ, *Iacobus Augustus Thuanus* in Histor: lib. I. V. *Iacobus Gretxer*. Tomo. III. cap. 17. Licet ante Prussia, quam Equites annis ante actis possidebant, modò alteri pareat; nihilominus eligitur hodie Magnus Magister, qui Ordinis illius in Germania sita etiam- num possidet: quibus Germanorum pleraque Nobilitas, & Principum filij deuinciuntur.

MEMBRUM V.

MIL. EQUITUM S. LAZARI.

ORDINIS S. LAZARI initia repetunt historici à temporibus S. Basilij Magni Cæsariensis Episcopi, quem Gregorius Nazianzenus tradit, hoc Titulo Nosocomium excitasse. Atque eius antiquitatis fidem facere aiunt tot ptochotrophia, nosocomia, seu hospitalia, vt vulgo loquuntur S. LAZARI nomine per orbē Christianum sparsa. Sed prima institutio, cùm per Barbarorũ incursiones atque iniuria temporum collapsa esset, ea ipsa velut renata est felici illo æuo, quo Christiani Europæ Principes Ierosolymorum Vrbem, ceteraque Terræ Sanctæ loca Barbaris eripuerunt. Itaque vt Templarij, Hospitalarij; & Teutonici, sic S. Lazari, dicti inde LAZARINI Equites illo seculo homines Christianos ex Europa aduentantes, non modò hospitijs exceperunt, sed & strenuè Saracenis alijsque Barbaris arma intulerunt. Quo factum, vt Balduinus II. Fulco Amalricus, Balduini III. & IV. Ierosolymorum Reges; itemque Theodora, & Melisindis Reginæ, alijque Principes ipsum Ordinis Magistrum, & domicilia in Syria eidem dicata & propria nō paucis beneficijs affererint. Quorum testes tabellæ publicæ etiam-nũ Boniaci (vulgò *Boigny*) in diœcesi Aurelianensi in Gallia asseruantur. Quem quidem locũ Equitibus ipsis Lazarinis Ludouicus Galliæ Rex adsignauit, diplomate Anno Domini M.CLIV. dato, & Hugonis Cancellarij manu signato, Matthæo Montmorentino Galliæ Conneſtabili præsente.

PULSIS demum per Saracenos è Syria Christianis, Boniaci domicilium Magistri Ordinis Lazarini est constitutum, ibique comitia, seu conuentus à Sodalibus quotannis haberi solent, Commendatoribus, vt vocant, ex Italia, Sicilia, Sabaudia, Anglia, Scotia, Hungaria, alijsque Prouincijs eodem confluentibus. Id quidem ad Annum vsque M.DLVIII. obtinuisse constat: quo anno Boniacis Comitijs interfuere Commendatores S. Eligij Londinensis, Bandatræ in Hungaria, Agresolij in Sabaudia, & alij complures à Ioanne Leuyo Magistro Ordinis euocati. Vt mirum nemini videri debeat, Philippum Augustum, S. Ludouicum, Philippum Pulchrum, Longum, Ioannem, Carolum VII. Ludouicũ XII. Franciscum I. Henricum II. & Henricum III. Galliæ Reges, Henricum item Angliæ Regem, Aquitaniæ, Normaniæque Ducem, Theobaldum, Comitem Blæsensem, aliosque Galliæ Principes multis Sodalitium Lazarinum vectigalibus annuis ac priuilegijs honorasse; vt fusè Petrus Beloyus in lib. de Equestribus Ordinibus commemorat. Idem præstitit Fridericus II. Imp. & Siciliæ Rex, qui in ea ipsa insula, itemque in Calabria, Apulia, Campania alijsque Italiæ locis amplissima ijsdem prædia attribuit. Quas donationes postea Alexander IV. Nico-

laus III. Clemens IV. Ioannes XXII. Gregorius X. aliique Pontifices Romani suis Diplomatibus stabiliuerunt. Solent autem Lazarini Milites CRVCEM viridem pro Ordinis tessera præferre: & S. Augustini Regulam profiteri. Quæ omnia Gregorius IX. diplomate edito probauit.

MEMBRVM VI.

ORDO MIL. SS. MAVRITII ET LAZARI.

TEMPORVM decursu, cum Instituti Lazarini dignitas defloruisset, Equites Rhodij ab Innocentio VIII. Pont. Max Anno M.CCCC.XC. impetrarunt, vt cum Rhodio, seu Ioannitico confunderetur. Sicque paullatim Sodalitij Lazarini memoria, cum apud Gallos tum apud Italos est obscurata. At Pius IV. Pontifex id ipsum Anno M.D.LXV. excitauit, amplissimisque priuilegijs, honoribus, immunitatibus ad instar aliarum Militiarum dotauit, Ioannoto Castellionæo, Viro Nobili Mediolanensi Ordinis Magistro creato & diplomate eadem IV. Non. Maias promulgato. Quod diploma Pius V. Successor, altero Pontificatus sui anno Constitutione VII. Kal. Febr. & altera III. Idus Sextileis partim reuocauit, partim moderatus est.

CVM autem Castellionæus vita discessisset Vercellis Anno M. D. LXXII. Gregorius XIII. quo maiorem huic Militiæ dignitatem conciliaret, eius Principatum, seu Magisteriũ in Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, atque illius successores, Anno proximè insequente contulit. Philibertus autem conuentu Equitum Nicæam indicto, eos Sacramento solenni, tanquam Magnus, vt vocant, Magister in fidem adegit, & nouas Ordini decorando, atque amplificando leges, ac ritus, eiusdem Pontificis auctoritate confirmatos condidit, coniunctis atque in vnum confusis S. MAVRITII & S. LAZARI Ordinibus. Idem duo præthereà domicilia, siue Hospitalia, vnum Nicææ, alterum Augustæ Taurinorũ excipiẽdis Equitibus, à fũdamentis suo ære excitàuit, statuitque, vt in posterum MILITIA S. MAVRITII & S. LAZARI nuncuparetur, Equitesque CRVCEM viridem, limbo candido conclusam; in cuius medio altera D. Mauritij supposita esset, in vestibus gererent. Paulus Morigius tradit, Cistercienfium Regulam Benedictinam ijsdem Equitibus à Gregorio XIII. fuisse præscriptam. Legendus præter alios, Iacobus Augustus Thuanus Historiæ lib. XXXVIII.

MEMBRVM VII.

ORDO MILITARIS EQVITVM,

Qui in Syriâ Montis-Gaudij. *In Regno Castellæ*, De Monfrac. *In Catalanniâ & Valentiâ*, De Mongoia *nuncupatur*.

CVM Terra-Sancta auspicijs Godefridi Bullionij recuperata esset, præter quinque celebriores Ordines hactenus enumeratos, alij fuerunt instituti minus nobiles, qui vt professione & exercitijs erant aliquatenus discreti, ita & nominibus distinguebantur. Nomina autem accipiebant vel à locis inhabitatis, vel à Sanctis Tutelaribus. A loco nomen habuit Ordo MONTIS-GAVDII. Quis autem ille Mons? & vnde sic denominatus? Aduertendum, quod captâ Syriâ, duo oppida non longè ab Ierusalem ædificata fuerint: alterum inter Ramam & Sanctam Ciuitatem in montis cuiusdam vertice, vnde peregrini Ierosolymam proficiscentes ipsam primò contuentur. Hic mons, quod est verissimile fuit *Modin*, siue mons S. Samuelis. Alterū oppidum à S. Ciuitate, & monte prædicto multo remotius, constructū fuit, supra Bethleem, propè turrim *Ader*, siue locum Pastorum, quibus Christi Natiuitas nunciata fuit, in Monte vbi adhuc ingentia ædificiorum fundamenta cernuntur, & ab indigenis *Betulia* dicitur. Hic vt fama est per quadraginta annos inter infideles viriliter se tutati sunt Galli, post amissam Terrā-Sanctam. Et vtrumque oppidum communi nomine *Mont-ioye* apud Gallos, id est, *Mons-gaudij* appellabatur: in Hispania de *Monfrac*, & de *Mongoia*.

IN duobus istis oppidis habitabant Milites, custodiæ Terræ-Sanctæ, tutelæ eò venientium peregrinorum, atque ad resistendum incursionibus Arabū deputati. Ab illorū autem nomine nomenclaturā ipsi Equites acceperunt, vt dicerentur de *Mont-ioye*, id est, *Montis Gaudij* in partibus istis Syriæ. Horum Equitum Ordo approbatus fuit per Alexandrum III. Pont. Max. Anno M. CLXXX. qui & illis Regulam S. Augustini obseruandam tradidit, Captâ postea ab Infidelibus Terra Sanctâ, illorumque rabie & persequutione ingruente, cum reliquis Equitibus & hi eiecti fuerunt. Vt autem habitationis commodū aliquē locū acciperent, varias Europæ prouincias peragrarunt. Tandem in Regnis Castellæ, & magnæ Valētiæ sedē posuerunt. Vbi eorū virtute à pijs Principibus cognita, &, quod studio rei bellicæ, & pietatis ceteros in Syria Equites adeò laudabiliter zelo æmulati fuissent, multis possessionibus & fortunæ bonis fuerunt aucti, ac priori nomine relicto, nouum à locis ad habitandum sibi cōcessis assumpserunt.

IN Regno quippe Castellæ, Equites de *Monfrac* sunt appellati, à præcipuâ Conuentus Sede, vbi & optimos census, & prædia obtinuerunt. Qualia Alfonsus x. in tractu Maganensi ijs attribuit, hisce verbis, vt tradit Mennenius: *A vos Dō Rodrigo Gonzales, Maestro de Monfrac, de la Ordem*

den de Monte-gaudio. Ex alijs verò monumentis, quæ in archiuo Calatrauensi asseruari ait *Fraciscus Radesius*, colligitur, hoc eos insignitos fuisse titulo: sic enim in ijs habetur. *Hac est memoria del hauer que perdieron los Frayles de Mongoia, y los castillos que les toniaron les Frayles del Templo.* In Catalonia enim & Valentia de *Mongosa* cognominati fuerunt, quod idem sonat, quod *Mons-gaudij*: Anno demum M.CCXXI. Rex Ferdinandus cognomento Sanctus castrum de *Monfrac* cóceßit Gonsaluo Yanezio Magistro Calatrauensi: docetque donationis exemplar fuisse id castrum Ordinis de *Monfrac*: & Rex ipse eandem Militiam, quod multum pristini splendoris amisisset in vnam quasi cum Calatrauensi contrahi & vniri voluit, vt hoc pacto restauraretur, & non penitus interiret.

ORDINIS huius satis fusè meminerût sub nomine *Equitum de Truxillo*, Hieronymus Romanus in Republica sua, & Franciscus Radesius de Andrado Eques Calatrauæ in Chronico Alcantarensi. De *Truxillo* cognominati fuerunt à ciuitate Truxillo vbi circa Annum Domini M. CC.XXVII. ijdem habuisse sedem ferûtur: quibus, successu temporis Alfonsus Rex (diplomate testâte) oppida & prædia ditissima hereditario iure adsignauit: Truxillum scilicet, S. Crucis, Zuferolam, Gabanam, & Albanam, Æra Cæsaris M. CC.XXXIII. Hodie omninò extinctus est ille Ordo. Et bona quæ habuerunt in Aragonia & Valentia tradita fuerunt Templarijs. Equites tamen de *Monfrac* vniti posteà fuerunt Ordini Calatrauensi: & illi de Truxillo, Alcantarensi.

MEMBRVM VIII.

ORDO MIL. EQVITVM S. IOANNIS ACCONENSIS.

ORDO iste vocatus fuit S. IOANNIS, quoniam eius Equites Sanctû Domini Præcursorem in Tutelarem & Patronum peculiarem susceperunt. Acconensis ab Accone (vna ex quinque olim præcipuis Palæstinæ ciuitatibus, quæ in Sacris litteris singulariter memorantur, alio nomine Accaron, vt notauit Abulensis in cap. xv. Iosue, & I. Reg. VI. quæst. 22. quod in ea sui Ordinis iecerint fundamenta, & præcipuum ibi extiterit eorum Collegium. Fuisse hunc Ordinem in DEI Ecclesia quando Christiani in potestate habuerunt Terram-Sanctam obseruauit locis citatis Abulensis. Ab initio illius Commilitones infirmis & peregrinis loca Sancta visitantibus piam operam impendere profitebantur, æmulati Hospitalarios Fratres S. Ioannis. Mox pio operi & arma adiunxere, exindeque inter alios Sacros Ordines Militares connumerati sunt: Regulam S. Augustini profitebantur; habitum nigrum cum Cruce alba quadrata deferebant.

REGNANTE in Hispania Alfonso cognomento Sapiente, hos Milites floruisse tradit Hieronymus Romanus: quem & Testamenti sui tabulis, ijsdem variam suam supellectilem, vt lectum & similia, pecu

pecuniasque, & loca ad habitandum assignasse ait. Addit insuper, hunc Ordinem habuisse S. Thomam pro Tutelari; Et, quod cùm Alexander IV. Pont. Max. Ecclesiæ præesset, Ordo iste Titulo S. Thomæ, & S. Ioannis Acconensis conjunctim fuerit indigetatus. Mennenius tamen in Prouinciali Romano, inter ceteros Militares, Ordinem S. Thomæ, quasi separatum & proprium numerari ait. Et ipsæ Pontificum Bullæ, inter alias verò Alexandri IV. sat disertè distinguũt. Porrò defecit paullatim Ordo S. Ioannis Acconensis, & illius memoria Et sanè tempore Abulensis eam non amplius fuisse ex ipso Abulensi tradunt Menenius & Fauinus.

* * *

MEMBRVM IX.

ORDO MIL. EQVITVM S. THOMÆ

Cantuariensis Episcopi & Martyris.

HVnc instituit Angliæ Rex Richardus, post captam ab Infidelibus Acconem. Milites eius erant Angli, qui Regulam D. Augustini sequebantur. Habitum album deferebant, & Crucem rubram in corde coccleæ albæ insertam. Illorum Patronus fuit S. Thomas Archiepiscopus in Anglia, qui sub Henrico II. Rege Anno Christi Domini M.C.LXXI. die XIX. Decemb. gloriosum subijt Martyrium à quo nomen accepit Ordo & Equites. Hodie eius nulla extat memoria.

MEMBRVM X.

ORDO MIL. EQVITVM S. GEREONIS M.

NOMEN accepit Ordo iste à Martyre eius nominis, qui in Germania, Coloniæ Agrippinæ, cum trecentis decem & octo cõmilitonibus, dum Maximianus Ecclesiam Christi Militantem maximâ tyrãnide affligeret, Anno CC. XCVII. martyrij palmam est adeptus. Institutus putatur ab Imperatore Frederico Barbarossa, vel, vt alijs placet à Frederico II. Ex solis Nobilibus Germanicæ Nationis constabat. Profitebantur Milites Regulam S. Augustini: habitum albũ, & Crucem plenam nigram deferebant.

De isto S. Gereonis, & proximè præcedenti Ordine S. Thomæ est testimonium oculatum Ioannis Van den Hoirel, viri multis legationibus, & itineribus obitis clarissimi; qui vt refert *Franciscus Menenius*, præter alia ad Equestris Militiæ & dignitatis illustrationem à se obseruata, in Palæstina vidit Milites Diui Thomæ Tutelaris, rubra Cruce decussatâ (*Saultoir* Galli vocant) insignes: Alios item S. Gereoni sacros, Cruce Patriarchali (qualis ferè est antiqua illa in Insignibus Hungariæ) triplici colliculo viridi imposita splendescente.

MEMBRVM XI.
ORDO MIL. S. BLASII MARTYRIS.

S. BLASIVS Episcopus fuit Armeniæ qui sub Diocletiano Imp. vt aliquibus placet, siue potius sub Licinio, Anno Christi cccxvi. vt sub hoc anno notauit Baronius glorioso Martyrio coronatus fuit. Ab hoc Patrono denominationem habuit Ordo Blasianorum, dictus etiam S. MARIÆ, vt monet *Mennenius*. Huius Ordinis Equites erant Officiales, & Serui Regis Armeniæ. Habitum coloris cærulei deferebant, & Crucem auream super pectus. Perdurauit in suo splendore Ordo iste, quoad Reges Armeniæ Illustris Domus Luzignan suam habebant Curiam & iurisdictionem in Accone ciuitate: sed illis inde per infideles eiectis, etiam Ordo ipse interijt.

MEMBRVM XII.
ORDO MIL. POENITENTIÆ SS. MARTYRVM.

NOMINAT hunc Ordinem inter Sacros Palæstinæ *Mennenius*. Et eius Instituti Fratres vidisse se adfirmat Hieronymus Romanus, Crucem rubeam præferentes, & D. Augustini Regulam profitentes. Ordinis huius & præcedentis mentionem faciunt Regulæ, seu Practica Cancellariæ Romanæ.

* * *

MEMBRVM XIII.
ORDO MIL. S. CATHARINÆ VIR. & MART.

TALI est insignitus nomine, quia ad honorem S. Virginis illius est institutus. Et qui ad illum recipiuntur initiantur apud illius Sacrum Sepulchrum in monte Sinai: atque eodem modo quo Equites Sanctissimi Sepulchri instituuntur: & est hæc penè ratio. Postquam nouus Miles ad Montem Sinai peruenerit, ibique in monasterio Græcorum Monachorum: in quorum Ecclesiâ conditæ sunt Reliquiæ S. Catharinæ sacro & honorato loco, mane Missæ Sacrificium peractum fuerit, & Militiæ candidatus Sacro Eucharistiæ epulo refectus, supra Sepulchrum Virginis ab eodē Præsule Miles instituitur: præmissis ijsdem interrogationibus, quæ fiunt Candidatis Militiæ S. Sepulchri Dominici. Instituti Equites pro Insignibus deferunt super vestem in sinistro humero Quinque Cruces Equitum Sepulchri Christi: intra quas est ROTA sex radijs constituta, cum signis clauorum ex argento, Virginis Martyrium referens, inquit *Fauinus*.

AT *Mennenius* tradit, mediam dumtaxat rubri coloris Rotam gladio transfixo pro insignibus præferre. Quod probabilius videtur *Quaresmio*, tum quia melius his S. Catharinæ repræsentatur Martyrium: nam non solùm Rotæ exposita, sed ab illa diuinitus liberata, tandem gladio obtruncata, immaculatum DEO spiritum reddidit; tum quia non videtur rationi consonum, quod Equites S. Catharinæ sibi vsurpent stemmata Dominici Sepulchri, velut propria. Fortasse illud dixit *Fauinus*, quod viderit aliquem ex his Militibus vti illis Stemmatibus. Quod si ita est, credere licet sic fecisse, quia ille simul Eques erat SS. Sepulchri: & vno in stemmate vtriusque Ordinis Insignia copulasse. Paucissimos inaugurari isto Ordine est verosimile, tum quia minus est notus; tum quia rara est fidelium ad montem Sinai peregrinatio. Et cum dictus Ordo à schismatico Præfecto hodie tradatur, non reor Catholicum aliquem se facile illi subdere velle suscipiendo ab eo Sacramenta cum ordine. Certè in Europa nullus illius Ordinis comparet. An ille Præfectus Græcis suis istum conferat modò latet, inquit talium curiosus inuestigator *Franciscus Quaresmius*. Lege etiam quæ adfert *Nicolaus Serarius* de S. Catharinæ in monte Sinai Templo, sepulchro, Monasterio, & alijs eò spectantibus lib. 2. Litaneuticor. cap. 22. quod inscribitur: An in in rerum natura extiterit aliquando S. CATHARINA, contra nostri æui sciolos Sectarios.

COMMENTATIO IV.

ORDINES MILITARES HISPANIÆ.

IN Hispaniâ peculiares sub auspicijs Cælitum exorti fuerunt diuersis temporibus Ordines Militares, voto singulari ad profligandos Mauros, eximendosque eorum seruitute Christianos obstricti.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM S. IACOBI APOST.

NTER Ordines Militares Hispaniæ primarium obtinet locum S. IACOBI, quæ vulgo *S. Iacobi de Spathâ* nuncupatur. Eius originem alij ad Alfonsi Casti, alij ad Ramiri Castellæ Regis ætatem referunt. Huic enim Ramiro, cum Anno. DCCXLVI. cōmisso ad Clauigiū prælio, intercedēte D. IACOBO APOST. in equo candido niueum vexillū rubræ Crucis figura distinctū præferente, de innumerâ Barbarorum multitudine victoria esset concessa, cæptum est in prælijs nomen patrociniumque Apostoli implorari: (*Dios aijudai S. Iago*) victorque exercitus vniuersam Hispaniam voto obstrinxit, vt ex singulis agri vineæque iuge-

iugeris, Compostellano Templo corporis D. Iacobi custodia celeberrimo frumenti medium, aut vini amphorã quotannis omnes penderent. Exinde *Lucas Tudensis, Ioannes Vasaus, Diegus Volera*, & *Antonius Morales* Ordinem Militiæ istius incœpisse aiunt. Quibus haud dissentire videtur Franciscus Radesius Calatrauensis Eques, qui de hoc Ordine, eiusque rebus domi militiæque præclarè gestis fusè admodum est commentatus: siue quod iusta tunc instituendi caussa fuerit; siue quod in diplomate Regis Ferdinandi de Institutione Monasterij S. Spiritus Salmanticæ huius Ordinis Magistri, & Cõmendatariorum multa fiat mentio. Falsi tamen id ab eruditioribus accusari cõtendit argumentis quibusdam *Ioannes Mariana* lib. XI. Histor. Hisp. cap. 13. Et *Francisc. Alfonsus Venerius* initium huius Ordinis ponit circa Ann. M. C. LX. in qua opinione est etiam *Raphael Volaterranus*: & post illum *Antonius Nebrissensis*.

CERTVM est, sub Alfonso IX. Castellæ Rege (qui Ensiferis adiutoribus memorabili ad Nauas Tolosanas victoriã potitus est, & S. CRVCIS festum, teste *Roderico Archiepiscopo Toletano*, qui prælio interfuit, primus inuexit) nonnullos viros Militares, Nobiles ac copiosos, priuatis rebus in commune collatis, se suaque omnia Militiæ Christi contra Christiani nominis hostes deuouisse, & Hyacinthi Cardinalis industria cum D. Eligij Canonicis, qui S Augustini normam amplexi, domicilium propè Compostellam, peregrinis excipiendis habebant) vires sociasse, atque ab Alexandro III. Pont. Max. operã Petri Ferdinandi à Põte Encalato, primi Ordinis Magistri diploma impetrasse III. Non. Iulias ANN. M. C. LXXV. Quo Militibus viuendi ratio sub eadem D. Augustini regula præscripta est, & optimis Institutis temperata. Quibus obligantur & vias publicas peregrinorum consursu frequentatas, & limites à Maurorum incursionibus, qui totam propè Bæticam, magnamque Tarraconensis prouinciæ partem occupauerant, tenueruntque per annos circiter quadringentos, tueri, bellumque ijs, quoad videretur, inferre. Redegit ea in ordinem cum monitorio pœnali Magister Albertus S. R. E. Cardinalis, Vir eiusdem Militiæ admodum studiosus. Quæ posteà recensuit confirmauitque Iulius II. Pont. Max. Anno. M. D. VII.

HORVM Equitum facultates sub initium per quam tenues fuerunt, vt ferè solet in rebus magnis: quippe, qui non adeò multa castella, & ea quidem minutissima, quæ sub obscuris nominibus in ipso Priuilegio, vt vocant, numerantur, possiderent. Verùm Regibus insigni ipsorum opera in bellis, quæ contra Mahumetis cultores gesta sunt, vtentibus, eo potentiæ deuenere, vt magnis opibus & vectigalibus aucti, ex spolijs hostium, Regumque beneficio, ac Pontificum benignitate, multos cataphractos Equites armare potuisse sua ætate testetur *Antonius Nebrissensis* Decade I. lib. II. cap. 9. multosque reportasse triumphos ostẽdat *Radesius*. Ceterùm, ex omni Militum numero Tredecim omninò viros (vulgo los Trezes) deligere iussi sunt, qui à Magistri latere non discedant, & cum eo, vel cum Priore quotannis loco designato conuentus generales agant. Domicilium primarium est Domus

Vol-

Volesij in Castella, Xenodochium verò D. Marci Legione fuit ijs designatum: duobus Præfectis, seu Commendatoribus (quos à Regni cognomine, Castellensem & Legionensem nuncupant) Maioribus constitutis.

INSIGNE hodieque Militibus in veste superiori est CRVX rubra in gladij militaris modum conformata. Cui antiquitus *Veneria*, Conchulæ species est, à Venere, quæ ea vecta fingitur, dicta: quæ in Hispania proteſſera D. Iacobi semper est habita, apponebatur: vt ex diplomate Alexandri Papæ, & archiuis Volesij colligere licet. Quod quidem diploma, non nisi Equitibus & Sacerdotibus Veneriam gestare permittit: Sanctimonialibus verò (nam ad istud vitæ genus fœminæ etiam admittuntur, coniugij sublatâ facultate, nisi consensu Magistri) nobili loco natis. Sigilla antiqua tam Magistri, quàm Conuentus, pro insignijs exhibent Gladium, & infra Capulum Veneriam: etsi aliquo discrimine: quod illud ad dextram Solis signum, ad Sinistram Semilunæ contineat, cum inscriptione, *Seflo de la Caualeria de Sanctiago*. Hoc loco Solis & Lunæ ab vtraque parte Crucem minorem cum Inscriptione, *Seflo de Capitulo de la Orden de Sanctiago*.

VEXILLVM Militare Magistrorum ante hac, in campo aureo, Crucem rubram cum Calatrauensibus communem, in eaque Quinque Venerias, discriminis ergo præferebat. Nostra ætate Sigillum Ordinis Crucem grandiuscula Arma Regis complectente (quod ad Reges Administratio Ordinis Pontificis auctoritate, Anno MCCCCXCIII. Alfonso Cardena eius Militiæ Magistro è viuis sublato deuenisset) & intra ramorum angulos quattuor gladijs formidabili exornatur hoc addito elogio: PHILIPPVS DEI *gratiâ Hispaniarum Rex, Administrator perpetuus Ordinis & Militiæ S. Iacobi de Spatha.* Breuius multa complexus est Ioannes Azor libro. XIII. Institut. moral. cap. 6.

ANNO M.C.LXXV. Religiosus Ordo Militum S. Iacobi ab Alexandro III. confirmatus est: qui paullò ante Calatrauensem Ordinem fuerat institutus. Non autem, vt tradiderunt quidam, regnante Ramiro, huius nominis I. in Regno Legionensi: nec item regnante Alfonso Magno, vt alij voluerunt. Nam in ipsa Constitutione Alexandri III. apertè dicitur, eum Ordinem esse ante paucos annos fundatum & erectum, nempe Anno M.C.LXX. præsertim cùm instar Hospitaliorum Templariorumue Militum ad defendenda oppida Christianorum in Regno Legionensi & Castellano contra Saracenos institutus videatur. Fuerat tamen multis annis ante eum Ordinem Sodalitas quædam eorum, qui *Sodales S. Iacobi* vocabantur. Vnde factum, vt quidam putauerint ab eo tempore Ordinem cæpisse. Quod *Franciscus Andrada* in Chronico Ordinis notat.

MAGISTER Ordinis annuos redditus percipiebat trecentorum millium aureorum. Ex toto autem Ordine possunt & debent ad bella progredi trecenti Equites Religionem professi. Habet idem Ordo in prouincijs, Castellana, Aragonensi, Valentina, Legionensi Commendas LXXXIII. Præter Commendatarios

constat alijs multis Equitibus Religionem professis: & Clericis ducentis. Ad Magistri electionem & creationem conueniebant Tredecim Commendatarij Equites, qui idcirco dicebantur habere dignitatem in Ordine. Eos conuocandi ius & auctoritatem habebat Prior, qui præest Conuentui, qui est principalis sedes Ordinis. Sed lis olim fuit inter duos Prioratus præcipuos: nimirum, S. Marci in Regno Legionensi, & Volesij in Prouincia Toletana, vter eorum haberet ius prædictum. Habet duos Commendatarios magnos: vnum in Castellano, alterum in Legionensi Regno. Magistri Ordinis fuerunt xl. antequam Hispaniarum Reges essent Administratores perpetui. Legendi de hoc Ordine *Franciscus Rades de Andrada* in Chronico, *M. Iliam* Philippo II. à Sacris, *Antonius Morales*, qui iussu eiusdem Regis, cùm Capitulum Toleti Anno M D.Lx. celebrasset, & Madriti M.D. Lxii. absoluisset, omnia quæ ad dignitatem Ordinis S. Iacobi pertinent, persequutus est.

Membrum II.

ORDO MIL. EQVITVM CALATRAVÆ

In Regno Tolitano.

Calatrava non obscuri nominis oppidum ad flumen Anam situm, Sacræ Militiæ Calatrauensium nomine præcipuè clarum, à Rege Sanctio III. cognomine Desiderato datum fuit Militibus Sacris, qui inde denominati sunt, circa Annum M.Clviii. Origo Ordinis talis fertur. Quo tempore Mauris erepta fuit Calatraua, Templarijs Militibus (quorum magna tunc temporis erat virtutis opinio, munienda est data, vt firmum aduersus Barbarorum insultus esset propugnaculum. Illi, quod Mauros magnis copijs eò venturos fama erat, Oppido diffisi, Regi id restituêre nec erat inter proceres, qui se periculo exponeret. Aderant fortè Toleti duo Cistercienses Monachi, Raymundus Fiterij ad Pisericam Abbas, & Didacus Velascus spectatæ virtutis Miles Christi, qui monendo suadendoque Abbatem tandem impulit, vt oppidi muniendi in se curam susciperet: gloriosum id illi, Reipublicæ Christianæ vtilissimum futurum. Consilium specie temerarium erat: annuit tamen.

Regi Sanctio id gratissimum fuit, Ioannique Præsuli Toletano: qui, quoniam eius ditionis esset, pecuniam de suo suppeditauit; & auctoritate sua orationeque multos tum Nobiles, tum populares exciuit, vt vnà cum Abbate pro Christiana Republica discrimini se obijcerent. Multi vndique eo mortales confluxêre, omnes libenter difficultates subituri: diligentia hac oppidum aduersus omnes hostium iniurias egregiè munitum fuit. Mauri spe deiecti, an alijs difficultatibus impliciti obsidionem non tentarunt. Id faustum Militiæ eius omen fuit. Rex in laboris

laboris præmium oppidum Abbati & Socijs, iure perpetuo, nomine B. MARIAE Cisterciensis Patronæ dono dedit. (a) Is Militibus suis vestem & Regulam Cisterciensem attribuit. Equitum Magistro Quadraginta millia aureorum quotannis cedunt. His initijs sacram hanc Militiam, in hoc, quod videre est fastigium euectam Alexander III. Pont. Max. suo diplomate approbauit Anno MCLXIV. In quo Garzias quidam primus Magister nominatur. Posteà Innocentius III. P. M. altero confirmauit. Ita ferè *Ludouicus Nonius.* Ioan. *Mariana, Franciscus Rades.* eiusd. Ord. Miles.

EQVITES porrò Calatrauenses, qui Cruce rubea in insignijs, vexillis, sigillis, à primordijs vsi sunt, verisimile est, Crucem quoque in pectore prætulisse. Quãuis minimè negandum, quin semper ijs (vt apertè docent tria approbationis diplomata) fuerit Scapulare pro habitu Religionis. Quo vsque Benedictus XIII. Crucem rubram quattuor lilijs insignem, eadem, qua in Bulla adpingitur figura Culli loco deferendam adsignauit. Nunc solenni Comitiorum lege cautum tradit Radesius, vt Vexillum Ordinis citra Crucem rubram, duobus Compedibus (*Trauas*, vulgo dictis) allusione ad Calatrauam, Ordinis caput factâ ab vna parte, ab altera verò effigie D. Virginis notatum bello & pace præferatur. Id factum ad imitationem ceterorum Ordinum. Siquidem S. Iacobi Militia Venerijs: Pitarij, siue Alcantaræ, Pyro: Auisiorum duabus Auibus, præter Crucem in Verillis discriminis ergo vtuntur. Paulus III. P. M. indulsit vt Equites Calatrauæ, vnicam quisque vxorem posset ducere, secundis nuptijs exclusis.

(a) (*Anno* 1158.

IVRE Magisterij delato ad Hispaniæ Reges concessione Innocentij VIII. & Garzia Lopezio Padilla Calatrauæ Magistro defuncto, *Anno* salutis MCCCCLXXXX. eius locum Ferdinandus Rex excepit: & Titulos, Commendas vocant, inter Milites distribuit, nullo amplius, Equitum suffragijs, vt moris fuerat, Magistro substituto. *A* quo tempore Sigillum Ordinis mutatum est, vt hodieque videre est, cum inscriptione: PHILIPPVS DEI *Gratia Hispaniarum Rex Administrator perpetuus Ordinis & Militiæ Calatrauæ.* Habet hic Ordo sicut & Alcantarensis suum Commendatorium Maiorem, & suum Clauigerum, sub quo ingens Commendatariorum Equitum est multitudo, quorum omnium magni sunt census. Consulendi de hoc Ordine Scriptores, *Damianus à Goës* in Hispania, *Lucius Marinaeus* lib. IV. Histor. *Augustinus Florentius* in Historia Camaldulensi. *Ioan. Azor* lib. XIII. Instit. cap. 5. & 6.

MEM-

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM ALCANTARÆ

In Regno Legionis.

GOMESIVS FERDINANDVS summæ nobilitatis Eques apud Legionenses, Ordinem Militum *S. Iuliani de Pirario*, sic dictum quod in eius nominis oppido decem milliaribus à Roderico ciuitate, ad Coam fluuium distante, primum Ordinis Cænobium extructum sit; auspicijs Ferdinandi Legionis, & Galitiæ Regis, primus contra Mauros excitasse traditur. Eius autem Sodalitij & Fratrum Protectorem se Rex nominauit, condito diplomate Anno MCLxxvi. Anno vero sequenti Alexander III. Pont. Max. idem probauit. Lucius III. deinde Anno M.Clxxxiii. confirmauit, & à Diœcesanis exemit, dictumque Priorem Gomesium, primum S. Iuliani de Pirario Magistrum ibidem nominauit. Insigne tum Sodalibus fuisse arborem Pirum viridem in campo aureo, docent litteræ Fraternitatis, seu amicitiæ cum Militibus S. Iacobi contractæ Anno M.CCII. quarum Sigillum arborem Pirum præfert cum inscriptione: *Sigillum Ordinis S. Iuliani de Pirario.* Fit ibidem mentio Benedicti Suarez secundi Ordinis Magistri, qui tertium confirmationis diploma ab Innocentio III. impetrauit Anno M. CCV.

MANSIT Militibus nomen *S. Iuliani de Pirario*, donec *Alcantara* oppidi, quod ad Tagi ripas situm, & mirandi operis ponte præcipue spectandum est, possessione sunt aucti. Tunc Didacus Sanctius IV. Ordinis Magister adsumpto titulo Magisterij Alcantariensis, Insignijs Piri, duas compedes, *Trauas* vulgo vocant, & quas Calatrauenses sua cum Cruce gestare solent, in signum vnionis adiunxit. An etiam subiectionis? Nam reperio illos postea Lucij II. P. M. beneficio Calatrauensium potestate se exemisse. Castitatem ad normam D. Benedicti à prima Ordinis institutione profitebantur. Paulus III. Anno MDXL. matrimonium vti Calatrauensibus indulsit. Tandem, sublatis trium Ordinum dictorum Magistris, cum Præfecturæ Ferdinando & Isabellæ Regibus (Innocentio VIII. P.M. diploma submittente) cessissent Anno M.CCCCXLIV. à Ioanne Alcantaræ Magistro impetratum est, vt honorem illum in eiusdem Ferdinandi nomen transcriberet. Quod factum, eidem post annos aliquot, Archiepiscopalis, & Cardinalitiæ dignitatis conciliauit insignia, Pontificis quidem auctoritate, at Regis imprimis gratia. Atque beneficio. Alexander demum VI. Leo X. Adrianus item VI. in alumni Caroli V. Imp. gratiam, ipsi & successoribus tres istos Ordines in omne tempus administrandos, tabulis conditis concessêre.

Formulam Professionis pro Alcantarensibus hanc habet Petrus Gutierez Ordinis eiusdem Eques. *Domine Frater* N. *Ego Frater* N. *Miles Ordinis Alcantara professio-*

fessionem facio DEO, *& Domino Magistro, & Vobis, qui eius nomine hic estis: & promitto vobis* Obedientiam, Castitatem coniugalem, & Conuersionem *morum meorum de benè in melius omni tempore vitæ meæ, vsque ad mortem, secundum Regulam S. Benedicti, & modum concessum viuendi huic Ordini de Alcantara.* Scripserunt de hoc Ord. *Franciscus Radesius* sermone Hispano, *Io. Petrus Gutierez* eod. idiomate. *Ioannes Azor* Latinè lib. XIII. Instit. Mor. Cap. 5. & 6. qui hoc habet. Anno MCCCCXI. impetrauit Magister Militum Alcantaræ à Benedicto XIII. qui, vt legitimus Pontifex in Hispania habebatur, vt Insigne Ordinis esset Crucis figura; & tunc vti cæperunt Cruce viridi, vt à Militibus Calatrauæ distinguerentur, qui rubram Crucem in amictu gestant.

MEMBRVM IV.

ORDO MIL. EQVITVM SALVATORIS

In Regno Aragoniæ.

ANNO circiter MCXVIII. Alfonsus Hispaniarum Imperator dictus, Rex Nauarræ & Aragoniæ, itemque Legionis, Castellæ, & Toleti ex parte vxoris Vrracæ, quo Mauros Cæsar augusta, totaque Aragoniæ ditione facilius deturbaret, cùm nihil non virtute sua spectabile censeret, & quo maiores difficultates propositas intelligeret, eo maiustre benè gesta decus & feliciores deindè successus sequuturos consideret; ex proceribus tam Hispanis quàm Gallis, qui operam suam sæpissimè Christianis probarant, in vrbe Montis regalis, post captam Calatauibam hostibus fidei finitimam, Sodalitium Equestre S. SALVATORIS, quod virtutis præmium foret, constituit: & ad mutationem Militum Templariorum censu opimo & prædijs ditauit. His Militibus opitulantibus feliciter ei adeo Institutio illa cessit, vt Mauri omnes toto illo tractu, quo Regnum Aragoniæ hodie circumscribitur, Anno M.C.XX. extirpati sint, ipseque Rex nomen *Pugnacis*, seu *Prœliatoris* consequutus sit, quod vicies & nonies collatis signis manus cum hoste conseruisset, felici semper successu, & triumpho semper ductо, exceptis duobus prælijs postremis. Legendus *Bellojus* qui primarios etiam Duces Militiæ illi initio adscriptos enumerat.

* * *

MEMBRVM V.

ORDO MIL. EQVITVM LILII

In Regno Nauarra.

SANCTIVS Hiſpaniarum Imp. & IVus Nauarræ Rex Anno M xxiii. eam maieſtatis ac potentiæ amplitudinem conſequutus, qua nulla maior, nec æqualis Gothici regni euerſione in Hiſpaniâ viſa fuerat, tot amplorũ regnorum factâ inter filios ſuos diuiſione, Nauarram Garciæ Ordinis Equeſtris LILII Fundatori attribuit. Huius Garciæ VI. Nauarræ Regis ætate, qui Nagarenſis, ſiue de Nagera (locus is erat incunabulis, domicilio, & ſepulchro Regis eiuſdem clariſſimus) cognominatus fuit, Hiſpani Scriptores diuino Numine inuentam tradunt Sacratiſſimam D. Virginis Regalis Monaſterij in vrbe Nagerenſi Imaginem, cuius honori Garcias Rex, & coniunx eius Stephana; ſtirpis Foxienſis optimum Religioſorum Ordinis S. Benedicti conuentum dedicarunt. Ipſe verò Rex Ordinem Equitum LILII, quem ante omnes in Hiſpania auguſtiſſimum dicere licet, auſpicium præbuit Vaſculum Lilijs candidis inſigne, & memoratæ Virginis Imagini appictum. Eius namque adſumpto emblemate Rex Equitum adlectorum veſtes lilijs acu, vel alia manus nobilioris opera elaboratis inſigniri mandauit. Huic Sodalitio Infantes Regij fuerunt adſcripti: & procerum benè meritorum plurimi, Leges datæ: & Priuilegia Roncis vallis Equitum communicata. Præſcriptum etiam, vt certas Orationes Dominicales, & Salutationes Angelicas recitarent. Hoc fulcro ſubnixum laudatiſſimum iſtud Inſtitutum, rebus domi militiæque geſtis clariſſimum, ad ſtirpis Regiæ poſteritatem longa ſerie tranſmiſſum, multiſque ſeculis conſeruatum perdurauit: teſtantibus id maiorum regijs inſignibus, quibus inſcriptum etiam hodie legatur: DEVS *primum Chriſtianum ſeruet*. Legendus *P. Beloyus cap. XII.*

LILIATORVM EQVITVM Ordinem honori D. Virginis à Ferdinando Aragonio (quem Infantem de Antiquera dixêre) Anno M CCCIII. dedicatum prodit *Hieronymus Curita lib. XII. cap. XXIII. de rebus Aragonia*. Cuius teſſeram Rex ipſe cum aliquot alijs non tam ſplendore natalium, quàm virtute illuſtribus viris in Eccleſia S. MARIÆ Antiquæ oppidi Methymnæ Campenſis ritu ſolenni ſuſcepit. Erat ea ex Vaſe Lilijs & Grypho confecta. Lilium flos propriè eſt, quem Theophraſtus lib. de Plantis Narciſſum eſſe ſcribit. Communi eruditorum ſenſu, lilium, pulchritudinis, candoris, & puritatis, ideoque DEO, Angelis, & Virgini intemeratæ pergratum eſt Symbolum. Qui & flós Regius ſolet appellari, à regia, quâ præſtat celſitudine, quod tanta proceritate ſuper alios flores attollitur, vt ad tria interdum cubita ſurrigatur. Et Gryphus ex aquila ac leone confectum animal, vt fabulantur, ſimulachrum eſt gene-

generosi & magni animi, ideoque non ineptè Apollini Sapientiæ præsidi dedicarunt antiqui. *Hieronymus Romanus* Ordinem hunc vulgo vocitatum refert: *La Orden de la Terraca, o de las Acuanas, ò Iarra de S. Maria*; *Ordo Liliorum*, aut vasculum S. MARIÆ. *Vide eund. lib. VII. de Repub.*

MEMBRVM

ORDO MIL. EQVITVM MONTESIÆ

In Regno Valentia.

ORDINIS Templariorum thesaurum fæcundam quasi aliorum Ordinum extitisse Matriculam, tradunt Auctores Hispani, tum maximè *Gonsalvus Argotes de Molina*, & *Gonsalvus Illescas* in Historia sua Pontificali. Quid Ioanne XXII. Pontificatus eius Anno III. Christi M CCCXVII. rogatu Iacobi II. Aragoniæ & Valentiæ Regis Collegium Militum Montesiæ (quod oppidum sedem præcipuam, & nomen ordini dedit) instauratum produnt. Templarijs enim ad immensas opes euectis, & vno omnes tempore internecione penè deletis, varijs hinc inde Societatibus natis ex horum patrimonio prospectum. Et sicut in Gallijs atque alibi in locum & opes ferè eorum successerunt Melitentes, ita apud Hispanos in Regno Valentino Ordo Montesiæ; in Lusitania Christi, sub idem ferè tempus exorti. Calatrauensibus quidem Montesiani, per initia fuerunt subiecti; proprio tamen Magistro Guilelmo Erilio Ordinis primo in Conuentu S. MARIÆ & S. Georgij constituto gauisi sunt. Vt testatur *Hieronymus Curita lib.II. Rer Arag.* Habitu candido, iuxta D. Benedicti normam, Cruce rubra, simplici planaque adiuncta vsi sunt prædijs, quæ Templarij eo in tractu obtinuerant in eos translatis. Quæ Benedictus XIII. & Martinus V. tabulis suis confirmarunt.

CENSV isto Equites etsi ceteris impares, virtute certè bellica aduersus Mauros littora Valentina infestantes non inferiores extitêre. Castitatem omnes professos ad sua vsque tempora adfirmat *Hieronymus Romanus*. Primus qui illam infregit nominatur Cæsar Borgia Magister Ordinis XI. Summis Pontificibus certas ob caussas indulgentibus. Solet autem, vt obseruat *Hieronymus Romanus*, Magister Ordinis decori, & prærogatiuæ augendæ, Crucem quidem rubeam inueste, sed maiorem, certis ad brachia punctis distinctam: ipsum verò Collegium in vexillis militaribus Cruces viridi, nigroque colore exornatas præferre, etsi in clypeis aureis simplicem & planam illam Crucem retinere conspiciatur. Breuiter *Azorius*. In Valentino tractu Rex Aragonius factam Militiam Montesiæ creauit, quam Ioannes XXII. Anno Domini M. CCCXVII. suo diplomate confirmauit. Cistersieûrium instituto & legibus viuit. Calatrauæ

Militari Ordini subiecta. In veste candida rubræ Crucis figuram gestat. Præcipua eius sedes Montesia: vnde Militiæ nomen.

MEMBRVM VII.

ORDO MIL. S. MARIÆ V:

De Merced:: & Redemptione Captiuorum In Catalaunia.

ANNO M.cc.xviii. Barcinone noua piorum hominum instituta fuit Sodalitas, nomine D. MARIæ de Mercede & Redemptione captiuorum insignis, quod multi terra mariqúe à Mauris capti Christiani, & in seruitutem redacti, viræ acerbitate à Christo data fide alieni morerentur. Magnum id dedecus Religionis erat, Christiani nominis probrum maximum. Cuius declinandi studio Iacobus I. Aragoniæ Rex, cognomento Expugnator (tria enim regna, Balearicum, Valentinum, & Murciense à Saracenorum manibus eripuerat) prima Ordinis iecit fundamenta Anno M. cc. xxx. Gregorius autem Papa ix. Anno post duodecimo adprobauit. Quod *Hieronymus Curita, Blanca, Romanus, Ioannes Mariana*, alijqúe historiographi Hispani commemorant. Fecit id Iacobus Rex, seu voti reus, vt quidam scribunt, quod Montione in Gallia, dum captiui instar à Simone Comite Monforrio teneretur, Virgini Matri nuncuparat: seu vsu doctus, quàm misera sit captiuorum conditio, quàmqúe deplorandus eorum status foret, quibus Barbari adeò seueras leges, & iugum imponerent.

VSVS est Rex hac in re consilio Raymundi Pennafortij Monachi Dominicani, qui à sacris illi confessionibus erat, & nostra memoria à Clemente viii. Sanctorum numero est adscriptus. Adhibuit etiam Petrum Nolascum Virum nobilem Gallum, qui secundum Regem Iacobum nascenti familiæ Ducem se præbuit, eandemqúe optimis legibus temperauit. Idem Barcinone in cathedrali S. Crucis basilica coram Rege & Pennafortio ac regni proceribus, vestem candidam Religionis nota insignem, de manu Berengarij Palauicini Episcopi Barcinonensis suscepit. Est autem Religiosi huius Ordinis nota seu tessera, (quam Rex ipse manu propria Sodalibus distribuit) CRVX argentea D. Eulaliæ Barcinonensis in rubro clypeo, Cataloniæ Principum gentilitijs insignibus (quæ aureo scuto quattuor tenijs, seu palis, vt fecialibus placet, puniceis virgato, præfulgent: & exinde cum Raymundus Berengarius Regnum Aragoniæ iure dotali adeptus est, Regibus Aragoniæ propria manserunt) super imposita. Ipsis porrò Mercenarijs Sodalibus incumbit, corrogatis eleemosynis stipem colligere, Christianos homines à Saracenis, Mauris, alijsqúe Barbaris captos, aut in seruitutem abductos redimere, pristinæqúe libertati restituere: & discriminis ergo ad memoriam insignia prætexta, siue limbum aureum cum fascia aurea in vmbonis medio præferre.

SVNT

SVNT duplicis generis in hoc Ordine Sodales. Alij Milites, siue Equites: alij Monachi, vtrisque vnus præest Magister Generalis Barcinonæ residens; & quidem Sacerdos, idque ex decreto Clementis v. & Ioannis XXII. etsi suum olim singuli hubuerint Præfectum ac Moderatorem. Regulam S. Augustini à Gregorio IX. ipsis præscriptam fuisse, *Hieronymus Romanus* alijque referunt. Nec mirum, cùm initia sua Raymondo Pennafortio Dominicano (cuius Ordinis Sodales eandem Regulam sequuntur) magna ex parte debeat. Tamen *Arnoldus VVionus* tradit, Milites Merceuarios hoc tempore secundum Regulam S. Benedicti viuere, idque ex solenni professionis ipsorum formulâ sibi constare asserit.

MEMBRVM VIII.

ORDO MIL. EQVITVM BANDÆ

In Ciuitate Victoriâ.

OBTINVIT olim mos in Hispania, vt Equites Tyrones vigilarent, antequam ad id dignitatis cooptarentur, vti testatur *Hieronymus Romanus* de Institutione Militum BANDÆ, ab Alfonso XI. Castellæ Rege in ciuitate Victoria, antequam Regni Insignia capesseret, erecta: & non multo post in Vrbe Burgensi cecelebrata Anno M. CCC. XXXII. vbi ptidie Ceremoniarum in Monasterio S. MARIAE Regalis, quisque Tyronum à Rege conductus ad altare suum, depositis armis, totam noctem, vigilijs, orationibusque transegit, posteroque die sub Missarum Solemnijs ab eodem, tanquam ab Ordinis Præside, Militari Baltheo, seu tenia rubra (*Banda* vulgo dicta) & quattuor lata digitos, quæ à dextro humero, sub sinistro brachio corpori circumduceretur, honoris ergo donatus est. Quam & pardi fuisse coloris nonnunquam, apparet ex historia Regis Ioannis II. vulgari lingua conscripta.

IN eum numerum & Ordinem iuuentutis excitandæ gratiâ, solummodò adlecti sunt. Nobiles natu minores, & armigeri, qui adeò opima patrimonia nō possiderent: quique decem minimùm annis in castris, aulaque versati essent, exclusis filijs maioribus. Et quia Reges ipsi honoris id insigne gestare non dedignabantur, eò fiebat, vt Nobilitas ad res arduas cōpescendas incēderetur. Magno autem in precio Ordo ille diu est habitus ob heroicas quibus fulciebatur Constitutiones: quas recitat *Antonius Gueuarra* Mondonedi Episcopus (qui de Equite, ac officio Ducis in bello luculentum conscripsit librum) in Epistola ad Petrum Pimentelium, Comitem Beneuentanum: *Franciscus Sansouinus* etiam, qui seriem Equitum primis auspicijs adlectorum ex ordine recenset. Subsequenti verò ætate in desuetudinem abijsse prodit *Antonius Garibayus lib. IV. cap. 7.* Attamen regnante Ioanne adhuc floruisse ex eiusdem constat historia. Cùm enim Sigismundus Imp. Schismatis caussa Perpinianum venisset, nonnulli ex eius comitatu Principes Lusitaniam, Castellum vicinasque prouin-

prouincias visendi desiderio adiere: Comes nimirum Armeniacus, Vice-comes Saonensis, Dux Briensis Poloet Tribunus Equitum Pannoniæ, qui omnes à Rege Ioanne honorario BANDAE insigni condecorati sunt.

ORDINIS huius Militaris antiquam ceremoniam, vnam noctem ante aram sacram excubandi, & ante Ordinis ingressum, vigilijs & orationibus transigūdi spectabat IGNATIVS LOYOLA & ipse Hispanus initio auersionis à Militiâ profanâ & conuersionis ad Sacram *Quia legerat*, inquit ...icus Societatis, (a) *Nobiles olim Equites cùm initiarentur profanæ Militiæ, totam noctem in armis excubare soli tos, Militiam & ipse Sacram auspicaturus ritu persimili, iumentum quo erat aduectus, Cœnobio donat: quod superfuerat pecuniæ pauperibus diuidit, gladium ac pugionem ante* DEIPARAE *aram suspendit, densisque iam tenebris vni pauperum etiam nobiles vestes quibus induebatur, ad intimam vsque subuculam tradit, seque ipse habitu induit pauperis ac peregrinantis. Hoc ornatu noctem, quæ lucem concepto à Virgine Æterno Verbo Sacram præcessit ante ipsius Aram Virginis totam exegit, modò stans, modò genibus nixus, deflens superioris ætatis piacula, totumque se toto pectore* DEO *deuouens, atque Ei vni statuens in posterum*

BONAM MILITARE MILITIAM.

(a) *Nicol. Orland. in lib. 1. Histor. num. 18.*

MEMBRVM IX.

ORDO MIL. EQVITVM COLVMBÆ.

In Hispania: apud Castellanos.

IOANNES I. Castellæ Rex, paullò ante vitæ finem Anno M. CCC. XC. Ordinem erexit, & Insigne Equestre dedit COLVMBAE effigiem ex aureo Torque radijs solaribus distincto pendentem Nobilibus Aulicisque Proceribus, ad præclara facinora Henrici II. aui exemplo, honoris specie obiectâ, incitamentum. Cuius generis plura Collaria Segobiæ ipso D. Iacobi festo die in vrbis templo maiori, solenni ritu ex Altari arripiens inter Equites distribuit: simul & Librum constitutionum, quibus singuli addicti essent, exhibuit.

MEMBRVM X.

ORDO MIL. EQVITVM RATIONIS.

In Hispania: apud Castellanos.

IOANNES I. Castellæ Rex Ordinem cui *Rationis* nomen dedit, adinuenit; & armigeris, minorisque notæ Nobilibus, qui in hastiludijs, & alijs bellicis exercitijs strenuè se gessissent, certâ hinc gloriæ reportandæ ex re fortiter gesta, hinc beneuolentiæ, gratiæ ac munificentiæ à Principe consequendæ spe proposuit. Verùm morte eius intempestiua, quæ incidit in Annum M.

CCC.

ccc.xc.res tota, priusquam stabiliretur, euanuit, vt tradũt, *Ioan. Mariana* lib. xviii. cap. 13. & *Hieronymus Romanus*, lib. vii. de Repub.

MEMBRVM XI.

ORDO MIL. EQVITVM SCAMÆ.

In Castellâ.

IOANNES II. Castellæ Rex excitauit Ordinem Equitum *de La Scama*. Cuius insigne, aut quid esset *La Scama*, diligenti inquisitione habita curiosè se inuestigasse, nec tamen eius potuisse reperire rationem testatur *Hieronymus Romanus*. Etsi non diffiteatur, eundem Regem, Moysem Didacum de Valera rebus in Germania gestis illustrem hoc Militari Signo donasse: Itemque Ciliæ Comitem in Bohemia, cui & alia quattuor eiusdem notæ Collaria inter primarios suos nobiles distribuenda, elargitus est.

COMMENTATIO V.

ORDINES MILITARES GALLIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM S. MARIÆ

De Monte Carmelo & S. Lazari.

EQVITES *Rhodij*, siue *Ioannitæ* impetrauerant ab Innocentio VIII. vt Lazarinum Sodalitium ipsis adiungeretur. Quo factum fuit vt Ioannitæ (qui nunc etiam Melitenses dicuntur, vt quondam Rhodij) Ordinis illius Principatum & Præfecturam penes se retinuerint, vsque ad Æmorum Castum, virum natalibus, multisque virtutibus clarissimum. Is quamquam Eques Melitensis, Militiam Lazarinorum, cuius Princeps ac Magister erat, in Gallia instaurare primus seriò nostra memoria in animum induxit: & bona patrimonialia primis possessoribus restituere conatus est. Quo laudabili in opere cùm defecisset, Philibertus Nerestanus, vir modestiâ simul & fortitudine præstans (quæ duo in homine Militari rarè coniuncta reperias) de mortui locum ac Magisterium excepit: professione tamen aut vitæ genere Melitensibus non obstrictus.

Is Romam profectus à Paulo V. obtinuit, vt Lazarini Equites Galli in posterum, Equites S. MARIAE DE MONTE CARMELO, ET S. LAZARI nuncuparentur. Et violacei coloris Crucem, Virginis Matris effigie insignem ex collo pendentem, itemque chlamydi affixam, exemplo Melitensium præferrent. Vsus est idem Romæ consilio & opera P. Petri à Matre DEI Carmelitæ Discalceati, qui

Pau-

Paulo v. Pontifici à sacris tunc erat concionibus, ei deniqué ob singularem morum integritatem vitæque sanctitatem longè gratissimus: quo nomine & à Baronio in Annalibus eximiè commendatur. Faxit DEVS, vt sicut Carmelitarum Excalceatorum Societas magno Ecclesiæ bono, per vniuersum orbem mirifice efflorescit, sic & Carmelitanorum Equitum Collegium paullatim maiora, Reipublicæ Christianæ commodo sumat incrementa. Ceterùm, Anno MDCIX. Nerestanus Parisijs in suburbano S. Lazari Monasterio, quod est Canonicorum Regularium S. Augustini, solemni ritu Equites aliquot creauit, dictaque tesserà insigniuit: adhibitis ijsdē ferè ceremonijs, quibus Melitenses inaugurantur. Hoc tamē discrimine, quod Carmelitani Equites à nuptijs non arceātur, sicut nec Mauritiani in Sabaudia. Ex his patet, Lazarino Ordine, velut in duo Sodalitia, Mauritianū & Carmelitanum partito, ex his alterum Sabaudis atque Italis, alterum Gallis, velut proprium censeri.

MEMBRVM. II.

ORDO MIL. EQVITVM S. MICHAELIS.

PRAECLARVM illum morem, vt Proceres Torque aureo insignirentur, à Romanis ad Francos traduxit LVDOVICVS XI. cùm, vt tradit *Gaguinus*, Kalend. Augusti Ann. M.CCCCLXIX. Ordinem D. MICHAELIS instituerет, & nouis Statutis Ann. M.CCCCLXXVI. Plessij augeret: Symboli loco suos insigniens Torque aureo, Cocleis (quæ Romanis Senatoribus turgentes in lacertis prominebant) inter se hærentibus & D. MICHAELIS Cacodæmonem è cælo deturbantis imagine appensa: additoque emblemate: *Immensi Tremor Oceani*. Prouocatus vtique exemplo patris sui Caroli VII. cui pro Insigni bellico huius Archangeli fuit effigies, cū primitias potissimùm inaugurationis celebraret Rothomagi sumptum. Id adeoque sancitū in singulos Reges, ab illustri, vt aiunt miraculo præsentia seu D. Michaëlis in prælio ad pontem Aurelianensem hostes Anglos, vrbemque à dira oppugnatione arcentis ac propulsantis. Initio fuit cohors quædam XXXVI. regni procerum inculpatorum Equitū, dicta à D. Michaële Societatis Præside. Quibus Rex ipse primus adnumerari voluit: eodemq; quo Ordinē inchoauit momēto, solemni lustratione XV. Heroes in eundē adsūpsit.

QVI huic Sodalitio nomina dant in verba Principis adiguntur: eoque neminē moueri constat, nisi hæreseos aut proditionis reum peractum, aut signorum desertorem. Quando verò agebatur, de aliquo in demortui locum eligendo, non suffragijs, sed tabulis (βαλότας Veneti vocant, à verbo Græco βάλλειν) electio fiebat. Quæ obsignatæ in peluim conijciebantur, quibus à Cancellario numeratis, qui plures retulisset, in Collegium cooptabatur hac verborum formulâ à Principe prolata: Te Ordo Fratris (ita enim vicissim se appellare solent Equites) & Sodalis loco habet, eaque ratione te Torque hoc donat: faxit DEVS eum vt diutius gestes. Deinde in perpetuum amoris testimonium, singulos exosculatur. Est & suus Ordini Cancellarius, Thesauranus,

Cadu-

Caduceator seu Fæcialis cui à D. Michaële nomen est: denique Scriba, qui Equitum præclarè gesta litteris & memoriæ perpetuæ mandet. Moris est Regibus munus hoc etiam in externos Principes conferre in honoris & beneuolentiæ indicium. Qui si illorum se hostes profiteri volunt, per internuncium Torquem remittunt, vt omni Sacramenti religione soluti alteri Principi strenuam operam nauent. Huius Ordinis ceremonias statuta & leges, ex magno Constitutionum volumine Regni Francorum refert *Tilius lib. 2. de Reb. Gall. Franciscus Sansouinus, Petrus Matthæus*, Franciscus Modius in Pandectis Triumphalibus Tom. 1. lib. 2.

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM S. SPIRITVS.

HENRICVS III. Valesius Rex Galliarum, obsolescente Ordine Cōchyliato, ob commune permiscuè indignis hominibus, Equitum Collegium à se institutum, ac nomine SANCTI-SPIRITVS (cuius Nummi, natus ipse die Pentecostes, omnes actiones & consilia, fortunatissimis & gloriosissimis aucta successibus referebat acceptum, nuncupatū, solemni lustratione, prid. Kal. Ian. celebrauit Parisijs in Basilica, Augustinianorum Eremitarū: morisq; inde receptum est, vt inaugurationis initium ducatur vltima die anni desinentis à preuigilijs serotinis in dicto Cænobio, alterā, quæ annum renouat, inauguratio peragatur. Cuius formula profectò digna est, quæ conceptis verbis referatur.

ORDO (præfatur Rex ipse) summus Magister hoc te paludamento sui fraterni contubernij involuit, ad procuratione & columen fidei Orthodoxæ, & Catholicæ Religionis. Exinde Torquem ceruici imponens manu regia, addit, Nostræ Militiæ tesseram accipe, Sacri Pneumatis Torquem. Sic tibi in iugi memoria SALVATORIS CHRISTI PASSIO, cuius Symbolum, CRVCEM vestibus insuendam tibi præcipimus. Annuat Christus, ne quam Fidem votis & Sacramento oppignorasti, fallas. Si sequus feceris, ex albo Militiæ expunctus, indictas decretis Ordinis pœnas experieris. Centenario numero completum fuit Collegiū, in eo cōprehensis, Rege Ordinis Principe, IV. Cardinalibus, IV. Antistitibus Ecclesiasticis, magno Eleemosynario, Cancellario, Præfecto Ceremoniarum, Magno Thesaurario, Graphiario, Fæciali, Ostiario, Commendatorum nomine dicti Equites. Quod ab initio constituisset Rex, ex opimioribus cænobijs detractis amplissimis vectigalibus, Commendas ad Hispaniensium exemplum erigere cogitans. Et quidem ipse apud Pontificē crebrò per suos Oratores egit, vt Cænobiorum bona Commendis istis attribui pateretur: nam eum Ordinem ad Religionis Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, amplificationem, & sectarij veneni exstirpationem institutum esse: idq; Equitum præcipuum iusiurādum esse. Quod cùm reclamāte Sacro Ordine impetrare non potuisset, nomen nihilominus mā-

sit, & Equites S. Spiritus Commendatores appellantur.

SINGVLIS porrò Equitibus, Pallium nigrum holosericum, liliorum floribus, flammis, alijsque ex auro & argento heroicis notis intertextum donauit, & addixit: item, torquem aureum ex lilijs flāmarum congerie circumdatis. (Quibus Henricus IV. casides aliaque victoriarū trophæa addidit) tribusque diuersis Mathescos signis elaboratum: cuiq; Militensi formæ Crux Columbam præferēs adhæreret inaugurationis solemni die gestandum ādiunxit. Ceteris verò ferijs lutei, seu crocei coloris Crucem holosericam vestibus adsutā: in bello verò argenteam; alia insuper collo innexa pensili cærulea fascia. Quæ omnia ea moderatione Princeps instituit, vt antiqua D. Michaëlis solennia è fastis non eraderet; nam etiam-num Torqui Militiæ Sacri Pneumatis adduntur. Et, qui vtriusque Militiæ candidati existunt, ex vno latere conchyliatam tesseram ex altero verò Columbam prætendunt. Denique in Rituali Henricianæ Institutionis indictum est, vt postridie quam Torques maior Sacri Flammis imponatur, Diui Michaelis minor suscipiatur. Consulendus *Barnabis Brissonius* volumine singulari.

MEMBRVM IV.

ORDO MIL. EQVITVM CARDVI B: MARIÆ V.

In Galliā apud Borbonios.

LVDOVICVS II. Borboniorum Dux cognomento Bonus, Petri I. qui prælio Pictauiensi sub Ioanne Gallorum Rege cecidit, filius, postquam operā suā difficillimis Regni temporibus, eidē Ioanni, Carolo V. & VI. Regibus contra Anglos, aliosque Regni potentissimos hostes probasset, exercitum in Africam, pro Christi fide duxisset; exortis Aurelianensium, & Burgundionum in Gallia factionibus, quibus Regnum penè pessumdatum est, cùm familia Burgundica Velleris Aurei Insigne, Aurelianensis verò Hystricis erexisset, ipse, quo potētiam suam maiorum, & propria virtute quæsitam, in auxilium pupillorum Caroli Ducis Aurelianensis, Philippi Comitis Eboracensis, & Ioannis Angolismorum Comitis, contra Burgundum ob necem nepotis sui Ludouici Ducis Aurelianensis, firmaret, Ordinem Equestrem Cardui D. VIRGINIS instaurauit: Collare aureum, siue argenteum ex Lilijs, & quattuor folijs aut floribus Cardui, Crucē in eodem statuentibus, cum inscriptione, ESPERANCE, ornamētum datum ijs nimirum, qui ob egregia in Borbonium nomen merita illustres haberentur.

HVIVS Sodalitij Militaris Corypheum & caput Dux ipse se nuncupauit, dictoque Balteho Arma gentilitia, in Campo argenteo & rubeo insigniuit: qualia antiquis rerum Sacrarum aulæis intexta, in oppido Claromontano, quod Comitatus

mitatus nomen Borboniæ Genti dedit exhiberi testatur *Petrus Belloijus*: innumeris scilicet lilijs cum filo illo vti solet, & dicto Spei Symbolo respersa. Omnes enim Francorum, Burgundionum, Austrasiorum, Germanorum, ceterique ex Francico sanguine Principes, cyaneo in clypeo, lilijs indefinito numero pro Insigni vsi fuêre, vsque ad Caroli VI. tempora, qui primus, vti Genebrardo placet, Tria tantùm lilia in Scuto expressit. Quod & alij Regij Stemmatis Principes exinde sunt imitati. Eodem Torquis Insigni & Ratiginiensium Dominorum qui Borboniorum Principum summi venatores semper habiti Arma exornata visuntur.

Hoc Spei emblemate, Carduis & Lilijs, attextis, animi sui magnitudinem contra omnes fortunæ impetus expressisse videtur Ordinis istius Conditor. Vnicaulis enim Carduus simul ac Scolymon in calicem apparuerit, florem purpureum mittit, inter medios aculeos celeriter canescentem & abeuntem: cùm aura perinde ac spes nostræ plurimum euanescunt: vt minima quaque de caussa homines plerumque concutiantur. Nonnunquam tamen quædam animæ proficientis rudimenta indicant; cuius Hieroglyphici primas flos lilij, omnium consensu facile obtinet. Hinc in antiquorum monumentis cum inscriptione, SPES, lilij potius figura, quàm alterius cuiusquam floris specie ostentant. In Numo Imp. Alex. Pij Aug. ab altera facie Dea lilium dexterâ prætendit: cuius inscriptio est: SPES PVBLICA. Eadem inscriptio cum Lilio manus Deæ prætento in Imper. Æmyliani numo habetur. Nusquam verò frequentius, neq; manifestius hæc Lilij facies pro SPE ponitur, quàm in Imp. Claudij P. I. in quibus Dea pallam læua sustinet: dexterâ Lilium prætendit, cum inscriptione, SPES PVBLICA. Et in T. Claudij Numis, eodem gestu Dea efformato, cum litteris SPES AVGVSTA. Eodem statu habituque in Hadriani Numo, Dea Lilium prætendit, cum inscriptione SPES P. R. Legendus præter alios, *Philippus Cominaeus lib. II. cap. 8.*

MEMBRVM V.

ORDO MIL. EQTITVM LVNÆ CRESCENTIS.

In Galliâ, Italiâ, Siciliâ.

SECVNDA Andium Familia, quæ inter alia potentissima Christiani Orbis dominia, Siciliæ Imperio potita est, teste *Ioanne Iouiano*, signum Ordinis Equestris, in brachio habuit LVNAM argenteam CRESCENTEM. Cuius Militiæ Principatum sibi ac Successoribus primus sumpsit Renatus Dux Andium, & Rex Siciliæ, Neapolis, & Ierosolymorum. Is cùm more inter Principes recepto Ordinem Lunæ Crescentis, in D. Mauritij Vrbis Audegauensis basilica

silica erexisset, perspectæ virtutis Militibus Torquem aureum LVNA CRESCENTE (cuius axioma illud, *Los*, vel, vt Petro Matthæo Regis Galliæ Historiographo placet, *Los en croissant*) Carolo VIII. postea perfamiliare Symbolum inscriptum erat, insignem spectabili totius Aulæ pompâ perquam honorificè detulit. Exinde *Paulus Iouius* natum credit illud Henrici II. *Donec totum impleat orbem*: quia vere, Luna cùm est plena, fit æmula Solis. Ita refert *Franciscus Modius* in Coronatione Henrici II.

PORRO in eum Ordinem, nullum fas erat adoptare, nisi primum in pugna fortitudinis suæ specimen dedisset: præliorum frequentiam, quibus interfuisset, ex bacillis, qui lacinia suspensi ad collum, & annulo simul inserti terminabuntur, colligere licebat. Huius Sodalitij Equites, omnis fortunæ periculorumque inter se Socij esse tenebantur: amici certi adiutoresque in omnem necessitatem: neque armis poterat alter alterum infestare. Verùm Andium stirpe Regis istius morte extincta pariter & nobilissimum hoc institutum finem cæpit.

QVOD renouasse visus nostrâ ætate Marchio de Tyrace in Sicilia, spectatæ fortitudinis Heros, qui nouum Equestrem Ordinem, & Signum Militare apud Siculos inuexit. Cui non pauci nobilitatis primates, & summi stemmatis adolescentes nomen dedere. Quibus inflammandis, instituit ille velut Pancratium, in quo gymnicis certaminibus tyrocinia belli agerent, discerentque in ludicra pugna, veram pro Christo fortiter & imperterritè pugnare: eaque ratione Turcis quotidie imminentibus, non solum ad Insulam inuadendam, sed Italiam proximam vastandam intercludere. Legendus *Rodolphus Borereus* lib. 2. ad Ann. M.D. XCIV.

ORDO MIL. EQVITVM IESV CHRISTI.

A. S. *Dominico contra Albigenses hæreticos institutus in Gallia.*

INSTITVTI huius initia & caussam accipe ex Antonini Chronico. Cùm partes Tolosanæ & Lombardiæ plenæ essent hæreticis, Dominicus prædicans contra illos dicitur conuertisse ex iis 100600. Sumpsit autem in adiutorium, quasdam deuotas personas, quæ corporaliter illos hæreticos, gladio materiali expugnarent; quos ipse gladio Verbi DEI amputare non posset. Iis verò tradidit tertium modum piè viuendi spiritualem, vltra communem modum laicalem, & citra statum completæ Religionis. Dicebantur initio *Fratres de Militia B. Dominici*. Extirpatis demum hæreticis in partibus illis cùm non oporteret amplius gladio pugnare, remanserunt in illo statu & modo aliquatenus Religioso, cum vxoribus suis, quæ mortuis viris continenter viuebant. Quibus alij iungebantur vtriusque sexus, & iis adhærebant.

VOCATI sunt postea, *Fratres, seu Sorores de Pænitentia B. Dominici*. Quorum

rum Regulam approbauit Innocentius VI. circa Annum Christi M CCC. LX. & Ioannes XXII. declarauit, illos & illas non esse intelligendas de numero eorum, qui dicuntur in *Clement. Ad nostram* Begardi & Beginæ. Honorius P.M. concessit quod tempore interdicti possint interesse officijs diuinis in Ecclesijs Prædicatorum. Denique ad notitiam illorum pleniorem spectat, quod hic Ordo neminem adstringit ad paupertatem & obedientiam totaliter.

MEMBRVM VII.

ORDO MIL. EQVITVM STELLÆ.

IOANNES VALESIVS Gallorum Rex, prælio Pictauiensi suâ & Regni calamitate notissimus, Epiphaniæ, seu STELLARE Equitum Sodalitium Anno M. CCC. LII. mense Octobri auspicatus est. Sodales dicti fuere D. Virginis de nobili domo D. Andoëni. Ita enim vocabatur castrum illud, quod plus minus duobus millibus abest ab vrbe Parisiensi, palatij Clichiani nomine olim appellatum, vbi sedes primaria Ordinis constituta, Ædesque sacræ Equitibus, cum omnibus publicatis bonis, & sportulis futuris attributæ. Proceribus Ordini initiatis Signum Stellæ collati aureo appensum, seu togæ capitio loco-ue conspicabiliori præferre est datum, addito symbolo: *Monstrant Regibus Astra viam.* Vnde tam honorificam Stellæ celebritatem constat ortam fuisse à commemoratione diuini illius Sideris, non fabulosi illius Tyndaridum, sed noui illius, &c, vt Theologi non pauci existimant, recens cum Christo nato, ad Cunas eius illustrandas creati, quod Magos ab Oriente præuij, Ducis instar, in partus locum nati Filij DEI perduxit.

TEMPORIS decursu, quoniam multitudo gregariorum, qui falsis titulis irrepserant, Ordinis Nobilitatem defædarat, vt paullatim vilesceret: & Carolus Ioannes filius palatij custodibus Signum illud deferendum tradiderat (sic ferè res humanæ à præclaro initio degenare consueuerunt) in eius locum D. Michaelis Ordo, quod Gallia peculiari tutela Genium illum Custodem imperij sui agnoscat, suffectus est. Legendi *Ioannes Ferrus*, lib. 1. Symb. *Antonius Absolonus.* lib. 1. *Nicolaus Caussinus*, lib. 1. Parab. symb.

(*⁎*)

MEMBRVM VIII.

ORDO NAVALIS SIVE COCHLEARIS.

FVIT priscis seculis Francorum gens Naualis, & Piraticæ Artis perquam gnata, & in ea exercitatissima, si *Latino Pacato, Sidonio Apollinari*, ac *B. Rhenano* cre-

credimus. Placuit autem Genti, vt quã-cumque sibi regionem vrbis condendæ quieti deligerent Nauis amplissimæ symbolo dedicarent. Quod quidem ea sorte insignita Regalis Parisiorum Lutetia sibi vetusto nomine, in hunc vsque diem vendicat, vt scribit *Claudius Paradinus in Symbolis heroicis*. Neque verò absurdum est, hoc ipsum illos à Gepidis, idem anteà quoque vsurpantibus per Germanicum Oceanum clatis accepisse. Ac deinde Reges Francorum, tot transmarinis expeditionibus ante alios præcellentes (vti in Numismatibus S. Ludouici Nauis & Concharum Insigne est videre) reseruasse. Ac Sodalitium sacræ Militiæ instituisse, quod nonnulla insignia: duas nigri coloris Naues in campo aureo, similemque vnam in galea Clypei exhibentia, & priuato cuipiam Ordinis Cochlearis Equiti fortasse per familiaria passim ostendere cernuntur. Quibus præterea circumdatum est collare aureum ex cochleis in sinu semilunatum rubei coloris collocatis fabrefactum. Quod nempe Reges ij sæpissimè gloriosissimos de Barbaris triũphos reportarint, Imperijque Orientalis signa nocturno illo lumine splendentia eripuerint. Illam enim Semilunam Turcarum, Originem à Bizantinis habuisse constat, quorum insigne fuit Luna: quare ijs deuictis Turca ad sua signa transtulit, vt Bizantinus & Orientis Dominator. Legendus *Iust. Lipsius* in Epist. Quæst. lib. 1. disputans: *Cur Luna in Labaris Turcarum?* De Ordine Nauali consulendus *Ioan. Feronius*, qui Catalogum Ordinum Equestrium à Regibus Galliæ erectorum collegit & edidit.

***

MEMBRVM IX.

ORDO MIL. EQVITVM CANIS.

ILLVSTRE Ordinis Equestris Collegium, CANE, notissimo fidelitatis Symbolo insignitum, & ab eo denominatum, in Franciæ, Religioni maiorũ propagandæ in familia antiquissima & nobilissima Montmorentiorum fundatum scriptores quidam asserunt. Cuius rei fidem augere videtur *Philippus Moreus, in Tabula insigniorum Franciæ* vulgari sermone conscripta. Vbi inter alia gentis Montmorenciadum decora prodit Burchardum Montmorenciacum ad aulam Philippi I. multis comitantibus Equitibus venisse, qui omnes, vt & ipse Burchardus, Baltheum, seu Torquem Equestrem, capitibus ceruorum distinctum, Canisque effigie extima parte pendente exornatum gestabant. Id exemplo multorum Principum, quos Canis insignijs delectatos fuisse in aperto est factum opinari licet. Ita Sergius Galba Imp. tam sua, quam maiorum acta & insignia hoc symbolo notauit. Canis erat è prora desulturienti similis, quo vigilantiam ac firmas excubias aduersus tempestates conferre designabat. Ægyptij

gyptij quoque sub forma Canis copulâ religati Militis officium exhibuerunt. Et Plato Milites Canibus similes ac custodes appellabat. Et cui non est notum Canem fidei & Nobilitatis apud omnes gentes indicium præbere? De quo plura talium scrutatores Philologi.

MEMBRVM X.

ORDO MIL. EQVITVM GINETÆ

Seu Asturconis in Gallia.

CAROLVS Tudes, siue Martellus, à Martello & Martialibus gestis nomen sortitus Equestris Ordinis imprimis fuit studiosus. Is Annulorum vsum Romanis Equitibus olim propri um in Imperio Gallico renouauit: & Nobilem collegit Equitum manum, cui Ginetæ Symbolum, annulis & torquibus insculptum, ceterisque corporis ornamentis præferendum dedit, moremque ad tempora vsque S. Ludouici trāsmisit. Huius Instituti varias ab auctoribus adferri rationes tradit *Bernardus Girardus* Galliæ Regis Historiographus. At *Hajensis* eiusdem gentis scriptor, ad Côiugis dicti Caroli etymon, quam lingua veteri *Ianetam*, aut Ioannam vocare solitus erat caussam refert. Sed *Petrus Beloy us* institu tionis originem desumit à memorabili illa, per Carolum Regem & proceres de Saracenis (qui ex Hispania in Galliam descenderant) apud Turonium parta victoria Anno circiter D.CC. VIII. Quod tunc nobilissimos quosque, qui prælio interfuissent Ginetæ titulo, & Insigni maculis nigris interstincto donasset: testandæ vtique posteritati, eam se gentem (quæ partibus illis Hispaniæ Ginetæ copia nobilissimæ, in Christiani nominis perniciem exiuerat) ad interitum deleuisse.

EST autem Gineta in Hispania Mustelæ aut Vulpis genus potius (quod variam apud Iulium Cæsar. Scaligerum legas) pellem habens partim nigram, partim subcineritiam, maculis præsertim nigris insigni ordine respersam, ob odorem, pulchritudinis raritatem, aliasque dotes, principibus viris commendabilem, teste Cardano, quod ex Hispania illud submitti adfirmat: Constat tamen etiam, eiusdem nominis præstantissimos equos (quos Ginetas appellare solent) à Regibus Hispaniæ, muneris (ob excellentiam) vice, ad externos cohonestandos Principes, non rarò adornari; & Gineta vehi (quod Maurorum more equitare est) inter nobilitatis decora apud Hispanos haberi. Quorum cursu in hyppodromis maximè oblectantur, dum equestres instituunt pugnas, in quibus arundinibus, & cannis hastarum loco se mutuo exercent, cum ad modum, quo Mauri hastas torquere & in hostes iacere solent: quos ludos, *Iuegos de cannas* patria lingua nominant. Inde Ginetæ Equitibus nomen mansisse quidam putant.

ASTVRCONES Latinis appellant equos ab Asturia regione Hispaniæ ita appellatos, quibus non vulgaris incursu gra-

credimus. Placuit autem Genti, vt quácumque sibi regionem vrbis condendæ quieti deligerent Nauis amplissimæ symbolo dedicarent. Quod quidem ea sorte insignita Regalis Parisiorum Lutetia sibi vetusto nomine, in hunc vsque diem vendicat, vt scribit *Claudius Paradinus in Symbolis heroicis*. Neque verò absurdum est, hoc ipsum illos à Gepidis, idem anteà quoque vsurpantibus per Germanicum Oceanum clatis accepisse. Ac deinde Reges Francorum, tot transmarinis expeditionibus ante alios præcellentes (vti in Numismatibus S. Ludouici Nauis & Concharum Insigne est videre) reseruasse. Ac Sodalitium sacræ Militiæ instituisse, quod nonnulla insignia: duas nigri coloris Naues in campo aureo, similemque vnam in galea Clypei exhibentia, & priuato cuipiam Ordinis Cochlearis Equiti fortasse per familiaria passim ostendere cernuntur. Quibus præterea circumdatum est collare aureum ex cochleis in sinu semilunatum rubei coloris collocatis fabrefactum. Quod nempe Reges ij sæpissimè gloriosissimos de Barbaris triũphos reportarint, Imperijque Orientalis signa nocturno illo lumine splendentia eripuerint. Illam enim Semilunam Turcarum, Originem à Bizantinis habuisse constat, quorum insigne fuit Luna: quare ijs deuictis Turca ad sua signa transtulit, vt Bizantinus & Orientis Dominator. Legendus *Iust. Lipsius* in Epist. Quæst. lib. I. disputans: *Cur Luna in Labaris Turcarum?* De Ordine Nauali consulendus *Ioan. Feronius*, qui Catalogum Ordinum Equestrium à Regibus Galliæ erectorum collegit & edidit.

* * *

MEMBRVM IX.

ORDO MIL. EQVITVM CANIS.

ILLVSTRE Ordinis Equestris Collegium, CANE, notissimo fidelitatis Symbolo insignitum, & ab eo denominatum, in Franciæ, Religioni maiorũ propagandæ in familia antiquissima & nobilissima Montmorentiorum fundatum scriptores quidam asserunt. Cuius rei fidem augere videtur *Philippus Moreus, in Tabula insigniorum Franciæ* vulgari sermone conscripta. Vbi inter alia gentis Monmorenciadum decora prodit Burchardum Montmorenciacum ad aulam Philippi I. multis comitantibus Equitibus venisse, qui omnes, vt & ipse Burchardus, Baltheum, seu Torquem Equestrem, capitibus ceruorum distinctum, Canisque effigie extima parte pendente exornatum gestabant. Id exemplo multorum Principum, quos Canis insignijs delectatos fuisse in aperto est factum opinari licet. Ita Sergius Galba Imp. tam sua, quam maiorum acta & insignia hoc symbolo notauit. Canis erat è prora desulturienti similis, quo vigilantiam ac firmas excubias aduersus tempestates conferre designabat. Ægyptij

gyptij quoque ſub forma Canis copulâ religati Militis officium exhibuerunt. Et Plato Milites Canibus ſimiles ac cuſtodes appellabat. Et cui non eſt notum Canem fidei & Nobilitatis apud omnes gentes indicium præbere? De quo plura talium ſcrutatores Philologi.

MEMBRVM X.
ORDO MIL. EQVITVM GINETÆ
Seu Aſturconis in Gallia.

CAROLVS Tudes, ſiue Martellus, à Martello & Martialibus geſtis nomen ſortitus Equeſtris Ordinis imprimis fuit ſtudioſus. Is Annulorum vſum Romanis Equitibus olim propri um in Imperio Gallico renouauit: & Nobilem collegit Equitum manum, cui Ginetæ Symbolum, annulis & torquibus inſculptum, ceteriſque corporis ornamentis præferendum dedit, moremque ad tempora vſque S. Ludouici tráſmiſit. Huius Inſtituti varias ab auctoribus adferri rationes tradit *Bernardus Girardus* Galliæ Regis Hiſtoriographus. At *Hayenſis* eiuſdem gentis ſcriptor, ad Côiugis dicti Caroli etymon, quam lingua veteri *Ianetam*, aut Ioannam vocare ſolitus erat cauſſam refert. Sed *Petrus Beloyus* inſtitutionis originem deſumit à memorabili illa, per Carolum Regem & proceres de Saracenis (qui ex Hiſpania in Galliam deſcenderant) apud Turonium parta victoria Anno circiter D.cc. VIII. Quod tunc nobiliſſimos quoſque, qui prælio interfuiſſent Ginetæ titulo, & Inſigni maculis nigris interſtincto donaſſet: teſtandæ vtique poſteritati, eam ſe gentem (quæ partibus illis Hiſpaniæ Ginetæ copia nobiliſſimæ, in Chriſtiani nominis perniciem exiuerat) ad interitum deleuiſſe.

EST autem Gineta in Hiſpania Muſtelæ aut Vulpis genus potius (quod variam apud Iulium Cæſar. Scaligerum legas) pellem habens partim nigram, partim ſubcineritiam, maculis præſertim nigris inſigni ordine reſperſam, ob odorem, pulchritudinis raritatem, aliaſque dotes, principibus viris commendabilem, teſte Cardano, quod ex Hiſpania illud ſubmitti adfirmat: Conſtat tamen etiam, eiuſdem nominis præſtantiſſimos equos (quos Ginetas appellare ſolent) à Regibus Hiſpaniæ, muneris (ob excellentiam) vice, ad externos cohoneſtandos Principes, non rarò adornari; & Gineta vehi (quod Maurorum more equitare eſt) inter nobilitatis decora apud Hiſpanos haberi. Quorum curſu in hyppodromis maximè oblectantur, dum equeſtres inſtituunt pugnas, in quibus arundinibus, & cannis haſtarum loco ſe mutuo exercent, cûm ad modum, quo Mauri haſtas torquere & in hoſtes iacere ſolent: quos ludos, *Iuegos de cannas* patria lingua nominant. Inde Ginetæ Equitibus nomen manſiſſe quidam putant.

ASTVRCONES Latinis appellant equos ab Aſturia regione Hiſpaniæ ita appellatos, quibus non vulgaris incurſu gra-

credimus. Placuit autem Genti, vt quácumque sibi regionem vrbis condendæ quieti deligerent Nauis amplissimæ symbolo dedicarent. Quod quidem ea sorte insignita Regalis Parisiorum Lutetia sibi vetusto nomine, in hunc vsque diem vendicat, vt scribit *Claudius Paradinus in Symbolis heroicis*. Neque verò absurdum est, hoc ipsum illos à Gepidis, idem anteà quoque vsurpantibus per Germanicum Oceanum clatis accepisse. Ac deinde Reges Francorum, tot transmarinis expeditionibus ante alios præcellentes (vti in Numismatibus S. Ludouici Nauis & Concharum Insigne est videre) reseruasse. Ac Sodalitium sacræ Militiæ instituisse, quod nonnulla insignia: duas nigri coloris Naues in campo aureo, similemque vnam in galea Clypei exhibentia, & priuato cuipiam Ordinis Cochlearis Equiti fortasse per familiaria passim ostendere cernuntur. Quibus prætereà circumdatum est collare aureum ex cochleis in sinu semilunatum rubei coloris collocatis fabrefactum. Quod nempe Reges ij sæpissimè gloriosissimos de Barbaris triũphos reportarint, Imperijque Orientalis signa nocturno illo lumine splendentia eripuerint. Illam enim Semilunam Turcarum, Originem à Bizantinis habuisse constat, quorum insigne fuit Luna: quare ijs deuictis Turca ad sua signa transtulit, vt Bizantinus & Orientis Dominator. Legendus *Iust. Lipsius* in Epist. Quæst. lib. I. disputans: *Cur Luna in Labaris Turcarum?* De Ordine Nauali consulendus *Ioan. Feronius*, qui Catalogum Ordinum Equestrium à Regibus Galliæ erectorum collegit & edidit.

***

MEMBRVM IX.

ORDO MIL. EQVITVM CANIS.

ILLVSTRE Ordinis Equestris Collegium, CANE, notissimo fidelitatis Symbolo insignitum, & ab eo denominatum, in Franciæ, Religioni maiorũ propagandæ in familia antiquissima & nobilissima Montmorentiorum fundatum scriptores quidam asserunt. Cuius rei fidem augere videtur *Philippus Moreus, in Tabula insigniorum Franciæ* vulgari sermone conscripta. Vbi inter alia gentis Montmorenciadum decora prodit Burchardum Montmorenciacum ad aulam Philippi I. multis comitantibus Equitibus venisse, qui omnes, vt & ipse Burchardus, Baltheum, seu Torquem Equestrem, capitibus ceruorum distinctum, Canisque effigie extima parte pendente exornatum gestabant. Id exemplo multorum Principum, quos Canis insignijs delectatos fuisse in aperto est factum opinari licet. Ita Sergius Galba Imp. tam sua, quam maiorum acta & insignia hoc symbolo notauit. Canis erat è prora desulturienti similis, quo vigilantiam ac firmas excubias aduersus tempestates conferre designabat. Ægypij

gyptij quoque ſub forma Canis copulâ religati Militis officium exhibuerunt. Et Plato Milites Canibus ſimiles ac cuſtodes appellabat. Et cui non eſt notum Canem fidei & Nobilitatis apud omnes gentes indicium præbere? De quo plura talium ſcrutatores Philologi.

MEMBRVM X.
ORDO MIL. EQVITVM GINETÆ
Seu Aſturconis in Gallia.

CAROLVS Tudes, ſiue Martellus, à Martello & Martialibus geſtis nomen ſortitus Equeſtris Ordinis imprimis fuit ſtudioſus. Is Annulorum vſum Romanis Equitibus olim propri um in Imperio Gallico renouauit: & Nobilem collegit Equitum manum, cui Ginetæ Symbolum, annulis & torquibus inſculptum, ceteriſque corporis ornamentis præferendum dedit, moremque ad tempora vſque S. Ludouici trāſmiſit. Huius Inſtituti varias ab auctoribus adferri rationes tradit *Bernardus Girardus* Galliæ Regis Hiſtoriographus. At *Hayenſis* eiuſdem gentis ſcriptor, ad Côiugis dicti Caroli etymon, quam lingua veteri *Ianetam*, aut Ioannam vocare ſolitus erat cauſſam refert. Sed *Petrus Beloyus* inſtitu tionis originem deſumit à memorabili illa, per Carolum Regem & proceres de Saracenis (qui ex Hiſpania in Galliam deſcenderant) apud Turonium parta victoria Anno circiter D.CC. VIII. Quod tunc nobiliſſimos quoſque, qui prælio interfuiſſent Ginetæ titulo, & Inſigni maculis nigris interſtincto donaſſet: teſtandæ vtique poſteritati, eam ſe gentem (quæ partibus illis Hiſpaniæ Ginetæ copia nobiliſſimæ, in Chriſtiani nominis perniciem exiuerat) ad interitum deleuiſſe.

EST autem Gineta in Hiſpania Muſtelæ aut Vulpis genus potius (quod variam apud Iulium Cæſar. Scaligerum legas) pellem habens partim nigram, partim ſubcineritiam, maculis præſertim nigris inſigni ordine reſperſam, ob odorem, pulchritudinis raritatem, aliaſque dotes, principibus viris commendabilem, teſte Cardano, quod ex Hiſpania illud ſubmitti adfirmat: Conſtat tamen etiam, eiuſdem nominis præſtantiſſimos equos (quos Ginetas appellare ſolent) à Regibus Hiſpaniæ, muneris (ob excellentiam) vice, ad externos cohoneſtandos Principes, non rarò adornari; & Gineta vehi (quod Maurorum more equitare eſt) inter nobilitatis decora apud Hiſpanos haberi. Quorum curſu in hyppodromis maximè oblectantur, dum equeſtres inſtituunt pugnas, in quibus arundinibus, & cannis haſtarum loco ſe mutuo exercent, cum ad modum, quo Mauri haſtas torquere & in hoſtes iacere ſolent: quos ludos, *Iuegos de cannas* patria lingua nominant. Inde Ginetæ Equitibus nomen manſiſſe quidam putant.

ASTVRCONES Latinis appellant equos ab Aſturia regione Hiſpaniæ ita appellatos, quibus non vulgaris incurſu gra-

credimus. Placuit autem Genti, vt quācumque sibi regionem vrbis condendæ quieti deligerent Nauis amplissimæ symbolo dedicarent. Quod quidem ea sorte insignita Regalis Parisiorum Lutetia sibi vetusto nomine, in hunc vsque diem vendicat, vt scribit *Claudius Paradinus in Symbolis heroicis*. Neque verò absurdum est, hoc ipsum illos à Gepidis, idem anteà quoque vsurpantibus per Germanicum Oceanum clatis accepisse. Ac deinde Reges Francorum, tot transmarinis expeditionibus ante alios præcellentes (vti in Numismatibus S. Ludouici Nauis & Concharum Insigne est videre) reseruasse. Ac Sodalitium sacræ Militiæ instituisse, quod nonnulla insignia: duas nigri coloris Naues in campo aureo, similemque vnam in galea Clypei exhibentia, & priuato cuipiam Ordinis Cochlearis Equiti fortasse per familiaria passim ostendere cernuntur. Quibus prætereà circumdatum est collare aureum ex cochleis in sinu semilunatum rubei coloris collocatis fabrefactum. Quod nempe Reges ij sæpissimè gloriosissimos de Barbaris triūphos reportarint, Imperijque Orientalis signa nocturno illo lumine splendentia eripuerint. Illam enim Semilunam Turcarum, Originem à Bizantinis habuisse constat, quorum insigne fuit Luna: quare ijs deuictis Turca ad sua signa transtulit, vt Bizantinus & Orientis Dominator. Legendus *Iust. Lipsius* in Epist. Quæst. lib. 1. disputans: *Cur Luna in Labaris Turcarum?* De Ordine Nauali consulendus *Ioan. Feronius*, qui Catalogum Ordinum Equestrium à Regibus Galliæ erectorum collegit & edidit.

***

Membrvm IX.

ORDO MIL. EQVITVM CANIS.

Illvstre Ordinis Equestris Collegium, Cane, notissimo fidelitatis Symbolo insignitum, & ab eo denominatum, in Franciæ, Religioni maiorū propagandæ in familia antiquissima & nobilissima Montmorentiorum fundatum scriptores quidam asserunt. Cuius rei fidem augere videtur *Philippus Moraus, in Tabula insigniorum Franciæ* vulgari sermone conscripta. Vbi inter alia gentis Montmorenciadum decora prodit Burchardum Montmorenciacum ad aulam Philippi I. multis comitantibus Equitibus venisse, qui omnes, vt & ipse Burchardus, Baltheum, seu Torquem Equestrem, capitibus ceruorum distinctum, Canisque effigie extima parte pendente exornatum gestabant. Id exemplo multorum Principum, quos Canis insignijs delectatos fuisse in aperto est factum opinari licet. Ita Sergius Galba Imp. tam sua, quam maiorum acta & insignia hoc symbolo notauit. Canis erat è prora desulturienti similis, quo vigilantiam ac firmas excubias aduersus tempestates conferre designabat. Æ-

gyptij

gyptij quoque sub forma Canis copulâ religati Militis officium exhibuerunt. Et Plato Milites Canibus similes ac custodes appellabat. Et cui non est notum Canem fidei & Nobilitatis apud omnes gentes indicium præbere? De quo plura talium scrutatores Philologi.

MEMBRVM X.

ORDO MIL. EQVITVM GINETÆ

Seu Asturconis in Gallia.

CAROLVS Tudes, siue Martellus, à Martello & Martialibus gestis nomen sortitus Equestris Ordinis imprimis fuit studiosus. Is Annulorum vsum Romanis Equitibus olim propri um in Imperio Gallico renouauit: & Nobilem collegit Equitum manum, cui Ginetæ Symbolum, annulis & torquibus insculptum, ceterisque corporis ornamentis præferendum dedit, moremque ad tempora vsque S. Ludouici trâsmisit. Huius Instituti varias ab auctoribus adferri rationes tradit *Bernardus Girardus* Galliæ Regis Historiographus. At *Hajensis* eiusdem gentis scriptor, ad Côiugis dicti Caroli etymon, quam lingua veteri *Ianetam*, aut Ioannam vocare solitus erat caussam refert. Sed *Petrus Beloyus* institu tionis originem desumit à memorabili illa, per Carolum Regem & proceres de Saracenis (qui ex Hispania in Galliam descenderant) apud Turonium parta victoria Anno circiter D.cc. VIII. Quod tunc nobilissimos quosque, qui prælio interfuissent Ginetæ titulo, & Insigni maculis nigris interstincto donasset: testandæ vtique posteritati, eam se gentem (quæ partibus illis Hispaniæ Ginetæ copia nobilissimæ, in Christiani nominis perniciem exiuerat) ad interitum deleuisse.

EST autem Gineta in Hispania Mustelæ aut Vulpis genus potius (quod variam apud Iulium Cæsar. Scaligerum legas) pellem habens partim nigram, partim subcineritiam, maculis præsertim nigris insigni ordine respersam, ob odorem, pulchritudinis raritatem, aliasque dotes, principibus viris commendabilem, teste Cardano, quod ex Hispania illud submitti adfirmat: Constat tamen etiam, eiusdem nominis præstantissimos equos (quos Ginetas appellare solent) à Regibus Hispaniæ, muneris (ob excellentiam) vice, ad externos cohonestandos Principes, non rarò adornari; & Gineta vehi (quod Maurorum more equitare est) inter nobilitatis decora apud Hispanos haberi. Quorum cursu in hyppodromis maximè oblectantur, dum equestres instituunt pugnas, in quibus arundinibus, & cannis hastarum loco se mutuo exercent, cùm ad modum, quo Mauri hastas torquere & in hostes iacere solent: quos ludos, *Iuegos de cannas* patria lingua nominant. Inde Ginetæ Equitibus nomen mansisse quidam putant.

ASTVRCONES Latinis appellant equos ab Asturia regione Hispaniæ ita appellatos, quibus non vulgaris incursu gra-

gyptij quoque sub forma Canis copulâ religati Militis officium exhibuerunt. Et Plato Milites Canibus similes ac custodes appellabat. Et cui non est notum Canem fidei & Nobilitatis apud omnes gentes indicium præbere? De quo plura talium scrutatores Philologi.

MEMBRVM X.
ORDO MIL. EQVITVM GINETÆ
Seu Asturconis in Gallia.

CAROLVS Tudes, siue Martellus, à Martello & Martialibus gestis nomen sortitus Equestris Ordinis imprimis fuit studiosus. Is Annulorum vsum Romanis Equitibus olim propri um in Imperio Gallico renouauit: & Nobilem collegit Equitum manum, cui Ginetæ Symbolum, annulis & torquibus insculptum, ceterisque corporis ornamentis præferendum dedit, moremque ad tempora vsque S. Ludouici trãsmisit. Huius Instituti varias ab auctoribus adferri rationes tradit *Bernardus Girardus* Galliæ Regis Historiographus. At *Hayensis* eiusdem gentis scriptor, ad Côiugis dicti Caroli etymon, quam lingua veteri *Ianetam*, aut Ioannam vocare solitus erat caussam refert. Sed *Petrus Beloyus* institu tionis originem desumit à memorabili illa, per Carolum Regem & proceres de Saracenis (qui ex Hispania in Galliam descenderant) apud Turonium parta victoria Anno circiter D.CC. VIII. Quod tunc nobilissimos quosque, qui prælio interfuissent Ginetæ titulo, & Insigni maculis nigris interstincto donasset: testandæ vtique posteritati, eam se gentem (quæ partibus illis Hispaniæ Ginetæ copia nobilissimæ, in Christiani nominis perniciem exiuerat) ad interitum deleuisse.

EST autem Gineta in Hispania Mustelæ aut Vulpis genus potius (quod variam apud Iulium Cæsar. Scaligerum legas) pellem habens partim nigram, partim subcineritiam, maculis præsertim nigris insigni ordine respersam, ob odorem, pulchritudinis raritatem, aliasque dotes, principibus viris commendabilem, teste Cardano, quod ex Hispania illud submitti adfirmat: Constat tamen etiam, eiusdem nominis præstantissimos equos (quos Ginetas appellare solent) à Regibus Hispaniæ, muneris (ob excellentiam) vice, ad externos cohonestandos Principes, non rarò adornari; & Gineta vehi (quod Maurorum more equitare est) inter nobilitatis decora apud Hispanos haberi. Quorum cursu in hyppodromis maximè oblectantur, dum equestres instituunt pugnas, in quibus arundinibus, & cannis hastarum loco se mutuo exercent, cùm ad modum, quo Mauri hastas torquere & in hostes iacere solent: quos ludos, *Iuegos de cannas* patria lingua nominant. Inde Ginetæ Equitibus nomen mansisse quidam putant.

ASTVRCONES Latinis appellant equos ab Asturia regione Hispaniæ ita appellatos, quibus non vulgaris incursu gra-

gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio est vt tradit Plinius lib. VIII. cap. 42. Silius lib. 3.

Hic paruus sonipes neque matri notus: at idem
Aut in concusso glomerat vestigia dorso
Aut molli curuat a celer trahit essoda collo.

Talem Græci gestum ἱππομον vocant à bonitate cursus, Latini tolutarios equos à tollendis pedibus, & tolutim glomerandis.

MEMBRVM XI.

ORDO MIL. EQVITVM HYSTRICIS.

In Gallia apud Aurelianenses.

CAROLVS Dux Aurelianensis, & Rex Franciæ eo nomine XII. imitatione, siue æmulatione Philippi Ducis Burgundiæ Ordinem instituit Hystricis. In quem genere & factis nobilissimos adlegens Proceres, Baltheo Equestri aureo cum Hystrice, ac symbolo COMINVS & EMINVS in scripto, plerosque condecorauit. *Paulus Iouius in Symbol. Heroic.*

Huc spectat, quod narrat *Enguerrandus Monstreletus*, Philippum Burgundiæ Ducem, mense Nouembri Anno M. CCCC. XL. Ordinis sui signum Carolo Aurelianensi ex Anglia reuerso (vbi captiuus fuerat per annos XXV.) tradidisse, cùm Mariam Cliuensem Ducis Burgundiæ materteram recens duxisset: & vicissim Aurelianensem, Monile sui Ordinis, vbi erat Hystrix illius collo indidisse. Ludouicus deinde eius frater Gallorum Rex XII. vti Dux hereditarius Aurelianensis, ac proinde Blosiorum Comes, Symbolum hoc, VLTVS AVOS TROIA, ab Hystrice, cui Corona superimposita erat sibi adsumpsit. Et Numismata Regia Hystricem passim insculptam præferunt. Quæ & vnà cum Lupi effigie conjuncta, vetus Blosiorum ciuitas Insignia sua antiquitus figurare solita est. Visitur hoc animal plerisque lapidibus ac porticibus insculptum: quod Natura tam studiosè armis instruxit, vt prouocantes cominus & eminus arceat, præsertim aduersum canes, aculeos suos sagittarum violentarum instar ejaculans.

HVIVS Symboli interpretationem (quam Ordinis Fundator sequutus est) declarant magnificentissimæ cuiusdam Ciuis ea in vrbe ædes, ad quarum frontispicium sub Hystrice lapidi insculpta distichon adscriptum est;

Spicula sunt humilepax hæc, sed bella superbo.
Et vita ex nostro vulnere, nex que vouit.

Quod quidem & in Erinaceo, siue Echino (ex cuius genere Hystrix apud Plinium numeratur) significatum æmulatus videtur dictus Carolus, vt per Hieroglyphicum eius, hominem ab insidijs, periculis, ac cuiusque fortunæ casibus tutum ostentaret. Siquidem is periculis euitandis ingenio naturaque munitus, simul atque ferarum se impetentiū odorem, latratumue senserit, in orbem sese colligit, pedibusque intrinsecus testudinis more contractis, tergore omni, pilæ instar conglobato, spinisque, quibus

bus vndique emunitus eſt, ad incolumitatem erectis, otiatur: contactum ſuum omnibus formidabilem reddens.

MEMBRVM XII.
ORDO MIL. EQVITVM SPICÆ.
In Gallia: Ducatu Britannico. Apud Aremoricos.

FRANCISCVS primus huius nominis Britanniæ Gallicanæ Dux, quod Reipublicæ intereſſe ſciret, vt ignauos & deſertores ignominioſe puniri, ſic virtute præſtantes viros honore affici, æquum eſſe, Ordinem nouum Militarem Spicæ, ſiue Ariſtæ inchoauit Anno M. CCCC.L. cuius candidatos donauit Torque aureo ita fabrefacto, vt ex ſpicis frumẽti, alijs alios ſubſequentibus in modũ Crucis, caudis retrò conuerſis, nodiſque nectentibus Spiceam Coronam referre videretur. Cui præterea in baſi Mus Pŏticus, ſiue Alpinus candidus (Armenium nunc vocamus) colliculo viridi impoſitus, duabus catenulis aureis adhærebat, addito Emblemate Gallico *Ama vie*: generoſum vtique intaminati & ſinceriſſimi animi exemplar. Eſt enim hoc animal (quod Iulio Scaligero Muſtelæ genus eſt & ob candicantis pellis raritates, Gallorum æſtimatione Principum, ornamentum nobiliſſimum) adeò puritatis amans, vt teſte Plinio, cùm fouearum ſuarum oſtia cæno illita conſpicit, ſe potius à venatoribus capi patiatur, immò nec ipſam mortem declinet, quàm eo fædari malit. Simili elogio vſa eſt Anna non ſemel Regina Franciæ, cuius ſymbolum hodieque oſtentat Caſtellum Blæſianum hoc dicto conſpicuum, *Plu toſt moris*: POTIVS MORI. Quod idem ferè eſt cum Ordinis Militaris teſſera, quam vtinam Milites omnes Nobiles vſurpare poſſent. Voueo.

MEMBRVM XIII.
ORDO MIL. EQVITVM CYPRI
Luſignianorum. In Gallia.

LVSINIANVM nobile iuxtà ac potens in Galliâ Opidum, fabuliſque Me Luſinæ à Poetis Gallis decantatæ notiſſimum, Illuſtriſſimæ Genti (quæ tot Reges ac Principes Orbi Chriſtiano, Ieroſolymis ſcilicet, Armeniæ, ac Cypro denique protulit) nomen dedit, vt teſtatur in Hiſtor. *Iac. Auguſt. Thuanus.* Huius familiæ auſpicijs (à quo Principe, aut tempore ignoratur) initium tradunt datum nobiliſſimæ Militiæ, ſeu Ordini Equeſtri, CYPRI nomine nuncupato. Fuit ei pro Inſigni Collare, ſeu Baltheus Equeſtris, aureis litteris maiuſ-

culis, S. exornatus: intercurrentibus lacinijs aureis, à quibus infernè dependebat Gladius, laminâ argentea, capuloque aureo insignitus: & in gyrum circumplexum symbolum Gallicum: *Pour loyauté maintenir*: ac si Conditor illius innuere vellet: Pro fide seruandâ nullum inter Commilitones generosi animi officium prætermittendum esse: adeòque Gladio vindicandum. Per litteram S. quæ silentij apud Romanos nota fuit, Secretum Societatis, & amicitiæ simulachrum, indiuiduamque pro Patriæ defensione Societatem denotari periti volunt. Tali Baltheo exornata visuntur gentilicia Lusinianorum Arma: quæ quadripartita, Regni Ierosolymitani, Cypri, Armeniæ, & Lusignianæ familiæ insignibus interstincta. Legendus *Stephanus Lusignianus*, qui LXVII. familiarum è stirpe Lusigniana descendentium genealogiam concinnauit.

* * *

MEMBRVM XIV.

ORDO MIL. EQVITVM GALLI GALLINACEI

In Regno Galliæ.

GALLOS *Principes* pugnaces, & inter eos Montmorencios nominatim, animalis pugnacissimi hieroglyphico ductos, Sodalitium Equestre instituisse, Genealogici illius stirpis Commentatores adfirmant: & PETRVM nominant Montmorenciacum. Sed quo tempore, & an ab illo, vt primo institutus sit Ordo, silent: quod *Petrus Beloyus* in Originibus suis maximè conqueritur. Nobis satis est Ordinem in Nomenclatore hoc expressisse, denominatum à Gallo, quem Martis pullum vocat *Aristophanes*, & Imperij Symbolum esse docet Eucherius. In augurali autem Disciplina Gallus est victoriæ signum, propterea, quod auis illa victa silere soleat: canere, si vicerit. Vnde Romani posterioribus seculis, belli indicis hastæ in fines hostium conijciendæ ritu obsolescente bellico Gallinacei signo vsi sunt, cum ex eo etiam Agonistica sibi Milites pararent. Ita ferunt Socratem Iphicrati Duci animos adiecisse cùm Gallinaceos pennis & rostro dimicantes ei coram præmonstrasset. Quod & Themistocles ad suos animandos fecerat, cùm ostenderet, eos, non pro patria, neque pro penatibus, neque pro maiorum sepulchris vxoribusque, aut liberis id incommodi aggressos, sed ea tantùm de caussa, ne vincerentur, nolle alterum alteri cedere.

Eo exemplo superatis Persis Themistocles Athenis spectaculum Gallorum quotannis celebrandum instituit, teste *Æliano*. Idem Pergami edi solitum scribit Plinius. Cuius rei vestigium hodieque apud Eburones inuenias. Ea ludicro fieri solere apud *Lucianum* & *Herodianum* leges. Quod si in Numum incideris Gallinaceorum conflictu notatum, scias eam esse Dardanorum pecuniam, Polluce teste: nam illi mag-

num pugnacitatis decus, vt & Gallo-Franci, sibi antiquitus vsurpauêre. Quo honore Dardani semper apud Maronem, cùm secus Phryges ferè, vt imbelles notautur. Persarum porrò Milites GALLI nuncupantur à Caribus ob conos, quibus galeas ornatas habebant. Ea de caussa Artaxerxes, hominem è Caria, qui Cyrum Galli signum prætendentem vulnerasse creditus est, eo honestauit præmio, vt Gallum aureum in Lance a præfixum ante aciem ferret, auctore *Plutarcho*. *Pausanias* Idomenei Clypeum Gallo Gallinaceo insignitum fuisse tradit, proptereà quod is à Minoë, & Pasiphaë duceret originem, quæ filia fuerit Solis, cui Gallus dedicari solitus est, quia ortum eius præit cantu & indicat mortalibus. A mediæ enim noctis inclinatione, ex plaudentibus, vt Lucretius ait, alis, Auroram clara consuetus voce vocare, & matutinis astris (siquidem & Sidera nouit, & æternas distinguit horas) cotidie commodulatur: Christianisque in summo turrium fastigio quasi Diuinitatis simulachrum ob oculos ponere conspicitur. Hæc, & similia multa Gallos Principes, ad instituendum Ordinem Militarem, heroica Galli alitis, eiusdem nominis gentem interpretantis tessera insignem spectasse innuere videtur *Petrus Beloyus*.

COMMENTATIO III.

ORDINES MILITARES LVSITANIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM CHRISTI.

DIONYSIVS cognomento Perioca Portugalliæ Rex, Alfonsi x. Castellæ Legionisque Regis nepos, nouam Militiam *De Portugallo* vulgo nuncupatam, & cui à CHRISTO nomen est, eoque Regni hodie nobilissimam, & Cruce rubra, aliâ candidâ intersecante distinctam in atro amictu constituit Anno M.CCC.XX. Ioannes verò XXII. Papa D. Benedicti Regulam præscripsit, Legesque, quibus sub Christo militare tenerentur conditas, vulgari posteà Lusitanorum linguâ cum Ordinis Priuilegijs edidit Don Damianus Conuentus Tomariensis Prior, & eiusdem Ordinis Præfectus Generalis.

PRIMO autem Equitum Magistro Ægidio Martinio, Auisiorum quondam instituti Militi, ad Castrum Marinum Eluensis diœcesis oppidum, sedes attributa est: exinde Tomarum migratum, Militibusque omnia bona Templariorum nuper sublatorum, annuente Rege & Pontifice, quo liberius Militiæ Christi, contra Mauros Bæticam incolentes vacare possent cessere. Horum incredibili virtute factum, vt Lusitanorum Imperium in Oriente fundatum, omnes prouinciæ & oppida (Quod scribit

Hieronymus Oforius lib. 1. de reb. Emmanuel.) tam in Asia, Africa, Brasilia, & alijs Occidentis partibus (quo nomine Reges Portugalliæ Sphæram in Insignibus prætendunt, vt Regnum suum in quattuor Orbis angulos extendi significent) Christiano nomini adquisita, & huic Ordini adnexa, Magistri vectigal quotannis centum aureorum millibus augerent. Magister autem mortuo antecedente, à XIII. præcipuis Equitibus electus conscribendi & exauctorandi Milites facultatem habebat: quousque Magisterium Ordinis perpetuo iure ad Reges Lusitaniæ, & successores, Pontificũ auctoritate fuit delatum. Militibus porro Alexandum VI. P. M. potestatem ducendi vxores concessisse scribit *Hieronymus Conestagius, Tractatu de Portugalliæ coniunctione cum Regno Castellæ.*

* * *

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM AVISIORVM

Vulgo De Auis. in Lusitania.

CHRISTIANIS Eborensi vrbe frequenti Regum Portugalliæ domicilio celeberrima potitis, quod situ naturaque aptus locus videretur Mauris debellandis, placuit Alfonso I. Regi, caput hic Magistrumque Equestris Militiæ quæ in Castellæ Regno Calatrauensium, in Lusitaniâ Auisensium nuncupata est constituere. A primario tamen Ordinis initio *Eborenses* dicti ab vrbe B. MARIÆ Ordinis Cistertiensis Patronæ, atque eius nomine Ferdinando Monteyro, primo Militiæ Magistro donata, assumpto titulo. Eo consilio id factum, vt inde crebris excursionib⁹, fidei nostræ hostes acerrimos pro viribus paullatim expellerent.

IBIDEM sedes fuit horum Militum, qui Gallica voce *Freres*, id est, *Fratres* dicti vbi hodie locus ille *Freiria* appellatur: & in ipsa Vrbis arce, quæ muro & turribus ab ea seclusa erat. Iuxta ædes item Comitis Portalegrij Sacellum tenebant D. Michaeli Archangelo sacrum, vbi statis horis res diuina peragebatur. Tres verò Eboræ Magistri Equitum fuisse memorantur. Primus, Ferdinandus Rodizius Mentellus, cui Alfonsus Henricus Rex Mafaram opidulum Mauris ademptum donauit. Alter Frater Gundisalonis Viegas. Tertius Alfonsus Auensis: quo Magistro, ad Auisim castrum à dicto Alfonso expugnatum, eique Sodalitio attributum Milites commigrarunt; quo propius à Mauris abessent, aut acrius debellare eos possent. Mansit inde Ordini Auisensium nomen: quem Innocentius III. Anno M. Ducentesimo quarto confirmauit.

CETERVM cùm Rodericus Garzias VII. Calatrauæ Magister Auisios multis bonis locupletasset, illi se Calatrauensiũ legibus & Reformationibus, vt vocãt in signũ animi grati perpetuum permiserunt, eorumque imperium agnouêre, vsque ad tempora Ioannis VII. Auisiorum

Auisiorum Magistri, qui naturalis fuit filius Petri VIII. Regis Lusitaniæ. Idem Rex Petrus post Victoriam Auibarotæ obtentam Auisios suos à Calatrauensibus seiunxit, Crucem viridem inferiori stipite paullulum longiori, sublata pyro arbore, ad Alcantariensium discrimen gestantes, quam antea rubeam, & eandem cum Calatrauensibus, vt ex antiquo Ordinis sigillo, quod duas Aues ad basim Crucis ostentare testatur *Franciscus Radesius*, colligere licet, præferrent. Rectè itaque *Radesius*, Auisios cum Calatrauensibus confundit, quod succedenti tempore in vnum Calatrauæ Ordinem coaluerint. *Volaterranus* verò errore deceptus cum Alcantarensibus iungit. At diuersos esse, & postmodum seiunctos egregiè docent, *Hierony. Romanus lib.* VII. *de Republica, & Consaluus Argotes de Molina lib.* I. *cap.* 32. *de Nobilitate Hispania.*

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM DE LA PALMERA.

MILITES *De la Palmera* vulgo vocati sunt in Portugalliâ, quia ipsorum Conuentus, qui toti Ordini imperat, est in Oppido, quod dicitur Palmera: non distinguitur autem ob Ordine S. Iacobi, qui est in Regno Castellæ. Sed cùm huius Ordinis Commilitones, qui in Lusitania degebant, Dionysio Rege procurante, & auctoritate Pont. Max. intercedente, Magistri Castellensis iurisdictione se eximentes Alcacaris ad Salam, immutatâ Ordinis tesserâ, laminam ensiferæ Crucis nonnihil breuiorem gestantes, Palmerum deinde, tanquam Ordinis caput concessere. Vnde in errorem fortasse abijt, vt à nonnullis Equites Palmerani planè alij putarentur, cùm tamen ijsdem eadem sint vestimenta & digmata, quæ S. Iacobi Equites toto Hispaniæ Regno gestare solent. Sed nimirum vbi Portugallia sese à Castella seiunxit, ac diuisit, diuisus est etiam Ordo,



COMMENTATIO VII.

ORDINES MILITARES ANGLIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM PERICELIDIS.

Quem vulgo Garterij *nuncupant* in *Anglia seu Magnæ Britanniæ Regno.*

EDVARDVS III. Anglorum Rex, vt Arturi Regis, qui Orbicularis Mensæ Equitum Sodalitium to to adeò Orbe decantatum instituerat, memoriā refricaret, cùm de Gallis atque Scotis, capto Ioanne Rege Galliæ & Dauide Scotiæ sæpius triumphasset, nobilissimam conscripsit Equitum Auratorum Societatem: Quos, vt aliqui produnt, ob Periscelidem suam, in prælij, quod feliciter cesserat, tesseram datū, *Garterij*, siue *Periscelidū* Equites nominauit: & S. Georgij Cappadocis tutelæ, ad cuius honorem in castro suo Windesori, templum extruxerat augustissimum, dedicauit. Hi cæruleo subligari aureis litteris Gallicè inscripto: *Hony soit, qui maly pense*; id est, *Malè vertat ei qui malè cogitat*: &, quod peculiare Ordinis Symbolum est, sinistram tibiam paullò infra genu substringunt aureâ fibulâ in cōcordiæ Symbolū, tanquam vinculo arctissimæ societatis connectunt: vt esset inter eos quasi quædam consociatio, & communitas virtutum militarium, & heroicarum. Chlamydi autem Scutum album D. Georgij rubra Cruce perinsigne appictum, teste *Polydoro Vigilio* Equites gestarunt. Collare verò, quod magnum vocant, & quo solemnibus inaugurationis diebus Sodales insigniri mos est, ex eadem crurali fascia, siue corrigia sæpius iterata, & rosis alternatim rubris & albis, quod Lancastriæ, & Eboracensis familiæ iam pridem extitit Symbolum, distinguitur, appensâ D. Georgij Bellatorum Præsidis effigie.

SVNT qui Periscelidem siue Garterium, ad Reginam, seu potius Ioannam Comitissam Sarisburiensem, eximia pulchritudine fœminam referunt, cui choreas ducendi aiunt decidisse, & Regem è terra sustulisse, ridente multitudine Nobilium adstante; at illo respondēte, futurum, vt breui summus honor eius modi Periscelidi haberetur. Hæc vulgus narrat, vel fingit. Aliqui, inter quos *Bern. Giraldus* lib. xv. Ordinis Periscelidis inuentionem multò antiquiorem faciunt, & Richardo I. tribuunt, Eduardum verò tandem reduxisse credunt, à quo *Gulielmus Camdenus* Britannicarum rerum Scriptor accuratus non magnoperè abhorret.

SOLEMNIA Ordinis Windesotiæ quot annis stato die D. Georgio Equitum Tutelari Sacro, præsidente Rege celebrantur. Mosque est, Commilitones

nes vt galeam & Scutum, cum gentilitijs insignibus (vti tradit *Paulus Iouius*) imitatione ceterorum Ordinum, conspicuo templi loco suspendant. In quorum Societatem potentissimi quique Orbis Christiani Principes cooptati instar maximi honoris duxerunt: & nominantur Reges, plus minus XXII. præter Angliæ Reges, qui Ordinis Præsides, siue, vt vocant, supremi habentur. Constat Ordo XXVI. Equitibus. Ritus ac Cermoniæ, Priuilegia etiam, Leges & Statuta plurima sunt: de quibus Franciscus Sansouinus, & Thomas Millesius lib. de Nobilitate Politicâ.

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM BALNEI.

DE Militibus siue Equitibus Balnei nihil antiquius occurrit in Scriptoribus Anglicanis, quàm Henricum IV. Angliæ Regem, ea die, qua inauguratus est in Arce Londinensi, quadraginta sex Armigeros, qui præcedente nocte vigilassent, & Balneo vsi essent, Equites creasse, singulis tunicas virides ad talos dimissas cum manicis strictis, & Mineueria pellitas donasse, eosque gestasse ad humerum sinistrum duplicem funiculum ex albo serico corulis dependentibus. Hi superiori æuo apud Anglos ex flore nobilitatis, qui nondum gradum Equestrem accepissent seligi in Regum & Reginarum inauguratione & nuptijs solebant. Aliquando etiam cùm eorum filij in Principes Walliæ, vel Duces inuestirentur: aut Militari Baltheo cingerentur pluribus adhibitis ceremonijs relatu dignis.

QVI ad Ordinem Militarem Balnei à Rege euocantur, pridie quam creantur, Eremiticam vestem cineritiam, cum cucullo pileolo lineo, & ocreas induti, Sacra deuoti accedunt, vt Militiam suam quasi DEO imprimis militaturi auspicentur vnà cænant, singulisque ministrant duo Armigeri, & puer assecla. A cæna in cubiculum se recipiunt, vbi paratur singulis lectulus, cum velarijs rubris armisque suis gentilitijs affixis: & iuxta Vas Balneatorium linteis opertum; in quo, cùm se DEO commendauerint, abluunt se, vt deinceps, corpore animoque mundo esse admoneantur. Postridie deinde benè mane, instrumentorum musicorum sono excitantur, easdemque vestes induunt Tunc Angliæ Constabularius, Marescallus, & alij, quos Rex constituit, eos accedunt, nominatim euocant, & Iusiurandum proponunt, Scilicet, vt DEVM ante omnia colant: Ecclesiam defendant: Regem honorent: eius iura propugnent: viduas, virgines, orphanos tueantur, & iniuriam, quantum poterunt, propulsent.

HÆC cum tactis Euangelijs iurauerint, ad Sacra matutina Regijs Musicis, & Heraldis præeuntibus deducuntur, atque ab ijsdem in cubicula reducuntur. Ibi Eremiticas vestes, exuti chlamydem holosericam, rutilo Martis fulgore relucentem,

centem, & Galerum candidum, candidis plumis super pileum lineum induunt: Chirothecas candido funiculo chlamydis colligunt. Equos sella & ephippijs scorteis nigris albo interstinctis, & Cruce fronti præfixa instructos, conscendunt. Ante singulos suus asseclа Eques gestat Gladium capulo inaurato, ad quem dependent aurata Calcaria: vtrimque armigeri obequitant.

HAC pompâ tubis ante clangentibus ad aulam regiam itur: vbi cum ad Regis præsentiam à duobus senioribus Militibus deducti fuerint, Regis Camerario, assecla Baltheum cum Gladio dependente tradit. Ille summâ cum reuerentia Regi, qui Militem transuersum eo cingit: iubetque duos Equites seniores Calcaria imponere: qui olim creandi Militis genua exosculantes benè precabantur. Iamque Milites creati Regiæ mensæ fercula inferebant: inde omnes vnà prandebant, ad idem mensæ latus assidentes, sub vno cuiusque clypeo gentilitio affixo. Ad preces vespertinas Sacellum adeunt: Gladios ad altare offerũt, datoque pretio redimunt. Redeuntes primarius Regis Coquus, ostenso cultro, vt se probos & fideles præstent, Milites admonet; alioqui se Calcaria ignominiosè abscissurum. Die autem Coronationis in pompa suo loco Regẽ comitantur, gladio accincti, calcaribus induti, chlamyde cærulea, Iouis scilicet æqui colore amicti, & nodo ex albo serico in Crucis formam efformato, cum capitio ad humorum sinistrum. Ita ferè *Gulielmus Camdenus* in descriptione Britanniæ. Huius autem instituti Equites pro tesserâ solent tres aureas Coronas in orbicello aureo expressas additâ hac inscriptione, ***Tria in vnum***, laciniæque ex bysso Tyrij coloris appensas præferre. Denique, Milites siue Equites Balnei in vsu etiam olim fuerunt apud veteres Francos.

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM MENSÆ ROTVNDÆ.

ANGLICANARVM antiquitatum scriptores referunt, Arturum Britanniæ Regem quattuor supra viginti Athletas Equestris Ordinis (quod rei bellicæ gloria præstabant) insignibus nobilitasse, ac rei militaris scientia, gloriæque magnitudine pares pari omnes amore complexum. Cùm omnes simul accumberent, ne quis fortè se primo loco constitutum gloriosè prædicaret, aut ad infimum locum deturbatum inuidè cogitaret, Mensam Rotundam Coronæ formâ effingendam curauit. Locum in quo illi omnes accumbere solebant, Rotundam Arturi Tabulam & Britanni & Scoti appellant. Quam vulgus Mensam (si falsa quadam maiorum superstitione conflictatam, vt ait *Ioannes Leslæus, lib. IV. De Rebus gestis Scotorum*, non erret, in Wintoniensi Castro, ad æternam rei memoriam solenniter conseruatam, Militumque Equestrium nominibus vndique notatam tanquam Arturianam suscipere solet.

At

At, recentioris esse ætatis hoc Orbicularis versatilisque Mensæ institutum, indeque Ordinem Militarem Rotundæ autumat *Gulielmus Camdenus*. Superioribus enim seculis, cùm virtutis bellicæ exercendæ gratiâ, Militares decursiones (Torneamenta vocabant) frequenter haberentur istiusmodi Mensis vsi erant, ne quod discrimen inter Nobiles Magnatesque ex ambitione existeret. Et veteri sanè, vt videtur instituto: Gallos enim antiquos circularibus mensis circumsedisse, armigerosque eorum scuta ferentes à tergo adstitisse memorat *Athenæus Dipnosophist.* IV.

COMMENTATIO VIII.

ORDINES MILITARES SCOTIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM RVTÆ.

FVIT Regibus Scotiæ Sodalitium Equitum, vulgo SERTVM RVTÆ nuncupatum. Cuius Insigne, vti & Regijs Armis circumuolutum visitur, fuit Torques, ex duobus Rutæ ramulis, seu folijs innumeris, cui inferius effigies D. Andreæ cum Cruce adnexa erat, fabrefactus. Certè, Regum Scotorum insignia ab Achaio vsque ad Iacobum VI. (qui Cardui florem cum Rosa Anglicana, id est, Scotiam cum Anglia, sub nomine Magnæ Britanniæ, vt in Numis eius prætenditur, coniunxit) cardui floribus effigieque Andreana suo Insigni cohonestasse colligere licet ex eo, quod & ipsum potentissimi quique Christiani Orbis Monarchæ, nempe, Carolus V. Imper. Aurei Velleris, Francorum Rex Conchyliati Ordinis, Henricus Anglorum Rex Periscelidis Torque decorarint. Quorum Ordinum solemnia festa statis diebus Rex ipse Iacobus pōpæ magnifica celebritate obiuit: in quibus quoque singulorum Ordinum insignibus splendere voluit; vt ipsi Principes à quorum beneuolentia ornamenta illa manarant, haud malè collocata, aut quocumque modo obscurata, verum ipsius animi grata significatione, pompæ celebritate aucta intelligerent. Cuius rei, vt luculentius signum toti posteritati exhiberet, & eluceret, Insignia Regia in porta Luchconensis Palatij fingenda, singulaque Ordinum singulorum simul ac D. Andreæ ornamenta (quæ sunt Scoticæ Gentis propria) exquisita artificij laude circumplicanda curauit.

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM S. ANDREÆ

Cardui titulo: in Scotia.

REGES Scotorum (vt ex sacris ipsorum Scrinijs loquitur *Ioannes Lesseus* Episcopus Rossensis lib. v.) S. ANDREAM Apost. Regni Tutelarem Diuũ iam dudum agnoscunt. Idque à temporibus Hungi Pictorum Regis, cui hostes oppugnaturo, scribunt, lucidam cælo apparuisse Crucem, illius instar in quâ Apostolus Andreas sublatus pro Christi nomine mortem oppetijt, sicque victoriam consequutum cæso Athelstano. Anglorum Rege, cui nomen *Athelstain* more prisco. Vt autem tam gloriosæ victoriæ in mnemosynon nulla vnquam vetustate deleretur, placuit effigiem illam Crucis in Armis & Insignibus efformatam contra hostes deinde gestare. Quod fecit Victor Rex, & post eum Scotiæ Reges alij.

HINC originem traxisse creditur Ordo Equestris *S. Andreæ Cardui titulo* (cuius insigne seu Collare ex Carduis confectũ præferunt gentilicia Regum Armã. Numique hoc addito elogio: *Nemo me impunè lacessit*. Asperum quippe virgultũ Carduis & aculeis armatum, quodque difficulter manibus attrectare possis sine doloris compunctione, denique, quod frangas potius, quam minimum flectas. Fuit autem huius Militiæ Baltheus aureus ex floribus Cardui orbicellis aureis, seu nodis rubescentibus innexis cõpositus: infernè præferens Imaginem S. Andreæ Martyrij Crucem decussatam ante se gestantis. Insignia verò, quæ dicto Baltheo ornantur, Leonem rubeum, primũ & antiquum Fergusi Regis insigne, prætexta cæruleà duplici tractu rubeo contra positis lilijs consita, circumdata in stamine aureo ostentant: ictumque Caroli Magni fœdus, cum Scotis & Achaio eorum Rege, quod in hunc vsque diem religiosè perdurat, coniunctis duorum Regum armis. Addidit Carolus Coronæ Scoticæ (quæ antiquitus forma erat Valli militaris) circa quattuor lilia aurea cum quattuor salutiferæ Crucis aureis signis paribus interuallis discretis, lilijs paullò eminentioribus: vnde Scoticæ gentis Christianæ Religionis, inuiolatæque fidei obseruatio ab omnibus dignosceretur. Ordinis huius Institutionem nonnulli referunt ad tempora Caroli VII. Francorum Regis, quibus Scoticum foedus ob egregiam, desperatis Franciæ rebus, nauatam operam, Regumque Franciæ veterem ac fidam in omne Scotorum nomen beneuolentiam renouatam ferunt: Scoticaque Insignia Gallici aucta volunt quod iam à Carolo Magno obtinuisse alij contendunt.

COMMENTATIO IX.

ORDINES MILITARES SVECIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM CHERVBIM ET SERAPHIN.

REGES Gothorum Christiani, exemplo aliorum Orbis Christiani Principum, Militares Ordines, adsumpto Christianon Symbolo, instituêre. In ijs vnus est illorum, qui splendent Torque aureo, quem cælestes Cherubim & Seraphin, & Cruces Patriarchales, illius instar, qualis Regibus Hungariæ à Pontificibus in Regijs insignibus attributa est, DEIque effiges exornant.

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM GLADII ET BALTHEI.

ALTER in Sueciâ Ordo Militaris pro tessera, Gladios Aureos, Baltheo Militari inter se conuinctos, & acie sanguineâ commicantes (quod Iustitiæ & Militaris Gloriæ, quibus Regna fulciuntur, insigne est) prætendit. Nimirum ad consummatam in Regno aut Republica Politiam duo requiruntur: CALAMVS ET GLADIVS: puta, deliberandis rebus Consilium ac Litteræ: exequendis autem Gladius. Porrò Insignia, quæ Gladiferi huius Ordinis Symbolo condecorantur, in clypeo aureo vmbonem fuluo leone rubescentem, circum circa tres Coronas regias, & totidem campanulas rubeas: in galeâ verò Coronam muralem argenteam, cristis seu plumis, viridis coloris respersam, binosque supra gallos rubeos, in vexillis argenteis decussatim positis præferebant. Sed hæc præclara Christianæ Militiæ decora, mutata in ijs regionibus Religione in desuetudinem ferè abierunt.

COMMENTATIO X.

ORDINES MILITARES DANIÆ. LIVONIÆ. ÆTHIOPIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM ELEPHANTI. S. MARIÆ V.

In Regno Daniæ.

EST in Daniâ (quæ veteribus Cymbrica Chersonesus dicta) ordo Militaris Elephanti Equitũ Diuæ Virgini dicatus: quibus pro tessera est Torques aureus ex Elephātis, castella tergo ferentibus, & Calcaribus, quæ Equitum propria sunt Insignia, interpositis connexus, appensa inferius effigie DEI-MATRIS radijs solaribus circumdatæ, cui rursus orbicellus aureus, tribus clauis insignis, certoque litterario emblemate inscriptus Symbola omnia Christianæ pietatis, & Equestris dignitatis adnectuntur. Videre est Regum Danorum Insignia, quę tres leones viridis coloris, Leopardos fęciales nuncupant, in campo aureo lacrymis sanguineis, seu cordibus humanis seminato pręferunt, huiusmodi Cingulo seu Torque, vt descripsimus exornata; & apud armorum Reges tali facie inter Principum insignia est spectare. Sunt etiam Nummi, in quorũ antica parte cernitur effigies Regis Daniæ, cum inscriptione: *Christianus* IV. D. G. *Dani. Nor. Wand. Go. Rex*: nimirum, Daniæ Noruegiæ, Wandalorum, Gothorum; in altera, *Dux Slesu. Hols. Storm. & Dimars. Comes in Olde. & Dela*. quibus præter tredecim diuersorum Regnorum & Principatuum Imperij Danici expressorum Insignia insunt Arma gentilicia Daniæ, Cruci, cui Elephas subest, superposita.

Ex his alijsque constat, Ordinem Elephanti non infimo apud Danos loco censeri: cum autem conditum à Christiano III. quidam asserunt. Non est verò mirum, Elephantis Symbolum à Regibus Daniæ huic Ordini cohonestando adsumptum, cum summis virtutibus nobile hoc animal (quales in irrationabilibus esse possunt) ab antiquis prædicetur: & quod proximè ad humanam rationem accedat; Fortitudine scilicet Militari, Prudentia, & fulcro Inferiorum Religione, quæ propriè nõ nisi in hominẽ cadit: Clementia Regia, quæ Cæsarem Deorum adscripsit numero, Augustum consecrauit, Pio cognomentum dedit: Maximino, Balbino, Gordiano statuas cum Elephantis decreuit. Ægyptij Regem per Elephantĩ simulachrum significabant: non ea tamen de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur Elephanti, is qui maximus est natu gregem ducat;

ctat; quod in Regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, vt id muneris senioribus demandaretur: hinc apud Hebræos Seniores, apud Athenienses Palæologi, apud Romanos Senatores rerum habenas moderare soliti; verùm propterea, quod habet hoc animi Regij peculiare, vt genua non flectat, adeò notabiliter vt animalia reliqua: calcaneum autem leuiter incuruet: nam genua non flectere, ostendit, supplicabundum non esse: flectere verò calcaneum, humanitatem quandam, qua præditus putatur, indicat.

Membrvm II.

ORDO MIL. EQVITVM GLADIFERORVM

Seu Militum Christi, in Liuonia.

Inter Prussos, Samogitos, Lithuanos, & Russos, seu Moscos posita est Liuonia, quæ sub se habet Curones, Lettos, & Esthenos, præcipuas nationes, vt moribus sic & lingua diuersos, quæ tamen ferè Saxonica est. Ad horum cõuersionem missi fuerunt viri Religiosi, qui ad fidei Christianæ amplificationem, ne opprimerẽtur ab infidelibus in societatem asciuerũt Teutonicos Equites. Præter quos institutum est Equitum in Liuonia Collegium, ab Innocentio III. confirmatum, Ensis rubri signum cum Cruce pallio insuta præferens, teste *Cromero* & *Arnoldo Abbate Lubecensi*: aut verius, binos gladios, forma Crucis decussatim positæ rubescentes. Primus Ordinis Dux ac Magister Vinno creatus est. Quo per proditionem occiso, & vnito Fratrum Liuonensium cum Equitum Teutonicorum Ordine, multæ fuerunt inter ipsos contentiones, multa ex æmulatione bella ciuilia inter Milites, Ecclesiarum Antistites aliosque Sacerdotalis dignitatis Præsules. Hæc toties renouata dissidia, vicinis potentioribus molesta (ex quorum occasione Mosco ad inuadendas illas regiones, & Poloniam vastandam via aperiebatur) vt Episcopis primò damnosa, sic & Equitibus postremò exitiosa fuerunt.

Nam quemadmodum Sigismundus aboleto Ordine Teutonico, Borussiam perpetuis bellis cum Polonis hactenus cõflictatam Iuris Polonici fecerat: Principe eius beneficiario creato, Alberto Brandenburgico sororis filio: ita post XXXIII. annos Sigismundus Augustus, paternum sequutus exemplum, tandem etiam Liuonicum Christi Militvm Ordinem extinxit. Et Gothardum Ketlerum, Anno M D.LXI. postremum Ordinis Magistrum, Ordinem eierantem (vti à Religione Orthodoxâ turpissimè defecerat) traditâ Cruce, Sigillo, Litteris, ac Diplomatis omnibus, quæ Ordo Liuonicus à Pontifice ac Cæsare acceperat, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem creauit: Christophoro Megapolensi Archiepiscopalem dignitatem pariter abrogauit: illius iurisdictione omni Poloniæ Regibus addicta. Adeoque totam Liuoniam Iuris Polonici effectam; sed inde à Suecis, inde à Moscis miserè lace-

ra tam Stephanus Rex posteà asseruit & Imperio firmauit. Quod exstinctæ ibi Militiæ Teutonicæ, CCCLVII. postquam cæperat anno, triste spectaculum quicumque Germanici nominis studiosi erant, & Religioni Catholicæ addicti, non sine lacrymis intuebantur. Atque ita Ordo iste Militum Sacrorum in Liuonia abrogatus desijt.

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM S. ANTONII.

In Æthiopia, seu Abyssina.

ÆTHIOPES seu Abyssini, qui Presbyteri Ioannis (vt vocant, imperium agnoscunt, habent Religionem Militarem quæ sub protectione est S. ANTONII quippe Monachi Ægyptij. Ei vnusquisque Nobilitate clarus paterfamilias ex tribus vnum filium, excepto primogenito, destinare potest. Ex his seliguntur XVI. Equitum millia, qui Regi excubant. Finis huius Religionis est, Imperij fines defendere, resistereque hostibus fidei. Cõsule *Damianum à Goes De reb. Abyss.* & *Ioannem Metellium in Speculo Orbis terrarum.*

COMMENTATIO XI.

ORDINES MILITARES GERMANIÆ. AVSTRIÆ. BOHEMIAE. HVNGARIAE. CARINTHIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM DRACONITICORVM.

In Germaniâ.

SIGISMVNDVS Imperator, qui adeò studiosus fuit magnitudinius Christianæ, vt non solùm plusquàm vicies collatis signis cum Barbaris pugnauerit, gloriosissimosque de hoste triumphos reportarit: sed & zelo ac hortatu eius duo OEcumenica Concilia, vnum Constantiæ, alterum Basileæ, extirpando Schismati & Hæresi, validè Orbem Christianum, præsertim Hungariam & Bohemiam concutienti celebrata sint, vt Christiana sacra contra Infideles commodius tueretur, ac propagaret, erexit Ordinem Militum Draconiticorum, quos Insigni Draconis deuicti, & præcipitati decoravit: testandæ extirpationi periculosissimi totius terrarum Orbis Monstri, Schismatis scilicet & Hær-

Hæreſeos. Huius Ordinis etſi rara fiat mentio apud Hiſtoricos obuios, *Petrus* tamen *Beloyus*, in Originibus Militaribus cap. XXII. teſtatur ſe vidiſſe diploma Anni M.CCCC.XXXIII. quo Baſilius Colalba Marchio Anconæ in Collegium Ordinis Draconitici hiſce verbis cooptatur: Te quem manu propria Militiæ, Cingulo, & Societatis noſtræ Draconiticæ, ac Stolæ, ſeu Ampriſiæ cariſſimi fratris noſtri Regis Aragoniæ inſigniuimus.

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM TVSINI.

In Bohemia.

ORDO MIL. EQVITVM DISCIPLINARVM.

In Auſtria.

ORDO MIL. EQVITVM HVNGARICORVM.

In Hungaria.

SCRIBIT *Hieronymus Romanus* in volumine de Republica, ex hiſtoria Hiſpanica Regis Ioannis, tempore Sigiſmundi & Alberti Impp. floruiſſe in Germania tres inſignes Ordines Equeſtres, nec non Moyſem Didacum de Valera Hiſpanum, probatæ fortitudinis Equitem ab eodem Alberto, tribus Militiæ Inſignibus fuiſſe condecoratum. Nempe, *Draconitico*, tanquam à Rege Hungariæ: *Tuſino*, vt à Rege Bohemiæ: & Collari Diſciplinarum, Aquila candida (quæ & Polonorum Regum in Campo rubeo teſſera eſt) exornato, vt à Duce Auſtriæ.

IN rebus Hungariæ fit peculiaris mẽtio Equitum Hungaricorum, quibus pro Inſigni erat Crux viridis in habitu ſeu chlamyde coccinei coloris. Quem quidem Ordinem ante annos circiter ducentos contra Turcas Hungariæ finibus incumbentes inſtitutum memorat *Hieronymus Magiſtrus*, Tractatu de triplici Equitum genere.

MEMBRVM III.

ORDO MIL. EQVITVM S. GEORGII

In Carinthia.

A RVDOLPHO Habſpurgenſi, qui primus Imperatorij faſtigij decus in familiam ſceptris regniſque fatalem (vt Quidam loquitur) intulit, duodecim ex Gente Auſtriaco Imperatores eximiæ omnes Maieſtatis numerat Germania. Quos inter Fridericus III. haud poſtremas tulit, Is ad Turcarum, Hungariæ

gariæ, Styriæ, Carinthiæ, viciniſque prouincijs imminentium arma depellenda, Equitum S. GEORGII Ordinem prudenter inſtituit. Cuius quidem Magiſtro Generali Regiam ſedem in Milleſtadio Carinthio opido, amænißimo loco deſignauit, & Principis honorem adiecit. Huic & Nouæ ciuitatis in Auſtria Epiſcopum, in rebus, vt loquuntur, temporalibus, itemque Canonicos ea de cauſſa in arcem translatos, eademque D. Georgij rubrâ Cruce, quæ plana & ſimplex gentilicios clypeos occupare ſolet, ſignatos. Et ne quid ad ſplendorem deeſſet, Toparcharum Cranichbergenſium recens cum familia extinctorum caſtra ac prædia in vitæ aulæque ſubſidia liberaliter addidit. Nimirum, Trautmanſdorfium, Schorfenecam, & S. Petronillæ prædium: in quo Carnunti vetuſtæ vrbis ruinæ extant. Quorum prouentibus non mediocriter adiuti S. Gregorij Equites, Chriſtiani nominis zelo incenſi, non rarò virtutis ſuæ contra Selymum, Solymannum, alioſque Eccleſiæ hoſtes fidem fecerunt. Vide *Lazium* lib. III. *Rerum Viennenſium*.

ALIVS Ordo Militum S. Georgij celebratur, quem Alexander VI. P. M. & Maximilianus Imperator aduerſus Turcam erexit, Cruce aurea, cum Corona in circulo aureo attributa. De quo *Bernardus* Luceburgius in libello de Ordinibus Militaribus.

COMMENTATIO XII.

ORDINES MILITARES BELGII. BVRGVNDIÆ. AVSTRIÆ. BARBARIÆ.

MEMBRVM I.

ORDO MIL. EQVITVM CYGNI.

In Belgio.

RICHARDVS Waſſeburgenſis in Antiquitatibus Belgicis, meminit vetuſtißimæ Militiæ, CYGNI nomine illuſtris, per Saluium Brabonem (à quo Brabantiam dictam volunt nonnulli) excitatæ, quod Ordinis ſui Commilitonibus eius Alitis Inſigne, in concordiæ, & ſocietatis firmißimæ ſymbolum attribuerit.

* * *



MEM-

MEMBRVM II.

ORDO MIL. EQVITVM VELLERIS AVREI,

Apud Burgundos, & Austriacos.

PHILIPPVS cognomento BONVS Dux Burgundiæ, iure meritissimo auctor Magnitudinis Burgundicæ, Imperijque Belgici conditor nuncupatus, præter varias virtutes, quæ illũ Principem exornabant, quæque Boni nomen viuo, mortuoque dederunt; tum ijs rationibus res suas tuebatur, vt opes, sine subditorum iniuria amplissimas sibi compararet, ijs splendidissime ad retinẽdas hominum voluntates, Legatis suscipiendis, peregrinis Principibus subleuandis, amicis colendis, ludis, conuiuijsque magna cum laude vteretur. Eo in genere fuit augustissimum Aurei Velleris Collegium, quod suis cum Elizabetha, Ioannis Lusitaniæ Regis filia nuptijs, mense Ianuario Anno M.CCCC.XXX. Brugis Flandrorum instituit: propter amorem (vt loquitur in diplomate ea de re condito, & à *Ponto Heutero lib.IV. Rer. Burgundic.* & *F. Haræo lib.1. Tumultuum Belgic.* recitato, erga nobilem Statum, & Ordinem dignitatis Equestris, ad gloriam Omnipotentis Creatoris & Redemptoris, laudemque Virginis eius Matris, & ad honorem Domini S. Andreæ gloriosi Apostoli & Martyris: ad exaltationem Fidei, & Sanctæ Ecclesiæ: & excitationem Virtutum, & bonorum morum. Exemplo vtique Gedeonis fortissimi Israëlitarum Ducis, cuius historiam de Vellere sicco rorulentoque se spectasse innuit Philippus, tapetibusque illis antiquissimis (qui ab eius vsque ætatis in Ordinis huius anniuersarijs, & B. Andreæ Apostoli festo die, in Sacello Principum Belgij spectandi exhiberi solẽt, posteritati testatum reliquit.

SVNT qui *Chrysomalli*, siue Aurei Velleris Insigne iam olim in Sacra Thebæorum Legione floruisse contendant. In hoc porrò Sodalitio Philippi Ducis, Viros nobiles, vita, nomine armisque, vt loquitur ipse Ordinis Præses irreprehensibiles purpuratos accensuit; quorum ipse atque successores coriphæi essent. Singulis Togam coccineam laneam (quam filius Carolus Audax Valencenensibus comitijs in holosericam commutauit) & aureum Torquem, inserto paterno emblemate, ignitabuli scintillas è silice extundentis speciosum attribuit: vnde Vellus aureum dependet; post cuiusque mortem rediens ad Collegium, vt alij benemerito offeratur. Eum Torquem *Claudius Paradinus* ita est interpretatus, vt silicibus ferroque adscriberet:

Ante ferit, quàm flamma micet.
Velleri pretium non vile laboris.

Quattuor primæ dignitatis Officiarij Cancellarius, Thesaurarius, Rex armorum & Scriba Collegio subseruiunt. In quo huius Ordinis Equitum ex prælio illicitæ fugæ, ceteraque crimina, ac si quæ inter ipsos sunt dissensiones diiudicantur absque prouocatione. Illo rerum benè

gestarum nobili præmio, & gerendarum incitamento splenduerunt primi, post Philippum Collegij caput, multi Procceres, Dynastæ, Comites, qui ab illo Brugæ sunt adlecti numero XXV. adnumerato capite: deinde, tertio post anno XXXI. Diuione fuerunt numerati, ad explendum numerum iuxta formulam primæ institutionis. Postea Carolus V. Austrius ob varias prouincias ac regna, quæ possidebat, Anno M.D.XVI. Ordinis Comitijs Bruxellæ celebratis numerum vnius & quinquaginta Equitum esse voluit. Carolo mortuo cum in gentem peregrinam Mariæ Burgundæ matrimonio res transisset, tum id hominum sermonibus est quæsitum.

AD Archiducemne, an ad Ludouicum XI. ius Collegij transiuisset. Iam enim Burgundiæ ducatum Ludouicus occuparat, nec nisi ad Burgundiæ Duces iuxta instrumentum institutionis spectare ea Societas dicebatur: Maximilianus contrà, iniuria auferri sibi Ducatum illum querebatur. Ne itaque existimationis apud subditos naufragium faceret, huius se Collegij Principem Maximilianus professus est: Creuecœurium Portiumque quod Mariâ defecti ad Ludouicum transissent Aurei Velleris Insigni adempto, infamiaque damnatos Senatu mouit, nouosque in eum Ordinem Equites subrogauit. Atque adeò Maximiliani exemplum sequuti Austriaci Successores, hoc Inaurati Velleris Institutum sæpius hodieque frequentant. Et quidem Philippo II. Hispaniarum Regi Ordinis Principi, auctoritate Gregorij XIII. P. M. & Philippo III. concessione Clementis VIII. facultas facta est, Equites (qui ferè ex primarijs ditionum suarum Proceribus selecti, & quos vulgo in Hispania *Grandes* vocant, quod tecto capite, singulari honoris prærogatiua coram Rege apparere ius est) etiam extra Conuentum seu Capitulum adlegendi, aliaque multa pro arbitrio ordinandi: non obstantibus conditionum capitibus, quibus dicti Ordinis Princeps Equitesque obligantur, quæ sunt XCIV.

III. Hic Ordo constabit Capite, duodecim Cænobiarchis: Septuaginta duobus Crucigeris magnæ Crucis, Commendatoribus & Equitibus.

IV. Quoniam fundamentum & scopus modò dicti Ordinis desiderium in quibusdam præstantibus & fortibus viris excitare poterunt eum capescendi, quibus fortè deerunt certa & indubitata suæ nobilitatis documenta, illi in armorum societatem recipientur, modò alijs quæ requiruntur Qualitatibus instructi sint, neq; quicquam commiserint, quod Ordini deroget: neque etiam suis meritis & officijs Ordini præstitis ex gratiâ ad maiorem dignitatem peruenire poterũt.

V. In hoc Ordine diuersa officia constituentur, quorũ aliqua Crucigeri magnæ Crucis, alia Cõmendatores & Equites: quædam Fratres, seu Socij armorum, secundum officiorum illorum dignitatẽ exercebunt: prout specialius determinabitur in primo Capitulo generali: quod intra triennium celebrabitur eo loco, de quo inter ipsos conueniet, & qui aptissimus videbitur ad electionem supra dicti Capitis, & aliorum præcipuorum Officialium Ordinis.

VI. Qui sese offerent, vt in hunc Ordinem recipiantur, in eum, tanquam Equites admittẽtur, vt postea ad alias dignitates euehantur. Nihilominus donec Capitulum generale fuerit conuocatũ, recipi poterunt Cænobiarchæ, Crucigeri Magnæ Crucis, & commendatores, vt Ordo viris dignis, qui illa munia administrent, compleatur. Sed post illud Capitulum generale, nemo quamuis eminenti loco constitutus aliter, quàm gradus modò dictos in eum cooptabitur.

VII. Recipiendus in hunc Ordinem post factam exhomologesin, in templum aut Sacellum à duobus Senioribus Ordinis, qui in eo erunt, introducetur, & in genua prouolutus, sine gladio & pallio ab ijsdem coram eo sistetur, qui Ordinem ipsi conferendi potestatem habebit. Qui prius Sacramentum, cuius formula ad calcem horum statutorũ subijcietur, ab ipso exiget. Deinde, habitũ infra descriptum Gladium & Crucem ei dabit, ipsumque amplectens, dicet: *Recipimus te in Ordinem Equitum MilitiæChristianæ, sub titulo B. Virginis & S. Michaëlis, vt ipsorum intercessione* S. TRINITAS *te confirmet in gloria nominis sui, ad Pacem Christianorum, & liberationem eorum, qui sunt oppressi ab Infidelibus*. Quo facto, Eques surget, & duos, qui ipsum comitati sunt, amplectetur: deinde omnes Ordinis Socios qui aderũt. Et à duobus illis ad Altare ducetur, vt Missam religiosè audiat, & illâ dictâ communicet.

VIII. Hic Ordo pro Insigni habebit

duas Cruces. Vnam auream cæruleo colore pictam: ad cuius latus vnum erit Imago B. Virginis, Dominum nostrum suis brachijs gestantis: ad alterum S. Michaëlis. Atque hæc Crux collo gestabitur fascia serica cærulea, & auro tres digitos lato, tam à Crucigeris magnæ Crucis & Commendatoribus, quàm Equitibus. Alteram ex holoserico cæruleo aureo intexto: in cuius medio erit imago B. Virginis, radijs aureis circũ fusæ, duodecim stellis coronatæ, Dominum nostrum brachijs & sceptrum dextrâ tenentis, & Lunam crescentem sub pedibus habentis: circa quam erit funis S. Francisci: & ex quattuor angulis modò dictæ Crucis totidem flammæ aureæ prodibunt. Hæc Crux ad latus sinistrum pallij gestabitur, tam à Crucigeris magnæ Crucis, & Cõmendatoribus, quàm Equitibus; ita vt nullum sit inter illas discrimen, nisi quorundam radiorum aureorum.

IX. Die qua cæremoniæ peragentur, Crucigeri magnæ Crucis, & Equites omnes habitum interiorem gerent candidum, cum gladio argenteo, vagina & zona candida. Crucigeri autem magnæ Crucis supra habitum illum candidum Dalmaticam ex tela aurea coccineis floribus conspersa, manicis in medio sectis, & vsque ad genua propendentem, candido multitio suffultam, & segmentis aureis fimbriatam gestabunt: cui superinijcient magnum pallium russum cum syrmate, candido serico suffulto, limbo aureo prætextum, dextro latere apertum à summo ad imum, & ad humerum funiculo contorto alligatum cum fimbrijs, ex serico coccineo & auro. Pallium illud à sinistra attolletur, ne brachium & gladius impediantur. Desuper obtegetur palliolo ex pellibus armellinis maculosis, quod vsque ad cubitum descendat. Supra illud gerent magnum torquem Ordinis, quindecim funibus S. Francisci, & totidem stellis manu aurificis elaboratis contextum in cuius imâ parte Crux aurea, de quâ paullò ante dictum, tribus catenulis alligabitur: & in anteriori parte magni pallij altera illa ex cæruleo holoserico & auro intexto facta. Pileum habebunt pellibus armellinis fartum, cuius ora ex rubro cocco dimidium pedem lata erit, aureo limbo fimbriata, quattuor locis pari interuallo dissectum, & vndique replicatum. Cothurnos gestabũt ex corio rubro Hispanico, qui dimidiam tibiam tegant, & orbiculis aureis ad latera claudantur.

X. Commendatores vesti candidæ imponent Dalmaticam sericam cærulei coloris, multitio candido suffultam, limbo cæruleo fimbriatam. Supra eam gestabunt magnum pallium cæruleum vndulatum, candido multitio suffultum, cum palliolo ex serico cãdido; infra quod magno pallio adnectetur Crux holoserico cæruleo & auro intexto. Cothurni erunt ex corio Hispanico cæruleo, cum orbiculis ex serico cæruleo; eadem forma qua Crucigerorum magnæ Crucis. Insuper gestabunt Pileum pellitum ex holoserico nigro cum spira rotunda ex multitio candido.

XI. Equites supra habitum candidum gestabunt Dalmaticam ex multitio candido, eiusdem coloris panno suffultam. Magnum Pallium candidum vndulatũ similiter suffultum. Palliolum sericum cæruleum infra quod magno Pallio annectetur Crux ex holoserico cæruleo,

auro

auro intexto. Cothurnos cæruleos cum orbiculis ex serico cæruleo. Pileum ex holoserico nigro cum spira candida, eiusdem cum vestibus modò dictis materiæ.

XII. Fratres armorum gestabunt in collo Crucem supra dictam, encausto pictam, cum funiculo contorto ex serico cæruleo: & ad sinistrum latus pallij Crucem ex holoserico cæruleo; qualis est Equitum, exceptis fimbrijs, & textura auri, quibus carebit.

XIII. In vnaquaque Prouincia, in qua Crucifer magnæ Crucis, & tres Commendatores erunt constituti, tria Templa vel Sacella fundabuntur B. Virgini & S. Michaëli consecrata. In quibus tres Sacellani Crucem Ordinis gestantes Missam omnibus diebus festis & Dominicis celebrare tenebuntur.

XIV. In ijsdem Prouincijs erit Domus, in qua Conuentus habebuntur, quoties negotia Ordinis id postulabunt: & ij qui huius sunt Ordinis, hospitio recipientur.

XV. In vnoquoque duodecim Cænobiarchatuum Academia erigetur pro institutione xxv. iuuenum Equitum, cùm in bonis moribus, tum scientijs, & exercitijs honestis. Qui quando triennium, aut aliquanto minus in ijs fuerint, iter facere, aut in nauibus Ordinis mari se committere tenebuntur.

XVI. In supra dictis prouincijs quotannis sacro die Iouis, sex pauperes cærulea veste, in nomine B. Virginis; tres rubra in nomine S. Michaëlis; tres cinerea in nomine S. Francisci donabuntur. Posteà Crucifer magnæ Crucis; aut eo absente, senior Commendatorum, præsentibus Equitibus prouinciæ, qui in hunc finem conuocabuntur, pedes pauperibus illis lauabit, prandium præbebit, & in mensa ministrabit.

XVII. In ijsdem prouincijs quotannis die Assumptionis B. Virginis, ex quindecim pauperibus & honestis filiabus delectis, tres sorte legentur, quæ in matrimonium collocabuntur, singulis data quinquaginta librarum dote.

XVIII. Qui in hunc Ordinem cooptabuntur, singulis annis diebus & festis Assumptionis B. Virginis, S. Michaëlis, aut S. Francisci, peccata Sacerdoti confiteri, & Eucharistiam sumere tenebuntur. Singulis diebus Sabbathi Missam audient: quæ dum canitur, Litanias B. Virginis recitabunt: & in casu legitimi impedimenti, eleemosynas quasdam pro sua pietate distribuent. Ad hæc pridie festorum B. Virginis à carnibus abstinebunt.

XIX. Viduarum & Orphanorum peculiarem curam gerent: & Xenodochia ad minimum quattuor ferijs annuis, & festo Assumptionis B. Virginis visitabūt, si in eo loco sint, in quo possint hoc opus charitatis exercere.

XX. Si quis ex ipsis in negotio ab Ordine ipsi demandato capiatur, & in seruitutem redigatur, sumptibus communis ærarij redimetur.

XXI. Si quis ex Ordine decedat, Secretarius Cænobiarchatus, in cuius districtu obijt alijs Cænobiarchatibus id notum faciet, vt in singulis Presbyteri & Sacellani instituti ab hoc Ordine Missam pro salute animæ ipsius celebrent. Sed si moriatur in conflictu, aut generoso aliquo facinore, pro cultu DEI, & ministerio Ordinis, vt ipsius memoria tanto magis honoretur, singularis quædam ac solennis ceremonia peragetur; ad quam

omnes

omnes Commendatores & Equites à Crucigeris magnæ Crucis singularum prouinciarum conuocabuntur: ad quam conuenire, tenebuntur, nisi legitimum aliquod impedimentum ipsis obueniat. Et si facinus quod perpetrauit oratione funebri dignum iudicabitur, Quidam qui sit idoneus ad eam habendam, inuitabitur.

FORMVLA *Voti & Iuramenti, quod præstabitur super sancta Euangelia, ab eo, qui in numerum Equitum recipiendus offertur.*

EGO N. testor coram DEO, & iuro per meam Nobilitatem, me inuiolabiliter obseruaturum Statuta Ordinis Equitum Militiæ Christianæ, sub Titulo B. Virginis & S. Michaëlis cum Articulis sequentibus. I. *Me omnibus vijs licitis & aquis procuraturum Pacem inter Principes & populos Christianos; atque etiam cum modo dicto Ordine.* II. *Me operam daturum, vt Christiani, qui ab infidelibus oppressi sunt, & captiui detinentur, liberentur,* III. *Me fidem Regi, aut supremo meo Principi seruaturum, sub pœna exauctorationis ab hoc Ordine.* IV. *Me semper Crucem, Insigne Ordinis gestaturum.* V. *Me promptè Superioribus Ordinis huius in ijs quæ ad ministerium & incrementum illius pertinent, obtemperaturum.* Ita iuro & promitto Præstito iuramento, qui mandatum ab Ordine habebit, vt Equitem illum recipiat, postquam habitum, Gladium & Crucem illi dederit, verba superius posita pronunciabit.

ACTVM & decretum Olmutzij die Sabbati XVII. die Nouemb. MDCXVIII. Signat. *Carolus*, Dux Niuernius, & *Adolphus* Comes Althamensis.

INSTRVMENTVM acceptationis Statutorum suprapositorum ab ijs qui primi Viennæ huic Ordini nomen dederunt.

NON *infra scripti, postquam in supradictum Ordinem recepti fuimus, acceptauimus, & acceptamus Statuta supraposita, quæ promisimus, & promittimus, nos obseruaturos, secundum ipsorum formam & tenorem. In cuius rei fidem chirographa nostra huc apposuimus, sigillo nostrorum Insignium adiuncto.* Viennæ in Austria, die Veneris, VIII. Martij MDCXIX. Subscripserunt. *Radulius*, Princeps Valachiæ.


Iulius Henricus, Dux Saxoniæ.

Samuel, Dux Coreskius.

Albertus, Dux Raziuilius. Et multi alij.

Aliquot post diebus, *Ferdinandus* Dux Mantuæ huic Ordini nomen dans, suprapositis Statutis similiter subscripsit.

ORDO iste fuit confirmatus Romæ Anno MDCXXIV. à Papa Vrbano VIII. præsente Duce Niuernio, qui habitum & Crucem, vnà cum multis alijs Equitibus & Dynastis illius Ordinis gestabat. Cæremonia fuit peracta à Cardinali Sforcia filio Regis Fezani. In eumque Ordinem admissi & recepti fuerunt à Pontifice *Marcus Antonius.* Comes Placentinus; duo Comites Galli, & Baro Polonus.



ENC-

ENCOMIVM
&
PARÆNESIS
Ad Commendationem & Excitationem
EQVITVM MILITIÆ CHRISTIANÆ
Desumpta è Sermone exhortatorio
B. Bernardi Abbatis Claræuallensis
AD MILITES TEMPLI.

HVGONI Militi Christi, & Magistro Militiæ Christi, Bernardus Claræuallis solo nomine Abbas, Bonum certamen certare. *Semel & secundò & tertiò (ni fallor) petijsti à me, Hugo Charissime, vt tibi tuisque Commilitonibus scriberem exhortationis sermonem: & aduersus hostilem tyrannidem, quia lanceam non liceret, stylum vibrarem: asserens vobis non parum fore adiutorij si, quos armis non possum, litteris animarem. Distuli sanè aliquamdiu, non quod contemnenda videretur petitio, sed ne leuis præcepsque culparetur assensio, si quod melius melior implere sufficeret, præsumerem imperitus & res admodum necessaria, per me minus fortasse commoda redderetur. Verùm, videns me longa satis huiuscemodi expectatione frustratum; ne iam magis nolle, quàm non posse viderer, tandem ego quidem quod potui feci: Lector iudicet, an satis feci. Quanquam etsi cui fortè aut minimè placeat, aut non sufficiat, non tamen interest mea, qui tua pro meo sapere non defui voluntati.*

MEMBRVM I.

Militia genus nouum contra tenebrarum Principes, & eorum adiunas, quod instituerunt Equites Militiæ Christianæ.

NOVVM Militiæ genus ortum nuper auditur in terris, & in illâ regione, quam olim in carne præsens visitauit Oriens ex alto: vt vnde tunc in fortitudine manus suæ tenebrarum Principes exturbauit: inde & modò ipsorum satellites, filios diffidentiæ in manu Fortium suorum dissipatos exterminet: faciens etiam nunc redemptionem plebis suæ, & rursum erigens Cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Nouum, inquam, Militiæ genus, & seculis inexpertum; quia gemino pariter conflictu infatigabiliter decertatur, tum aduersus Carnem & Sanguinem, tum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Et quidem vbi solis viribus corporeo fortiter hosti resistitur, id quidem ego non tam iudico mirum,

mirum, quàm nec rarum existimo. Sed & quando animi virtute Vitijs, siue Dæmonijs bellum indicitur, ne hoc quidem mirabile, etsi laudabile dixerim, cùm plenus Monachis cernatur Mundus. Ceterùm, cùm vterque homo, suo quisque gladio potenter accingitur suo cingulo nobiliter insignitur, quis hoc non æstimet omni admiratione dignissimum, quod adeò liquet esse insolitum.

IMPAVIDVS profectò Miles & omni ex parte securus, qui, vt corpus ferro, sic animum fidei loricâ induitur. Vtrisque nimirum munitus armis, nec Dæmonem timet, nec hominem. Nec verò mortem formidat, qui mori desiderat. Quid enim vel viuens vel moriens metuat, cui viuere Christus est, & mori lucrum? Stat quidem fidenter libenterque pro Christo, sed magis cupit dissolui, & esse cum Christo, hoc enim melius. Securi igitur procedite Milites, & intrepido animo inimicos CRVCIS CHRISTI propellite: certi, quia neque mors neque vita poterit vos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV: illud sanè vobiscum in omni periculo replicantes: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Quàm gloriosi reuertuntur Victores de prælio! quàm beati moriuntur Martyres in prælio! Gaude fortis Athleta, si viuis & vincis in Domino: sed magis exulta & gloriare, si moriaris & iungaris Domino. Nam etsi beati, qui in Domino moriuntur, num multo magis, qui pro Domino moriuntur? Et quidem siue in lecto siue in bello quis moritur, preciosa erit sine dubio in conspectu Domini mors sanctorum eius. O vita secura vbi tuta conscientia! O inquam, vita secura, vbi absque formidine mors exspectatur, immò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione.

O verè sancta & tuta MILITIA, atque à duplici illo periculo prorsus libera, quo id hominum genus solet frequenter periclitari, vbi duntaxat Christus non est caussa militandi. Quoties namque cõgrederis tu qui Militiam militas secularem, timendum omninò, ne aut occidas hostem quidem in corpore, te verò in anima: aut fortè tu occidaris ab illo, & in corpore pariter & in animâ. Ex cordis nempe affectu non belli euentu, pensatur vel periculum vel victoria Christiani. Si bona fuerit caussa pugnantis, pugnæ exitus malus esse non poterit: sicut nec bonus iudicabitur finis, vbi caussa non bona, & intentio non recta præcesserit. Si in voluntate alterum occidendi, te potius occidi contigerit, morieris homicida. Quod si præuales, & voluntate superandi vel vindicandi fortè occidis hominem, viuis homicida.

Non autem expedit, siue mortuo siue viuo, siue victori, siue victo esse homicidam. Infelix Victoria, quâ superans hominem succumbis vitio. Et ira tibi aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato. Est tamen qui nec vlciscendi zelo, nec vincendi typho, sed tantùm euadendi remedio interficit hominem: sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam, cum de duobus malis, in corpore, quàm in anima mori leuius sit. Non autem quia corpus occiditur, etiã anima moritur; sed anima quæ peccauerit, ipsa moritur,

MEM-

MEMBRVM II.

Descriptio Militiæ Secularis, Et Militis profani.

QVIS ergo finis, fructus-ue secularis huius non dico Militiæ, sed Malitiæ, si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit. Enimuerò, vt verbis vtar Apostoli: *Et qui arat, in spe debet arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Quis ergo, ô Milites! hic tam stupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus ac laboribus militare, stipendijs verò nullis, nisi aut mortis aut criminis? Operitis equos sericis, & pendulos nescio quos panniculos loricis superinduitis: depingitis hastas, clypeos & sellas: frena & calcaria auro & argento, gemmisque circumornatis; & cum tanta pompâ pudendo furore, & impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an muliebria potius ornamenta? Nunquid fortè hostilis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit? Denique, quod ipsi sæpius, certiusque experimini: Tria arbitror necessaria esse prælianti. Vt scilicet strenuus, industriusque Miles & circumspectus sit ad se seruandum: & expeditus ad discurrendum: & promptus ad feriendum. Vos per contrarium, in oculorum grauamen fæmineo ritu, comam nutritis: longis ac profusis crinibus, ac camisijs propria vobis vestigia ob voluitis: delicatas ac teneras manus amplis ac circumfluentibus manicis sepelitis. Super hæc omnia, est quod armati conscientiam magis terret: caussa illa nimirū satis leuis & friuola, qua videlicet talis præsumitur, & tam periculosa Militia. Non sanè inter vos aliud bella mouet, litesque suscitat, nisi irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscumque possessionis cupiditas: Talibus certè ex caussis, neque occidere, neque occumbere tutum est.

MEMBRVM III.

Commendatio Militiæ Christianæ.

AT verò Christi Milites securi præliantur prælia Domini sui; nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo vel ferenda vel inferenda & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mercatur. Hinc quippe Christo, inde Christus adquiritur; qui nimirum & libenter accipit hostis mortem pro vltione, & libentius præbet se ipsum Militi pro consolatione. Miles, inquam, Christi securus interimit: interit securior. Sibi præstat cum interit: Christo, cùm interimit. Non enim sine caussâ gladium portat. DEI etenim Minister est, ad vindictam malefactorum,

laudem verò bonorum. Sanè, cum occidit malefactorem, non homicida, sed (vt ita dixerim) *Malecida*, & planè, Christi vindex in his, qui malè agunt. & Defensor Christianorum reputatur. Cùm autē occiditur ipse, non perijsse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo, quam irrogat Christi est lucrum: quam excipit, suum. In morte Pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur. In morte Christiani, Regis liberalitas aperitur, cū Miles remunerandus educitur. Porrò, super illo *latabitur iustus, cum viderit vindictam*: de isto dicet homo: *Si vtique est fructus iusto: vtique est* DEVS *iudicans eos in terra* (Psal. 57) Non enim vel pagani necandi essent, si quomodo aliter possent à nimia infestatione, seu oppresione fidelium cohiberi. Nunc autem melius est, vt occidantur, quàm certè relinquatur *Virga peccatorum super sortem iustorum: ne forte extendantur isti ad iniquitatem manus suas.*

QVID enim si percutere in gladio omninò fas non est Christiano, cur ergo Præco saluatoris, contentos fore suis stipendijs Militibus indixit? (Lucæ 3.) & non potius omnem Militiam interdixit. Si autem, quod verum est, omnibus fas est, ad hoc ipsum duntaxat diuinitus ordinatis, nec aliud sanè quicquam melius professis, quibus, quæso, potius, quàm quorum manibus & viribus, Vrbs fortitudinis nostræ Sion, pro nostro omnium munimine retinetur, vt depulsis diuinæ transgressoribus Legis, secura ingrediatur gens iusta custodiens veritatem? Securè proinde dissipētur gentes, quæ bella volunt, & abscindantur, qui nos conturbant, & disperdantur de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Hierosolymis Christiani populi inæstimabiles diuitias tollere gestiunt, Sancta polluere, & hereditate possidere Sanctuarium DEI. Exerat gladium Exercitus fidelium in ceruices inimicorum ad destruendam omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam DEI, quæ est Christianorum fides, ne quando dicant Gentes, vbi est DEVS eorum?

MEMBRVM IV.

Conuersatio Militum Templi, Exercitationem exprimit in Ecclesia Militante Militis verè Christiani.

SED iam ad imitationem, seu ad confusionem nostrorum Militum, non planè DEO, sed Diabolo militantium, dicamus breuiter Christi Equitum mores & vitam: qualiter in bello domiue conuersentur, quo palam fiat, quantum ab inuicem differant, DEI Seculique Militia. Primò quidem vtrolibet disciplina non deest, Obedientia nequaquam contemnitur: quia teste Scriptura; *Et filius indisciplinatus peribit* (Ecclesiastici 22.) *Et peccatum est ariolandi, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* (1. Reg. 15.) Itur & reditur ad nutum eius, qui præest. Induitur, quod ille donauerit: nec aliunde vestimentum, seu alimentū præsumitur. Et in victu & vestitu cauetur omne superfluum: soli necessitati consulitur. Viuitur planè in communi iucunda & sobria conuersatione, absque

vxori-

vxoribus, & absque liberis. Et ne quid desit ex Euangelica perfectione, absque omni profectione, absque omni proprio, habitant vnius moris in domo vna, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Dicas vniuersæ multitudinis esse cor vnum & animam vnam: ita quisque non omninò propriam sequi voluntatem, sed magis obsequi satagit imperanti. Nullo tempore aut ociosi sedent, aut curiosi vagantur, sed semper dum procedunt (quod quidem rarò contingit) ne gratis comedant panem, armorum, seu vestimentorum, vel scissa resarciunt, vel vetusta reficiunt, vel inordinata componunt, & quæcumque postremò facienda Magistri voluntas, & communis indicit necessitas.

PERSONA inter eos minimè accipitur: defertur meliori, non nobiliori: Honore se inuicem præueniunt. Alterutrum onera portant, vt sic adimpleant legem Christi. Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur vel tenue, siue susurrium nequaquã ibi deprehenditur inemendatum. Scacos & aleas detestantur. Abhorrent venationem. Nec ludicra illa auium rapina, vt assolet, delectantur. Mimos & Magos & fabulatores, scurrilesque cantilenas, aut ludorum spectacula, tanquam vanitates & insanias falsas, respuunt & abominantur. Capillos tondent, scientes, iuxta Apostolum, ignominiam esse viro si comam nutrierit. Nunquam compti, rarò loti, magis autem neglecto crine hispidi, puluere fœdi, loricâ chaumate fusci.

PORRO, imminente bello, intus fide, foris ferro non auro se muniunt, quatenus armati, non ornati hostibus metum incutiant, non prouocent auaritiam. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompam; victoriam sed non gloriam cogitantes, & studentes magis esse formidini, quàm admirationi. Deinde non turbulenti aut impetuosi, & quasi ex leuitate præcipites, sed consultè atque cum omni cautela & prouidentiâ seipsos ordinantes, & disponentes in acie, iuxta quod de Patribus dictum est: Veri Israelitæ procedunt ad bella pacifici. At verò, vbi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristinâ lenitate postpositâ, tanquam si dicerent: *Nonne, qui oderunt Te Domine, oderam & super inimicos tuos tabescebam?* (Psal. 138.) irruunt in aduersarios, hostes velut oues reputant: nequaquam etsi paucissimi vel sæuam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Nouerunt siquidem non de suis præsumere viribus, sed de virtute DOMINI SABAOTH sperare victoriam. Cui nimirum facile esse confidunt, iuxta sententiam Iudæ Machabæi, *Concludi multos in manus paucorum:* & *Non esse differentiam in conspectu* DEI *cæli, liberare in multis & in paucis: Quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* (1. Machab 3.) Quod frequentissimè experti sunt; ita vt plerumque quasi persequutus sit vnus mille, & duo fugarint decem millia. Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur Milites illi Christiani, & agnis mitiores, & leonibus ferociores. Vt penè dubitem, quid censeam appellandos, Monachos videlicet, an Milites? nisi quod vtrumque forsan cõgruentius no-

LIBER III.


THEATRVM MILITVM CORONATORVM.

Siue

SANCTORVM, BEATORVM, PIORVM ECCLESIÆ MILITANTIS.

PRÆFATIO.

Ad Militiæ Christianæ Heroës.



LTIMAM *Operis de* ECCLESIA MILITANTE *partem occupet* THEATRVM MILITVM, *olim nobiscum in Terrâ degentium, nunc in* ECCLESIA TRIVMPHANTE GLORIOSORVM COELITVM, *vt vel certò, vel piè creditur. Hi tot reperiuntur in Gentis cuiusque historiâ, in Tabulis Ecclesiasticis, in Monumentis familiarum illustrium, in Menologijs, Martyrologijs, libris ritualibus, & Elogijs Heroum veterum, vt nullus hominum* STATVS *videatur posse nominare plures Christianos Martyres, Sanctos, Beatos, quàm* MILITARIS. *Sanè, quod de immensa Martyrũ multitudine scripsit S. Cyprianus libro de Exhortat. ad Martyrium capite 11. Militibus Sanctis meritò accommodatur.* Numerari nõ possunt Martyres Christiani, testante Apocalypsi: Post hæc vidi Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. *Item, quod dixit S. Gregorius homilia XXVII. in Euangelia;* Totum mundum, Fratres, aspicite: Martyribus plenus est, *huc facit, vnico mutato nomine:* Totus mundus MILITIBVS SANCTIS plenus est. *Pergit Magnus Papa:* DEO ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: quia quãti sint à nobis comprehendi non possunt. *Digni autem sunt quos Christiani omnes ament, colant, imitentur. Sed præcipuè ij, qui castra sequuntur, & sunt ipsi quoque* MILITES. *Quibus hic Litaniam concinnamus, & Catalogum teximus longissimum Sanctorum Militum. Quem quotidie ore aut mente, vel quotannis saltem, si nõ quot mensibus, percurrant, ac ex eo in* PATRONOS, *Hebdomadarios, Menstruos, Annuos, & vitæ totius* DIVOS TVTELARES *adsciscant, atque, in necessitatibus suis domi, forisq; inuocent.*

NON *tamen omnes singillatim nomino, quod palam profiteor: nam innumerabilium*

quis numerum ineat? Illos itaque nominatim exprimo, qui ad meam notitiam, post multiplicem inuestigationem, factamq; accuratam disquisitionem, in Fastis Sacris, Saxis, Statuis, Sepulchris, Bibliothecis, vel inspectione, vel auditione, vel lectione peruenerunt. Plures addi poterunt ab industrijs rerum Ecclesiasticarum Scrutatoribus: mihi satis fuit, vt in alijs à me in lucem editis, sic in his inchoasse, & addidisse calcar: denique, reliquisse locum Successori. Quem inuito, vt subtexat plurimos, tum veteres, tum recentiores, qui in Italia, Germaniâ, Hispaniâ, Galliâ, Britanniâ, Poloniâ, Iaponiâ, Sinâ, ac alibi, Patriæ suæ Militare potuerunt, & CHRISTO, Eximij omnes in profana, Sacraq; Militia Heroës, ECCLESIÆ MILITANTIS filij minimè degeneres. Sequar autem in ordine constituendo, non Alphabetarium, sed illum, quem suggerunt Martyrologia Latinorum, aut Menologia Græcorum, aut eorumdem Menæa: & singulis Diebus Mensium, qui Annum conficiunt, suos adsignabo MILITES, qui illo, aut coluntur ab Ecclesia vniuersali; aut Gente peculiari, aut Religiosorum familijs, aut Secularium Domibus, aut Principum Aulis, aut denique in Bellatorum castris.

QVOD *verò, præter Martyrologium, cui apud Græcos respondet. Menologium, nomine Menæa, vt non hæsites, scias velim quamuis Menæa à mensium ordine nomen & originationem trahant, distingui tamen à Menologio. Siquidem hoc nihil nisi Sanctorum continet Fastos, vti & Ecclesia Latina Martyrologio, in quibus genus vitæ & mortis breuiter exprimitur. Menæa autem fusius Acta continent, vt apud Latinos Breuiaria, & alij rituales libri, in quibus Lectiones, preces, versus, vitarum cōpendia, Odaria, vt apud nos Responsaria, benedictiones, hymni, tractus, historiarum epitome in Matutinis, laudibus, Vesperis, ac Completorio, denique in Horis, Prima, Tertia, Nona occurrunt: nam ex omnibus his, quæ vsui esse posse videbantur, ad texendum hoc* MILITVM CORONATORVM SANCTORVM*que Catalogum, cum delectu excerpsimus.*

IANVARIVS.

PRIMVS (quod oppidò notandum) qui in ECCLESIA MILITANTE colitur publicè, titulo SANCTI, & in Martyrologio Kalendis Ianuarij, post Imperatorem Circumcisione purpuratum, collocatur, vt in capite libri vitæ, fuit Miles, dictus

ALMACHIVS.

I. IANVARII. *Romæ S.* ALMACHII *Martyris, qui iubente Alipio Vrbis Præfecto, cùm diceret: Hodie Octaua Dominici diei sunt, cessate à superstitionibus Idolorum, & à sacrificijs pollutis: à gladiatoribus occisus est.* Ita Martyrologium Romanum. *Almachius* fuit Miles, nec gregarius, sed in dignitate constitutus: qui à Theodoreto libro v. historiæ Ecclesiasticæ appellatur TELEMACHVS: quomodo etiam eum vocat Paulus Diaconus, vel quis alius auctor in Miscel. histor. Apud Othonem lib. IV. cap. 19. nuncupatur DIRIMACHIVS: fortasse, quod dirimat bellum. Quibus licet diuersis nominibus, idem Miles designatur accommodatè. A Græcis, *Telemachus, ἀπὸ τῦ τέλεος ϗ μάχου*: quod finē pugnæ gladiatoriæ imposuerit: a Latinis *Dri-*

Dirimachius: nempe, effundendo sanguinem dirimés duellantium pugnas; quod Imperator legibus efficere non poterat. Nam Cōstantinus gladiatorum Spectacula prohibuerat, lege latā, quæ in Codice Theodosiano, ac Iustinianeo tit. de gladiat. etiamnum legitur.

ALMACHIVM à gladiatoribus necatū habes Martyrologium Romanum: lapidibus obrutū *Thelemachum* scribit Theodoretus: vtrumque fieri potuit in vno eodemque populari tumultu. Addit Theodoretus, *Telemachum* adscriptū ab ipso Imperatore in numerum Martyrū. Id sic accipiendum est; vt quod Ecclesia Catholica statuerat, Imperator Sanctione sua munierit. Quemadmodum vidimus Christianorum ferias Imperatorum legibus stabilitas: Codice Theodosiano ac Iustinianeo, Tit. de Fer. Passus est autem ALMACHIVS, nō temporibus Diocletiani (vt putarunt aliqui nullius veterū testimonio ducti) sed imperante Honorio Augusto, vt refert Theodoretus, siue potius Theodosio, vt censet Cæsar Baronius: nam eius tempore Alipius Vrbanam præfecturam administrabat: & funesta gladiatorum Spectacula, quamuis olim lege vetita, fieri permittebat. Quod etiam ab alijs, post Cōstantinum est factum, vt satis constat ex Augustino libro vi. Confess. cap. 8. vbi ea se spectacula Romæ vidisse dolēter affirmat Prudentius quoque aduersus Symmachum, agens, Valentiniano Augusto supplicat, rogatque, vt iubeat Spectacula illa tam dira aboleri. Quibus ALMACHII Militis Christiani Sanctitas, generositas, zelus, & multo magis sanguis in optima caussa promptè profusus finem tandem imposuit. Præter Martyrum Romanum, *Almachium* celebrant. 1. Ianuarij, Bedæ. Vsuardi & Adonis Martyrologia, eiusque meminit Albinus Flaccus de Officijs diuinis cap. 4.

SCIO quosdā tradere, ALMACHIVM, fuisse Monasticæ vitæ professione, in Oriente illustrem, qui postquam diuturnā exercitatione, mirificos in omni virtutū genere fecisset progressus, præclarū aliquid ad maiorē Christi gloriā Ecclesiæq; vtilitatem audendum ratus, ex Oriente Romam veniens, in animo habuerit gladiatorios Gentilium ludos nefandaque gentilium sacrificia abolere. Quod Kalendis Ianuarij attentauit, & felicissimè perfecit. Sed quæ superius attulimus de Militiari professione probātur Ecclesiasticæ historiæ peritis auctoribus. Passus est *Almachius* Anno Christi Saluatoris 395. Siricij Papæ 11. Theodosij Imperatoris 17. Cōsule Baroniū tomo 4. Annal.

I. IAN. SANCTI XXX. MILITES. Martyrologium Romanum. Romæ *Via Appia Corona Sanctorum Militum triginta Martyrum, sub Diocletiano Imperatore.* De ijsdem Beda, Vsuardus, Ado, & vetus Manuscript. Et Addit Martyrologium Germanicum: primum in vincula cōlectos; ac deinde capite plexos. Galesinius quoque, caput ijs præcisū Imperatoris ipsius Diocletiani iussu scribit. Quod autē passio, & obitus horum Sanctorum CORONÆ nomine inducatur, existimat Notkerus inde factum, quoniam illorū Primipilus ita nominatus fuerit: nisi sit vitiū librarij *Romæ*, inquit, *viâ Appia* CORONÆ, *& Militum XXX. qui sub Diocletiano Augusto pro confessione Christianæ fidei Martyrio coro-*

nari meruerunt. At Baronius Not ad Martyrol. *Hic* (ait) *animaduertere licet*, *Sanctam* DEI *Ecclesiam*, *quæ Spiritu-Sancto docente*, *veram verborum ac rerum proprietatem didicit*, *acerbissimas* Martyrum *passiones*, CORONAS, *ac vitæ exitum*, Natalem diem *appellare consueuisse*. Nos Milites hos Sanctos, TRIGINTA CORONATOS nominare possumus. Quorũ etiã meminit Martyrologium Hieronymi MS. Monasterij S. Richarij, quod Bedæ nomen præfert: habet autem tantùm xx. MS. S Laurentij Leodij quod est Adonis, xxi.

I. IAN. S. MOCHVA, siue CVANVS. Hic colitur in Hiberniâ: qui clarus genere in primæuâ ætate fuit Miles, & admodum bellicosus, de hostibus suis semper reportãs victoriam. Triginta annis sic laicaliter & militariter vixit, antequã Militiam Christi exerceret. Sed expletis triginta illis annis, diuinâ inspiratione admonitus, & timoris Domini telo percussus, ad fidem Christi conuersus, & Monachus factus, clericalem adsumpsit habitũ. De eo admirãda scribuntur in vitâ, ex veteribus MM. S. S. quæ leges apud *Ioannem Bollandum*, Tomo 1. cum eiusdem animaduersionibus, & cautelâ.

II. IAN. S. DEFENDENS & Socij MILITES Martyres. *Philippus Ferrarius*, in nouo & generali Catalogo Sanctorum, Quarto nonas, seu 2. Ianuarij. *In territorio Massiliensi apud Rhodanum* S. DEFENDENTIS *Martyris*, *ex legione Thebæorum sub Maximiano*. Petrus quoque Galesinius, eodem die *In Galliâ ad Rhodanum fluuium*, S. DEFENDENTIS, *& aliorum multorum Militũ, qui Maximiano Imperatore, pro Christo Domino cruciatibus eo loco affecti martyrij coronam consequuti sunt. Ad cuius fluminis ripam, à S. Theodoro Massiliæ Episcopo*, Defendentis Martyris *corpus sepultum est*, *eiusq; nomine Ecclesia dicata*.

Ferrarius in Catalogo Sanctorũ Ital æ S. DEFENDENTIS *Martyris memoria in multis Italiæ locis celebris est: præcipuè*, *Clauasij*, *oppido haud obscuro Taurinẽsis diœcesis*, *apud Morgum fluuium*, *in Padum non longe influẽtẽ: Casali Montis ferrati vrbe primaria*, *& Nouariæ*. *Quibus in locis*, *& alibi*, *Ecclesiæ*, *areq; illi dedicatæ sunt*. *Cuius* Reliquiæ *Casali in Ecclesiâ Eremitarum asseruari feruntur*.

DE S. DEFENDENTE miraculũ Odoleuci, pago diœcesis Casalensis hoc narratur. Cùm quidã in die festo *S. Defendentis* aucupatũ potius ire, quàm Missã audire voluisset, & perdices captas coqueret, illæ statim rediuiuæ, eo obcæcato, auolarunt. Qui deinde facti pænitens, & ad aram S. Militis orans, veniam impetrauit, & visum recepit.

CAROLVS Episcopus Nouariensis lib. 1. historiæ Ecclesiæ suæ, de S. DEFENDENTE ita scribit. *His eisdem subalpinis regionibus* S. DEFENDENS *frequenti sanè cultu*, *vt Martyr*, *afficitur*. *Plurimis in locis etiam ex voto publico*, *dies eius festus celebratur postridie Kalend. Ianuar. Eius nomine*, *Altaria*, *Oratoria*, *Sodalitates dicatæ sunt*. *Idem nomẽ multis*, *pietatis gratiâ tribuitur*, *Militari habitu pingitur*. *Contra luporum rabiẽ*, *incendiorumq; vim inuocatur*. Fuisse vnũ ex Thebæis Militibus Martyribus scribit Gulielmus Baldesanus in historia Thebæâ, dum de trãslatione S. Mauritij agit. Quin etiã duos putat eiusdẽ nominis: alterũ sepultum apud Massiliã, de quo Galesinius in Martyrologio ex tabulis Ecclesiæ Bergomensis: alterũ in Italiã de quo ipse nonnulla narrat.

narrat. De eo nihil Baronius. Consulatur *Ioannes Bollandus Tomo 1. Ianuarij 2.*

II. *Ian.* Sancti Argævs, Narcissvs, marcellinvs fratres, Tomis in Pōto martyrio coronati. *Marcellinus* omniū minimus, quod impia Tyranni Licinij cōtra Ecclesiā, & legitimū Principem Constantinū signa sequi nollet, ab eodē cū fratribus trucidatus est, omnesque in Albū Militū Sanctorū, ac Martyrum ab Ecclesiā relati sunt.

Vsuardus. *In Pōto, ciuitate Tomis triū fratrum*, Argæi, Narcissi, *&* Marcellini pueri, *qui sub Licinio Principe inter Tyrones comprehensus, cùm nollet militare, cæsus ad mortē, & diu in carcere maceratus, atq; in mare mersus, martyrum consummauit.* Eadem habet Bellonius. Addit Martyrologiū Romanū: *Fratres verò eius gladio perempti sunt:* Adiungit Ado: *Corpus eius ad littus delatū, & à religiosis viris depositū magnis coruscat miraculis.* In antiquo Martyrologio MS. dicitur de omnibus, quod inter Tyrones comprehensi militare noluerint, ideoque supplicium subierint.

Galesinius quædā alia narrat de his Militibus hunc in modū. *Tomis in Ponto SS. Martyrū*, Argæi, Narcisci *&* Marcellini. *Hic cum Licinio Principe militare nollet, quoniā se Christianū adfirmabat, nec debere propterea, illius, idola colentis, Militia adscribi, eam ob caussā virgis crudeliter cæsus, diu in vinculis fuit, quem* Argeus *&* Narcissus *frater, cum aliquando inuiserent, comprehensi itē sunt, & in carcerem coniecti, in Christianaq; fide constantes securi percutiuntur. Marcellinus autem in mare proijcitur: sicq; hic, & illi duo Martyrio coronantur.* Eadem ferè habet Martyrologium Germanicum.

Marcellinvs *Puer.* Baronius in Not. Martyr. Rō. Quod *Marcellinus* inter Tyrones recensendus, *Puer* dicatur, sic accipe *Puerū*, vt saltem esset annorū decem & septē: ea enim ætate Tyrones adscribebantur Militiæ. vt auctor est Gellius lib. x. cap. 18. Quod idē dicitur peremptus ob eā caussā, quod nollet militare, id nō odio Militiæ (vt de C. Vettiano Valerius Max. scribit libro vi. c. 3. de Seuerit.) qui sibi manus digitos amputauit, ne militaret: sed quod Licinius suos Milites litare præcepisset. Sic enim scribit Seuerus lib. secundo sacræ histor. *Tunc Licinius, quia aduersus Constantinum de Imperio certauit*, Milites suos litare præceperat; abnuentes, à Militiā reijciebat.

Est lex de istis l. 1. de filijs militariū. C. Theodos. lata sub eiusdem Licinij Consulatu aduersus eos, qui cum dispendio corporis, resectis digitis. Militiæ necessitatē conantur euadere. Id ipsum reperitur lib. 4. 5. & 10. de Tyron. Item Cod. Theodos. Passi sunt Anno Redemptor. s 316. Syluestri Papæ 3. legendus Baronius tom. 3. Annal.

II. Ian. SS. Alverivs & Sebastianvs Milites Thebæi. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorū Italiæ ad 2. Ianuarij. *Aluerius & Sebastianus* Milites Thebæi, *cùm ex finibus Sedunorū. Maximiani Imperatoris persequutionem & crudelitatem in eos, qui Christianam religionem colebant. fugientes, in Taurinorum fines, circa ea loca, vbi Fossanū ciuitas nunc est, se recepissent, ab Imperatoris satellitibus deprehēsi martyrio affecti sūt.* Quorū corpora in Ecclesiā cāpestri, olim parochiali apud Fossanum, cum diu latuissent, Anno salutis mcd xxvii. iv. Non. Ianuarij in arcis lapideis, cū inscriptione, quæ eos Milites ex Thebæa legione fuis-

se, ac sub memorato Imperatore passos esse ostēdit, vocū cęlestiū indicio reperta, & in basilicā prædictæ ciuitatis transla-ta non mediocrem habent veneratiōnē.

III. IAN SANCTI, CYRINVS PRIMVS, & THEOGENES Milites. Cū Licinius Orientaliū Imperator omnes bellicæ artis machinas in Cōstantini perniciē expediret; cunctosque sub signis suis Christianos ad nefāda idolorū sacrificia cōpelleret, in Cizico, primaria Hellespōti ciuitate, PRIMVS atq; THEOGENES Militari gloria illustres, quod arma aduersus Christi fideles sumere recusarent, præclari Martyrij certamē, magna virtutis constantiā peregêre. Porrò, quibus supplicijs excarnificati *Cyrinus* & *Primus* ex mortalitatis ergastulo migrarint litterarum monumentis proditum non est. *Theogenis* verò certamen inuictumque animi robur fertur fuisse huiusmodi.

THEOGENES à parente Christiano cūm ad omnē iustitiæ, pietatisque rationē optimè esset institutus, tū alijs similiter egregia vitæ, morumque probitate prælucebat. Vnde à sceleratis commilitonibus accusatus, atque ad Legionem, quæ Sera Traiana dicebatur productus, cū intrepidus Christianæ fidei professionē ederet, mox atrocissimis cruciatibus affectus est. In quattuor, nāque palis distentus, à Centurionibus octodecim fustibus diutissimè cæsus est. Deinde, in carcerē missus, clauisq; quattuor in neruo cōfixus, vt animo inuicto atrox supplicij genus superare posset, Diuinum Numen implorabat. Nec deseruit innocentē se Christus Dominus: decertantem etenim viriliter, eū visitare, viresque ad certā victoriæ spē conferre dignatus est. Fertur concentus vocum suauissimus ad ipsas custodū aures dimanasse, animosq; omnium ad fidem Christianam vehementer inflammasse. Ceterū, THEOGENES è carcere eductus Tribuni sententiā in mare precipitatur. Cūm ecce lux cælitus eū circumdedit, carnificumque oculos tāta claritate perstrinxit, vt obducta caligine palpitarent, agnitaq; perfidia, Martyrē inuocarent. Qui ne Sacro latice ritè expiati; nono post die, & pristinâ oculorū luce, & spirituali admodū gaudio mirabiliter donati sunt. Corpus verò Martyris vndarū impulsu ad littus iactatū, & ingenti fideliū iubilo exceptū: iuxta muros ciuitatis in villā Adamanti nomine, sepultū est. Ita ferè *Mombritius* Tom. 2. Vitar. SS. & *Cornelius Grasius* Tō. 1. ex *Baronio* Tom. 3. Annal. & Notis ad Martyr. Ex quibus passus habetur Anno Christi 316. Sylueſtri Papæ III. Constantini Imperatoris II.

SANCTI huius THEOGENIS Militis generosissimi Acta vetusta proferunt plura in lucem, digna lectu, quæ subijcio. Tempore Licinij paganissimi Tyrāni cōprehēsus est in Phrygia THEOGENES, qui erat Episcopi filius, & perductus ad Legionem, quę dicitur Secunda Traiana ad Tribunum Zilicentium, & Præpositum Possidonium, quæ legio considebat in Cyzico, quæ est prima Hellesponti: Cogebatur autē Theogenes militare à nominatis Tribuno & Præposito. Ille audes Miles fidelissimus veri Dei, plenus Spiritu Sāncto, constanter in medio legionis dixit: Ego Christianus sum, & Milito meo Regi, qui est Rex Regum: illi militans alij militare non possum. Tribunus Zilicentius dixit: Magis accipe chlamydem & baltheum, & omnia arma felicia, & milita Licinio Magno Imperator

peratore. *Theogenes* respondit, iterum dixi: milito ego meo Regi; alij militare nō possum. Tribunus dixit: Non placet tibi Licinius Imperator? *Theogenes* dixit: Non noui: ego Christianus sum & non conuenit mihi huic sæculo militare, cui abrenunciaui. Sed neque possum negare Regem esse æternum, cui milito. Tribunus dixit: ecce & isti omnes, qui adsunt Milites Christiani sunt, & tamen militant. *Theogenes* dixit: Vnusquisque scit, quomodo militet; ego etiam noui, cui militem Regi.

TRIBVNVS irascens quasi leo, & stridens dentibus in eum, iussit legioni omni, vt de nocte procederent ad campum foras ciuitatem; iussitque quattuor figi palos, & extendi Beatissimum Theogenem, qui cum sic extensus fuisset ad quattuor palos, iussit eum cædi fustibus robustissimis siluestribus quousque lassarentur Centuriones octo. Tunc Tribunus dixit, Militas, an non? Theogenes dixit: Ego milito Regi Regum, Domino meo IESV Christo Filio DEI, qui venturus est iudicare viuos & mortuos. Tunc nullus erit super terram Rex neque Princeps, qui possit effugere eum, neque diem iudicij eius. Hæc eo dicente, iterum iussit eum Tribunus cædi secundò, quasi deliramenta prosequentem. Vapulans Beatissimus Theogenes, hymnum dicebat DEO & exultabat vultus eius in gaudio & lætitia magna. Cùm autem mutarentur decem & octo Centuriones, & fustes omnes confracti fuissent, sicut palea, ille maiorem spiritus habens virtutem, gratias agens DEO hymnum dicebat, Benedictum prædicans IESVM Christum Regem supremum. Quæ non intelligentes Præpositus & Tribunus, putabant eum rogare vt dimitteretur; & dicebant ei: Vis ergo militare? At reclamauit magna voce THEOGENES: Prius dixi vobis & nunc iterum dico; quia Christianus sum, & Milito Regi Regum, & non possum desertor esse Domini, & Regis mei: prouocabat ad firmiores tortores, quod infirmi essent qui hactenus fustibus vsi fuerant. Itaque ductum in ciuitatem, mandauit Tribunus, extendi in neruo publicè: deinde in carcerem mitti, & quatuor configi clauis: cum extensus esset. Sed visitatus à Domino, & Angelis habitu candido tum maxime comparentibus, & cantantibus, lætus agebat Theogenes. Quæ omnia cùm Tribunus perscripsisset Licinio, Imperatoris iussu proiectus fuit in mare, totus fulgore irradians, quo nautæ obfcæcati fuere: sed Martyris virtute iterum oculati, conuersi ad Christum cum Militibus aliquot, præcones fuerunt Theogenis Christi fidelissimi Militis, qui per aquam transiuit ad refrigerium.

Acta descripsit ex vetusto Codice MS. Monasterij S. Maximini Treuirensis Ioannes Bollandus III. Ianuarij.

III. IAN. S. GORDIVS COMES & CENTVRIO Martyrolog. Roman. 3. Ianuar. *Cæsarea in Cappadocia* S. GORDII CENTVRIONIS, *de cuius laudibus extat præclara Basilij M. Oratio in eius die festo habita.* Agunt de eodem die eadem Græci. Passus reperitur sub Licinio Imper. ex peruetusto Menologio Cardinalis Sirleti apud Baron. in Notis. Menologium Græcorum sic habet: *Sanctus Martyr* GORDII *ex Cæsarea Cappadociæ, qui cùm Licinio Rege esset Comes, & militarem ordinem gereret, propter Christianæ fidei confessionem nobili-*

Martyrium perpessus est. In cuius laudem habita insignis Basilij M. extat Oratio.

Menæa sic copiosius. *Hic Cappadox fuit, Cæsareæ natus, Licinio imperitante* COMES dignitate, Centum Militibus Præfectus; *cum verò impiorum idololatrarum impudentiam & impias voces in Christum spargi solitas nec ferre, nec videre posset, longius secessit, & inter feras vitam in montibus egit. Sed Christi ardore incensus, & aduersus Paganorum errores animi robore armatus, è solitudine, velut Leo prosilijt, vt auctorem vanitatis quæreret, & inuaderet. Iamque in theatrum ingressus, Christum publicè* DEVM *proclamauit, versoque toto in se spectaculo, ipseque ludorum Præside, ob libertatem in stuporem dato, adeoque in rabiem verso, ferro occubuit.*

ELOGIVM.

S. GORDII MILITIS. COMITIS. CENTVRIONIS.

POTVISSE solim *Eremum Campum dicere Martium, vnde illi prodirent, qui bella orbi, qui tyrannis mouerent. Ita* GORDIVS *etiam noster è nobilis Militum Tribuno Christi Tyro, vbi sat diu in antro ad Eremi leges exercuisse, velut ad palum se, & pia Militia satis prælusisse iam visus sibi est, progressus domum festo die in medium theatri fususque* CHRISTI *se Militem, corpus frustatim concidendum Carnifici obtulit, id vnum exoptans, plures animas habere, vt plures per mortes Duci* DEO *inuictum se probaret. Scilicet ad insolitum hoc spectaculum exclamarunt Christiani pariter, & hostes horrum. Et obstupuere hi, quod vnius hominis virtus totum theatrum impleret. At illi* DEO *Gordio sibique gratulati sunt, cùm viderent, tot inter certantes quadrigas, longè omnes equos ad palmam præcurrere Christianum Militem; iamque hunc vnum illo die, ex merito coronandum animo perciperent.*

Intereà GORDIVS, *monentibus amicis qui seruatum cupiebant, ore* CHRISTVM *suum tantis proscriberet, animo coleret; Ita-ne* verò, *atebat*, Omnem Militibus aditum ad cælos præcluditis? *Mequidem* Longinos *&* Cornelios *iuuat æmulari*; Christum vobis coram si negem, cælo coram ille negabit. *Hæc vbi dixit*, CRVCIS *signo armatus, omnes cruciatus, imperterrito & animo & vultu superauit: ostenditque, quæ Militi honestissima essent vulnera.* Ex Fastis Marianis.

VITA *Legitur apud Surium* III. *Ianuar. & emendatior apud Ioannem Bollandum eod. die. Vide quæ diximus Tomo* 1. *Libro* 3. *de SS. Centurionibus Comment.* IX. *Art.* IV. *Passus est Anno Christi* 304. *sub Galerio Maximiano in Oriente solo, post. Diocletianum regnante* Baronius *To.* 2. *Annal.*

III. IAN. S. PETRVS BALSAMVS, siue ABSELAMVS, vel AVLANVS Martyrologiū Romanū. *Tertio Nonas Ianuarij S Petri, qui apud ciuitatem Aulonam Crucis supplicio est interemptus.* Ad eundem diem Vsuardus & Molanus S. illum *Petrum* nominant. Sed in Addition. ad Vsuardum XI. Ianuarij tanquam diuersum: *Cæsareæ Palestinæ S. Petri Asceta, id est, Religiosi, siue Monachi, qui sæpe rogatus vt adolescentiæ parceret, eorum ex hortationibus neglectis, per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum excelso animo probauit.* Quæ desumpta sunt ab Eusebio lib VIII. historiæ Eccles. cap. 10. vbi sic habetur: XI. *mensis Audinæi, id est ad* III. *Id. Ianuarij*, Petrus *qui & Absclomus dicebatur*, ἀσκητής, *id est, religiosus,*

vel

vel Monachus, vitam solitariam, & meditationi deditam sequutus, Ergo, inquies, non fuit *Miles*, nisi fortasse figuratè, quomodo Religiosus quilibet vocatur Miles, nempe spiritualis, qui & metaphoricus. Respondeo, apud Eusebium in Græco solùm est ἀσκητὴς, quod vertit Christophorsonus, *Religiosum vel Monachum, vitam solitariam, & meditationi deditam sequutum*; sed fortasse secundum mentem Eusebij, & veritatem rei, non *religiosum*, sed robustum, atque ad certamē (ante conuersionem scilicet, exercitatum significat. Certè, in Menologio dicitur Petrus iste, *corporis robore, & animi vigore plurimum valuisse*. in Menæis autem, *Fidei religione, & corporis robore* præstantem fuisse. Quod latet in vocabulo ἀσκητὴς, quo exprimitur sæpe numero *Athleta*. Vnde ἀσκητήριον *gymnasium*.

PRO militari professione facit, quod Menæa Græcorum celebrent III. Ianuarij PETRVM σημειοφόρον, quem eundem esse cum *Petro Balsamo* est admodū verosimile. Porrò, σημειοφόρος ad verbum significat *Signiferum, Vexillarium, Antesignanum*, vt obseruat Matthæus Raderus, qui addit, variè posse verbum istud accipi. I. Quasi *Petrus* fuerit *Miles*, & ex Vexillario factus sit Monachus. II. Quia Christi vestigia in corpore suo circumtulerit, sicut D. Paulus, & alij. III. Quod Crucem assiduè gestarit, vti de quibusdam legimus: σημεῖον enim etiam CRVCEM, & signum Filij hominis significat Matthæi XXIV. capite. IV. Quod signa fecerit. V. Quod litteris in fronte notatus & inustus fuerit. VI. Quod actus sit in Crucem pro Christo. Vt habetur in eius vitâ, cuius hoc est compendium.

PETRVS, qui & *Balsamus* à finibus Eleuthropolitanæ ciuitatis oriundus apud Aulonam vrbem tempore persequutionis comprehensus seuero Præsidi oblatus est. A quo de nomine, genere, & officio percunctatus, respondit: paterno se nomine *Balsamum*, Baptismatis verò gratiâ, *Petrum* appellari; genere Christianū, cuius officium cum nulla seculi dignitate comparari posset. Tum Præses, Parentes ne tibi sunt? Respondit *Petrus*: Christus me omnia, cùm pro eius nominis confessione certandum est, denegare docuit. Ad quæ Præses: nosti ne inuictissimorum Imperatorum præcepta, quibus, vel Dijs tibi sacrificandum, vel diris supplicijs, & cruciatibus moriendum est. Immò, respondit Martyr, noui ego summi & omnipotentis DEI, & Regis mei decretum, quo sceleratis falsorum Deorum cultoribus acerbissimum in omni seculorum æternitate supplicium subeundum decernitur. Ad quæ blandâ lenique voce Præses subintulit. Audi me ô Petre, tuique miserere, & Dijs sacrifica. Cui excelso, animo Martyr respondit. Præclarè mei misertus fuero, si Dis non sacrificauero, & pro Christi gloria in veritatis confessione occubuero. Quare, rumpe moras, & tuorum Imperatorum mandata exequere.

TVNC Præses suspendi eum iubet, iamque suspensum, quo animo porrò esset interrogat. Cui Petrus, iube adhiberi vngulas: ego enim in Christi confessione perseuero. Cruciatur igitur vehementer DEI Martyr, sed ille nulla data doloris significatione voce iucunda psallebat: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus*

vit

Vita mea (Psal. XXVI.) Inde Præses iracundiæ facibus magis accensus, alios carnifices accedere, & in Martyrem sæuire iussit. Turba verò crudeli spectaculo ad misericordiam excitata, Martyri adclamare: Miserere tui o homo! Dijsque, vt ab his pœnis eripiaris, sacrifica. Ad quæ constanti inuictoque animo *Petrus*: Pœnæ hæ nullæ sunt, nec aliquem mihi grauioris doloris sensum incutiunt; sed si à veri DEI confessione, ad inanium Deorum cultum defecero, tum verò primum in horrendas, ac intolerabiles, & nullo vnquam tempore finiendas incidero.

TVM rursus ad Martyrem conuersus Præses, ait, *Petre*, nisi pœnitentia ductus Dijs sacrificaueris, ego te morti sententiâ condemnatum protinus tradam. Et hoc est, inquit *Petrus*, quod tota mentis auiditate exspecto. Tunc Præses hanc in eum sententiam tulit: Petrum inuictissimorum Principum contemptorem, propter legem DEI&CHRISTI CRVCI affigi præcipio. Sic igitur Christi Athleta dignus habitus est ipsâ Passione Christo assimilari, felici cursu agonem suum complens.

HVIVS gloriosissimi Militis meminere & Latinorum martyrologia & Græcorum menæa, sed neque in nomine, neque in loco aut genere martyrij planè conueniunt, vt ostendit Ioannes Bollandus eorum verbis in medium adductis Tomo I. III. Ianuar pag. 128. Idem Acta S. *Petri Balsami* ab Anastasio Bibliothecario Latine versa, atque à Surio edita contulit cum antiquis M.SS. Monasterij S. Bertini, monasterij S. Maximini Treuiris, Ecclesiæ S. Audomari, S. MARIÆ de Ripatorio, & alijs. Legendi, præter nominatos, *Baronius* Not. ad Martyrol. & Tom. 2. Annal. Anno Christi 301. *Lippelleò, Grasius, Hareus*. Passus scribitur sub Maximinano Imp.

V. IAN. S. EDVARDVS ANGLORVM REX Hunc Militibus Sanctis adnumero quòd quamuis Mansuetudine eximiâ fuerit præditus, Fortitudine tamen etiam excelluerit, quæ optimè in Duce militari combinantur. De eius virtute bellicâ ita scribit Wilhelmus Malmesburiensis, lib secundo de gestis Regum Anglorum, cum de bello inter Eduardum, & Godvvinum filiosque gesto loquitur, *Nec segnem sensit Regem illa necessitas, cùm & ipse in naui pernoctaret, & latronum exitus specularetur, sedulo explens consilio, quod manu nequibat præ senio*. Sanè gnauum fuisse, & Magnanimum, si quæ bella ingruerent Florentius VVigormensis, Guilhelmus Pictauensis, alijque ostendunt. Vitam Eduardi scripsit Aëlredus, siue Ealtedus libris duobus Laudes deprædicarunt alij Scriptores quam plurimi, quos nominat Ioannes Bollandus Tomo I. ad. V. Ianuarij pag. 290. Obijt Anno Christi Domini 1066. Relatus in numerum Sanctorum ab Alexandro III. An. 1161. Legendus Baronius tomo XI. & XII. Annal. ac Notis ad Martyrol. vbi testatur extare in Bibliotheca Vaticana Litteras Innocentij IV. Pontif. Max de celebratione festi eius.

ELO-

ELOGIVM

S. EDVARDI REGIS ANGLORVM.

EDVARDVM in vtero adhuc latitantem Fortuna tamen Angliæ Regem legit. Firmauit electionem Cælum: siquidem in Regem vnctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Coniugio porrò, ad quod inuitum regni proceres traxerunt virginitatem copulauit pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum: Filius dici poterat Summi Pontificis, ita hunc semper coluit. Tributa liberaliter remisit, postquam ijs incubare Custodem Orci Cerberum vidit. Iam nec ad vilis mendiculi postulata surduit, qui membris suis captus, promissam à D. Petro sanitatem asseuerabat, si baiulo ad templum Rege veheretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad arā portauit, stipemque diuitem, sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ vndâ Rex manus lauerat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cùm adesset, conspicuus ei ab arâ benè precatus est CHRISTVS. *Quiduis amore D. Ioannis, quem Euangelistā dicimus, rogantibus, nihil visus est vnquam negasse. Hanc ille religionem præclarè obsignauit annulo suo, dum cum ipsi Diuo mendicabulum assimulanti dono dedit. Hic Annulum Regi remisit: simul de mortis horâ commonuit. Quem nuncium ille mox toto regno vulgauit, quò preces vndique piorum cogeret. Atque eo viatico, quamuis suis tam diues meritis longum cæli iter ingressus est, Anno post Virginis partum* MLXVI. *Et quia nullam corpus animo Virgini in vita Mors dedit, nullam etiam Corpori in tumulo labem aspersit.* Fasti Mariani v. Ianuarij.

V. IAN. S. GERLACVS in prouinciā Falcoburgēsi prope Traiectū ad Mosam nobili genere natus, Adolescēs se ad Militiā applicuit: cumque animo & corpore esset pariter magno, barba promissa, & vultu liberali, aliquam diu, secundum morem huius seculi præclarè militauit, & per Militiam celebre sibi nomen fecit, vitijs deditus, quibus militum vulgus, qui castra fidei & pietatis vacua sequuntur. ita tamen strenuè agendo se habuit, vt breui ad equestris turmæ præfecturam sit euectus. Cùmque eo munere fungeretur Equitum Magister, indicti sunt ad Iuliacū equestres ludi, in quibus cùm iam ad certamen accinctus esset, de vxoris morte certior factus est. Quo nuncio salubriter consternatus, fili illius è quo vita, resque humanæ pendent tenuitatem breui meditatione peruidit. Quare equestri Cingulo, & alijs suæ dignitatis insignibus, cū non resumendi proposito, abiectis, quo, Mundū magis contēneret, asino vectus, vt Christus inuectus Ierosolymam, domum redijt, ibique rebus constitutis, ad loca, religionis caussâ adiri solita, cilicio & lorica super nudum corpus indutus, nudis pedibus profectus est: atque inter alia Romam, vbi à Summo Pontifice Eugenio III. sincerâ criminum confessione factâ, pœnitentiā ijs delendis iniungi petijt. Cūmq; illi præscriptū esset, vt in Xenodochio Ierosolymitano pauperibus septennio ministraret, idque ipse in se onus cupidè recepisset, eò abijt. Et summâ cum humilitate, vilissima sibi quæque, vt porcorum & aliorum animalium custodiam demandari enixè cupiuit: & in eo ministerio asperè & tenuiter vixit. Elapso autem stato ei pœnitentiæ septennio, Romam circa Annum M.C.LV. redijt, sibique ab Hadriano IV. qui tum vrbis & orbis sacris præerat, instituēdæ deinceps vitæ modum præscribi postulauit: cùmque ipsi vitæ cùm monasticæ, tū canonicæ viuendi formæ præ oculis ponerentur,

tur, nulla earum, quod laxior videretur, placuit. Quare, cùm quid DEO vouisset de continuo vini & carnium inusu, cilicij verò vsu, & alijs laboribus & exercitijs exisset, ab eo diploma accepit, quo libertas ei, vt vouerat, domi viuendi facta est.

AD sua igitur reuersus, veternosam quandam raræ crassitudinis quercum, sibi circa radices excauari, & in eam magnã lapidum vim inferri iussit: & his imponi textum è stramine lectum, seu stoream, & in ea, cilicio, & lorica, sub cãdida Præmonstratensis Ordinis veste, semper tectus, necessario somno corpus refecit: nec illam minimè mollẽ vestem, totis quattuordecim annis exuit, nisi vt reficeretur: sed eam indutus mortuus & sepultus est. Cibus ei fuit pãnis ex hordeo cineribus mixto; potus, aqua frigida, ex vicino quodam fonte hausta, qui ab illo etiam-num nomen habet: ad quem propterea multa mira facta sunt. Pauperes & peregrinos Gerlacus ad se venientes, annuis sui soli, & armentorum vectigalibus liberaliter lautèque tractabat: ipse interim non nisi solito cibo, & potu famẽ sitimque sedãs.

ORATIONI multum temporis tribuebat: cui cùm incumberet, idem fidem repetebat hæc verba, Kyrie eleyson Christe eleyson: Pater noster Aue Maria. Præterea, licet habitaret magno milliari Belgico à ciuitate Traiectensi, in qua sunt Reliquiæ S. Seruatij, summo tamen mane, earum venerandarũ caussa, difficillimo itinere, quippe partim montoso, partim palustri, nullo assumpto lumine, quotidie nudis pedibus (etsi altero pede, ex vlcere, quod illi, dum iumenti Ierosolymitani curam gereret, natum erat, aliquantulũ claudicaret) & de mũ impotentior factus, asino insidens, eò properabat, nulla frigoris & pluuiæ, quantumuis vehementis nulla etiam spectrorum occurrentiũ ratione habita. Exceptis Sabbatinis diebus, quibus DEIPARÆ Virg. honorãdæ caussa, ad augustum eius Sacellum Aquisgranense, quattuor à quercu sua milliarium spacio distans, peregrini habitu adsumpto proficiscebatur. Tandẽ, post varias, oppugnationes ab inuidis factas, post aquam in vinum conuersum, post monita salutaria, tum alijs, tum signatè Militibus data, cùm iam mors illi immineret, & Sacerdos à quo Sacrã susciperet deesset, auxilium tamen à DEO sibi ad fore firmiter credidit. Cùm ecce venit ad moribũdum venerabilis senex, quem D. Seruatiũ fuisse constans fuit fama, à quo omnibus Sacramentis ritu catholico munitus, pridie Theophaniæ castum DEO creatori spiritum reddidit: &, vt constituerat, ligneæ thecæ inclusus, in profundissimam foueam funibus demissus est. Sed corpus tam sanctum DEVS nõ diu passus est terra claudi. Sepulchro enim vltro patefacto, id contra naturæ legem, paullatim se conspicuum reddidit. CRVCE quadam, quæ etiamnũ in pretio habetur, quã Ierosolymis attulerat, & cum qua, vt viuus eam semper de collo pensilem habuerat, humatus etiam erat, sed & ea cilicij parte, quam illa texerat, integra relicta. Plurima deinde subsequuta sunt miracula.

Ex vita auctore anonymo; & alia, scriptore Wilhelmo Cripio. Vtramque exhibet Ioannes Bollandus Tomo I v Ianuar. Celebrat illũ Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, & Tomo 2 Diplomatum Belgicorũ, cap. 49. vbi testatur, versus hos marmoreo S. Gerlaci tumulo incisos legi:

GERLACVS MILES *quondam post cultor Eremi,*
Hoc mausoleo conditur arte sue.
Contempsitque lares, aras, patriosque penates:
Massa silex, ades concaua quercus erat.

Qu: 7
Inde esse...

Vita lasciuos redimis GERLACE *reatus,*
Cedens virgineo rura paterna choro.

Hymnus ex Officio Ruræmundensi.

GERLACE, *qui domum tibi*
Spretis superbis oppidis,
Et spreto amore seculi,
Quercum cauatam diligis.
In qua remotis arbitris,
Tu te supra te tolleris,
Rerum leuatus pondere,
Quæ ad ima mentes detrahunt.
Hic pane aquaque victitans,
Rarò, parumque dormiens,
Vitæ prioris crimina
Vi lacrymarum diluis
GERLACE *Falcoburgie,*
Nunc huc precamur respice
Dum non est effugium,
Iste dat consilium
Dominum conueniens:
Equus vester debilis,
Meus velox & agilis
In ipsum conscendite.
Sic ad villam proximam
Vestrum tantùm animam,
Vt saluetis, fugite
Mihi non sunt metui,
Nihil eos nocui,
Cur eos pauescerem?
Et, si vitam termino,
Mori pro te domino
Libet, vt te liberem.
Miles fugit ocyus,
Hostes hunc atrocius
Tractant, mactant, lacerant.
Quod eius suffragio,
Quem habebant odio.
Fugisset, improperant.
Eius collum fortiter
Loro stringunt pariter,
Vt sic vitam finiat.]
Longo viuens tempore
Sic pendet in arbore
Vt nil mali sentiat
Lorum nihil nocuit
Sed magis sustinuit
Quem tortor exanimat.
Nomen ineffabile,
Diuinum, terribile.
Ter Bealus nominat.
Hostes torquet rabies
Quod tanta sit requies
Pendenti in arbore.
Iram furor concipit,
In pausam se prorisit
De cuiusque pectore.
Quod nihil proficiant,
Nisi captum finiant,
Colloquuntur mutuò:
Hinc si discesserimus
Nullum reportabimus
Triumphum de mortuo.
Dum sic quisque loquitur
Ab ipsis conscenditur
Arbor vnanimiter.
Sancti super humeros
Ponunt pedes efferos
Insistentes acriter.
Innocentem iugulant
Quod probant, quæ pullulant
Ibidem miracula.
Quæ silenda credimus
Non visa dum scribimus
Sed supersunt plurimi
Qui Viri sanctissimi
Nouerunt historiam:
Quorum testimonium
Prolatum in medium
Multam confert gratiam.
Nam sunt longo tempore
In eadem arbore
Visa luminaria,
Vt ibidem ciuium
Credatur cælestium
Adesse præsentia.
Tanta moles arboris
Per successum temporis
Non comparet penitus.
Totum à fidelibus
Pro magnis pignoribus,
Est raptum radicitus.
Lorum, quod supplicio
Fuit, est remedio
Si quis collum doleat
Hoc si circumtulerit,
Et non hæsitauerit,
Quòd mox dolor abeat:
Nam si quis cum febribus,
Huc venit & precibus,
Sentit beneficia.
Concurrente populo,
Multa DEI *famulo*
Dabantur donaria

Huc sæpe recurrere
Se non sine munere
Vouet plebis copia.
Quosdam vt monuimus,
Huc venire vidimus
Cum filis argenteis.
Quæ collo circumferunt
Et Sancto sic offerunt.
Factis quasi laqueis.
Vnum hoc non sileo,
Penes me quod habeo
Insigne miraculum.
Nam cum esset nimia
Plebis insolentia
Circa Sancti tumulum.
Hic sua præsentia
Illa: am quotidie
Non ferens iniuriam
(Nam lateret posteros
Quantum apud Superos
Obtineret gloriam.)
Orabat in Angulo
Coram Sancti tumulo
Quædam senex vidua.
Vacans eleemosynis,
Orare cum lacrymis
Hæc erat assidua.
Sanctus visibiliter
Apparens, hanc leniter
Vocat & alloquitur:
Regna tenens calica
Sic à plebe laica
Cur ARNVLPHVS spernitur?
Ipsi dorsos ingerunt,
Se præsente conserunt
Verba nugatoria.
Ipse ne se vindicet
Decet, vt hoc indicet
Tua præscientia.
Ad quæ fortis fœmina
Te, si placet nomina,
Nec me reddas dubiam.
Vt quanto sum certior,
Tanto sim constantior,
Vt quod iubes, faciam.
ARNVLPHVM se nominat;
Quod iubet ingeminat
Incontanter fieri
Statim die crastina
Visum refert fœmina
Qui quasi diuinitus
Tunc esset admonitus,
Processit ad populum.
Sancto quisque deferat
Iubet, monet, iterat
Et narrat miraculum.
Tamen timens tumulo
Rudi rursum populo
Ne foret incuria
Sanctum nocte sustulit
Et in caput transtulit
Præsentis Ecclesiæ
Ibi nunc repositus
Iacet Martyr inclytus
In Altarum margine
Ibi Gisla posita est
Et eius proles inclyta
Adalardus nomine.
Omnis plebs Cysonij
Martyris egregij
Gaudet de præsentia.
Horum trium meritis
Et Eurardi Militis
Præsta Pater omnium
Sic ad præsens viuere
Horum vt in æthere
Consequamur gaudium, AMEN.

Sacris ARNOLPHI *ossibus admodum diu,* inquit Buzelinus, *Cysoniensis Cœnobij templum, & plerisque ad ea mirandis curationibus floruit,* Gazæus innuit adhuc isthic extare. Iterum Buzelinus: *Multus ad eam adem fiebat concursus hominum. Quibus collum dolore torquebatur, eam ipsi restim huic circumdabāt, quæ fauces eius Martyris eliserat, statimque sentiebatur ægritudinem comprimi. Iis etiam sæpe numero ad preces malignus corporis ardor extinguebatur, qui febribus æstuabant grauiter, & multi pro accepto munere frequenter offerebant argentea fila, in laquei modum contorta.*

Legendi, *Ferreolus Locrius* in Chronico Belgico, *Guilielmus Gazæus* in Historia Ecclesiastica Belgij. *Ioannes Bollandus,* Tom. II. xxix Ianuar.

VII. IAN. B. VVITTEKINDVS MAGNVS VVESTPHALIÆ DVX.

MILES ante conuersionem profanus, impius,

impius, sceleratus, fœdifragus; post verò, sacer, probus, fidelis, DEI cultor eximius. Nimirum, vt obseruauit Paulus Apostolus ad Roman. v. & in se expertus est, *vbi super-abundauit delictum*, sæpe numero *superabundat & gratia*. Quod in Militibus potissimùm animaduertere licet, Qui quò acerbius ac crudelius Ecclesiam DEI ac Pietatem sunt persequuti prius, eo postea ad Dominum Exercituum conuersi, pro illo pugnant alacrius & pro Ecclesia eius militant constantissime, mutatoque Militiæ genere, non deponentes cinctum militarem, fortitudini sanctimoniam insignem copulant. Quo in genere eximiè sese *VVittekindi* Saxonum Ducis virtus extulit. Qui cùm annos plures bella cum Francis, non tam pro gentis suæ libertate, quàm odio Christianæ religionis gessisset, tandem diuinâ gratiâ emollitum, ad exosa prius sacra complectenda adiecit animum, eo ardore, vt deinceps, & Pietatis haud vulgarem gloriam viuus, & Diuorum post mortem honores adeptus sit, vt declarat *Ioannes Bollandus Tomo 1. in Actis Sanctorum.*

NAM ita eius Natalem VII. Id. Ianuarij celebrant Carthusiani Colonienses in Addit. ad Vsuard anno M.D.XV & M.D XXI. editis. *Sanctæ memoriæ* VVEDIKINDI *Ducis VVestphaliæ in Angâ quiescentis* Eadem habet Martyrologium Germanicum à Petro Canisio recognitum. Ferrarius quoque in generali Catalogo Sanctorum: *Angariæ in VVestphalia* S. VVedekindi *Ducis*. Est *Angaria*, siue *Angria*, vulgo *Enghern* oppidum VVestphaliæ in Comitatu Rauensbergensi. VVernerus Rolewinck, qui ante cxxx. annos floruit, lib. 3. de VVestphalorum moribus, cap. 8. vbi Sanctos & illustres viros recenset, ac Reliquias illius prouinciæ sic scribit: *VVEDEKINDVS olim Dux, vel Rex illius populi, quē Carolus de Sacro fonte suscepit, salutaribus meritis influxit. Hic deinceps tanto studio pristinam correxit vitam, vt post vitæ excessum, clareret miraculis. Eius ossa in Engers quiescunt, id est, Angaria prope Heruordiam.* Georgius quoque Fabritius rerum memorabilium Saxoniæ lib. 1. ad Annum 807. VVITECHINDVM testatur inter Diuos habitum. Factum-ne tamen id sit Ecclesiæ Romanæ publica auctoritate haud comperi, inquit Bollandus.

QVI addit. Quæ bella gesserit ante conuersionem *VVittekindus*, haud sanè multum attinet indagare, quando ea nō tam laudem ei, quàm dedecus attulissēt sempiternum; nisi illum DEI benignitas ruentem vltro in exitium, forti dextera reuocasset. Quapropter ea accuratè per annos distincta recenset: nam omnium quæ à VVestphalis & Saxonibus contra Carolum M. gesta sunt fuisse incentorē, vel partem maximam VVittekindum existimat. *Cùm* autem *Annus Christianæ salutis post septingentos, octogesimus quintus ageretur*, inquit Alber. Crantzius Saxoniæ lib. 2. cap. 25. *& iam tempus venisset ab alto miserendi* VVedekindus *visitatus à Domino, ad lucem respexit.* Idem auctor conuersionem Ducis VVedekindi fusè describit in Metropoli lib. 1. cap. 4.

CVM *VVidikindus* toties rebellans ad cor rediret, secum reputans, quid tanto labore mercaretur, quidue tanti sanguinis impendio euitaret, cùm neque de principatu certaret, neque de vita, sed de sola Religione, quam tot prouinciæ diu feliciter sequerentur, sumpto secum Albione viro nobili, & inter Saxones primario, qui ditionem vltra Albim tenera

(Holsatiam nunc vocant) contendit ad Carolum, præmisso ex aulicis Regi, qui securitatem adeundi, & si placeret, redeundi impetraret. Itaque à Rege Dux honorificè exceptus, reddita vtrimque factorum ratione, Dux se contulit in gratiam Regis. Ibique factus catechumenus instruitur in fide; & deinde, cum Albione sacrum suscepit Baptisma: iam pridem magno victus prælio ad fluuium Hasam. Erant deinde res per omnem Saxoniam tranquilliores. Vnde factum est, vt multiplicarentur Ecclesiæ per prouinciam, cunctis sub suo Principe quiescentibus. Arces nonnullas firmauit præsidijs Rex, sed alias Duci restituit. Inter quas fuit illa, in quam à prælio victus ad Hasam, se contulerat ad ripam Visurgis sitam. Eam verò iure seruauit, quoad in eodem loco Episcopatum Rex constitueret. Tum facta communis Duci atque Pontifici illa est mãsio, vnde nomẽ est sortita, vt diceretur Minda: quasi *Meum Tuũ* Siquidẽ sonat in lingua Saxonica vernacula MINDIN nempe, cõmunis duorum possessio.

PORRO, Rex paullò post castra habuit ad Oram fluuium in Orientali Saxonia, quod vt innotuit, incessit cupido Principi VVedekindo lustrare Regis castra. Quod etsi palam iam reconciliato liceret, libuit tamẽ ignoto habitu liberius omnia scrutari. Vicina erit Paschalis solẽnitas, & Rex Carolus cũ vniuerso Milite, pro Christianã pietate se tunc sacris imminentibus apparabat, cõmemoratione Dominicæ PASSIONIS, & expiatione criminũ in purgatione conscientiæ. *VVedekindus* mendici habitu per fluuium in nauicula allabitur; &, quo minus nosceretur, mẽdicus cũ mendicis ad stipem sedebat. Ingẽs quippe pauperũ regionis multitudo quotidie allectabatur. Rex illis largam stipem iussit erogari. VVedekindus, vbi ad eum peruentum est, dextram & ipse protendit. Attendit, qui distribuit, in curuum in manu digitum, qualem sciebat habere VVendekindum. Vultum eius diligentius intuetur: agnoscit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter mendicos sederet Princeps ditissimus percontatur. Ille nihil ad hæc: sed ad Regem se iubet introduci.

ERAT tum Sanctissimus Paschæ dies. Rex hilariter excepit venientem; percontatus, quid sibi vellet indignus Principe habitus? Ille sub hæc: Volui, Serenissime Rex, hoc habitu incognitus, vt sperabã, lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tã fidenter aspicerem. Curiositas duxit, vt latibulũ quærerẽ; qui inter tuos nũc in gratiam susceptus, propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex vidisti, quod te vidisse delectat? Ille (vt erat adhuc rerum Christianarum rudis) subintulit. Vidi quod mirabar, ante biduum te vultu dimisso tristem, incertus, quid contigisset, quod tantũ Regem contristaret. Responsum accepit: commemorationem fuisse PASSIONIS DOMINICÆ, quæ die Parasceues regium vultum obscurasset. Rursum inquit *VVittekindus*, vidi hodierna die primùm sollicitum, & ad rem attentissimum: postea quam autem Mensam adieras in templo mediã, ita hilari mihi conspectus es vultis, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autẽ erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum Puerum in os susciperent: quem quibusdam ludibundum arridere, vltrò properare, alijs verò abhorrentẽ auertisse vultũ, & tamen in ora demissũ, nec redeuntẽ aspexi. Hoc quid sit cen-

necdum accipio. Tum Rex, benè, inquit, profecisti: plus tibi aliquid, quã cũctis Sacerdotibus, & omnibus nobis ostẽsũ est.

INDE, mutatâ veste, manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in altaris Sacramento. Qua re cognita exhilaratus Dux, orauit, vt proprium sibi Sacerdotem permitteret Rex, vt is diuinæ res curam haberet, crebriusque in conspectu perageret Altaris sacratum ministerium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modò illi habitationem Episcopo dignam prouideret. Dux verò arcem suam ad VViseram vtriusque capacem ostendit: deditque in eiusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Ecclesiæ Mindensis: de quo nomine dictum superius. Constituto postea die; vt scribit Georgius Fabricius in Saxonicis, vndis sacris tinctus est VVITECHINDVS cui ipse Carolus fide iubendo adstitit Genæ vxori eius ipsa Regina Fastrada: Albioni & alijs nobilibus Caroli Principes aliquot: item Præfecti & familiares. Baptismum administrauit Lullus, datus olim D. Bonifacio socius Antistes Moguntinus. Fuit huius conuersionis tanta vbique lætitia, vt ipse Pontifex Max. Hadrianus, cui eam Carolus nunciarat, per litteras illi Apostolicas sit gratulatus.

DEINCEPS VVITTEKINDVS pacatus in sua sedit prouincia, inquit *Cranzius Saxoniæ lib. 2. cap. 24.* VVesphaliam solam gubernans. Armorum insignia, quæ militaribus, vt fit, signis præferebat, pullum equinum habebant atrum. Sed placuit Regi, postquam de tenebris Gentilium errorum peruenit, vt lucem veritatis, vt candidum acciperet. VVedekindus autem post baptismum, ædificato in Angaria (nunc Angriam vocant) insigni templo, instituto Collegio, sine fine DEO seruientium, plurimum ipse in Christo deuotus religione profecit; S. Ludgerum Episcopum Monasteriensem ad consilia sua intimum habens. Plures interea, ait *Ioannes Isacius Pontanus historia Danica lib. 4.* ex Saxorũ gente apud Danos VVãdalosque latebant, qui *VVitekindum* acerbè oderant, tum quod Francis se coniunxisset, tum, quod sacra maiorum conculcasset, & Christianam religionẽ suscepisset, eãque coleret. Nec dubium, vt monet Bollandus, quin ea caussa, cum recruduit bellum Saxonicum Anno DCCXCIV. multa sit à suis gentilibus perpessus VVitikindus, quæ ille partim suis, Francorumque amicorum armis depulit, partim Christiana magnanimitate ob Christũ eiusque religionẽ tolerauit. Tandem in extrema senectute, bello cum Northardo (seu, vt alij Geroldo) Duce Sueuorum congrediens, eo in prælio, fatigatus grauitate armorum, & contentione pugnæ occubuit: in templo à se extructo Mindæ sepultus: & deinde Paderbornæ repositus. Qua in vrbe DIVI honore cultus est. Diẽ, mensem, annum obitus, & translationis, vetustas, locorum illorum vastitas obliuione obruerũt. Ita ferè Georgius Fabricius rer. Saxon. lib. 1. Obijsse scribunt recẽtiores Anno DCCCV. alij DCCCVII. Quidã MARTYREM vocant, eique, vt Martyri dicata olim templa tradunt: nos vt MILITEM SANCTVM veneremur.

VII. IAN. S. REINOLDVS REYNOLDVS. REINOLDVS. REINALDVS. *Miles, Monachus, Martyr.* Huius S. Milites multi Scriptores meminerũt. Arnoldus VVion. *Tremonia in diœcesi Agrippinensi Passio & Trãslatio* S. Reinaldi *Monachi, & Martyris, qui nobili genere natus (fuit enim Haimonis Viri & Equitis nobilissimi filius)* MILITIA *Seculari, in*

qua

qua sibi summum gradū adquisiuerat relicta, Coloniæ S. Pantaleonis Monachus factus, *vita sanctitate, & miraculorum multitudine clarus, à nefarijs lapicidis, quibus præfectus erat, occisus, in puteum proiectus est: vnde post,* DEI *admonitu eductus. Tremoniensibus ab Annone Archiepiscopo* Coloniensi, *alicuius Sancti corpus sibi dari postulantibus datus est: quo eorum terra reuerentior esset, & ab hostibus securior. Cuius in honorem insignem construxerunt Ecclesiam.* Multa deinde eodem in Notis disputat circa ætatē, genus, res gestas, & ijs annexa.

Martyrologium Coloniense. *Tremoniæ in diœcesi Agrippinensi, Translatio* S. Reynoldi *Monachi & Martyris, qui clarissimis ortus natalibus, & in armis strenuus, Coloniæ* S. Pantaleonis *factus Monachus, vita & miraculis clarus, à cæmentarijs, quibus à suo Abbate, præfectus fuerat occisus, in lacum proiectus est. Vnde Domino reuelāte extractus, Tremoniensibus datus fuit.*

Fasti Sacri & Pij Agrippinenses Ægidij Gelenij, Septimo Ianuar. *Hodie Ecclesia Tremoniensis Comitatus antiqui, quæ est diœcesis Coloniensis in veteri Vbiorum interamnio, agit festum Translationis corporis* S. Reinaldi Mar. *qui ex Comite Palatino cœnobita Coloniensis, Sacram Vbiorum Viam Romanam, sanguine innocenter profuso sacratiorem fecit. In cuius martyrij loco excitata est ipsius titulo Ecclesia.* Est Tremonia vrbs Imperialis in VVestphalia, vulgo *Dortmundt*, quam describunt Georgius Brunius lib. 4. Theatri Vrbium num. 20. & Petrus Bertius Cōment. rer. German. qui S. Rainoldi meminerunt. Sed eius vitam ex varijs auctoribus concinnauit *Bollandus*. Eandem breuius enarrat *Ægidius Gelenius* in Coloniæ Agrippinæ Admirandis libro tertio Syntagmate lxvi. Vbi hæc habet.

S. RAINOLDVS *illustri genere natus illustrior virtutibus, calcatis mundi, & opum splendoribus, Coloniæ Agrippinæ Monastica disciplinæ se tradidit, in veteri Cœnobio S. Panthaleonis, in quo rebus piè & præclarè gestis ac miraculis claruit. Omissis fabulis, hoc comprobatur veritatis testimonio. Cum religiosus Abbatis iussu cæmentariorum præfectus esset, & diu noctuque orans, lapicidina nihilominus laboribus reliquos antecelleret magistros, eorum inuidia & conspiratione, in Episcopali antiqua, vel Romanâ via Coloniæ sacra loca circumiens, noctu inuidorum cæmentariorum mallei casus, proiectus est in lacum, apud veterem Iamprotam Coloniensibus cognitam, qui deinde expletus inter domum ad lacum, & quendam paludem, Sacello in honorem Martyris extructo ornatus est. Porrò, S Martyris lipsana Tremoniam, antiquam ciuitatem, & comitatū translata, magno honore coluntur. Vbi Magistratus, etsi Lutherani Pseudo euangelij erroribus deceptus, sacrum verticem argentea herma inclusum honorificè conseruat. Meminit S. Rainoldi* Hugo Menardus, *qui Rainaldū vocat, &* Ferrarius in Catalogo generali. *Miracula enumerat* Bollādus.

VII IAN. S. CANVTVS IVNIOR LAVVARDVS REX OBOTRITORVM, DVX SLESVVICENSIS.

Martyrologium Romanum VII. Idus Ianuar. *In Daniâ, S Canuti Regis & Martyris.* Baronius in Notis, De eo plura Saxo Grāmaticus historiæ Danicæ lib. 13. Ioannes Magnus histor. Gothicæ lib. XVIII. cap. 11. 12. 13. Floruit temporibus Gregorij VII. Rom. Pontif. Anno 1080. Plures alios auctores ac Martyrologia producit Ioannes Bollandus, qui quæcumque de Rege Canuto tradita sunt diligenter collegit. Militē fuisse CANVTVM bella quæ gessit satis declarant, de quibus Auctores antea nominati, & alij apud Bollandum.

Vt

Vt Miles describitur in Breuiario Slefwicensi, vbi hæc habetur Oratio, virtutes bellicas complectens, vt vitæ compendium.

B. KANVTVS Regis Erici filius, DEI dispositione factus Dux Iuriæ, posuit super femur gladium suum. Inuasores regni dissipat, perdit raptores, & fures suspendit, & in breui ab omni persequutione patriam suam liberauit. In omnibus prosperè egit, quia manus Domini erat cum eo. In Diuinis deuotus extitit, & curiosus: in secularibus strenuus & curialis. A DEO & hominibus iure dilectus erat. Vnde Magnus Regis Nicolai filius, excæcatus inuidiâ, Ducem dolo de terrâ delere voluit. Contigit interim, vt Dux Regi tunc accusaretur. Tunc & Rex falsis fauens suggestionibus, his caussis consilio Ripensi ipsum aggressus est. Tu contra consuetudinem terræ noua quædam induxisti, & in Slauia contra me nomen Regis vsurpasti. Super quibus Rex suis responsis auditis (quia simplex erat, & citò moueri non potuit) delatoribus derogauit, commendans opera Ducis, quia erant valdè bona.

CVM in illo tempore imminente die Natalis Domini Regis Curia esset Roschildiæ celebranda, & Dux *Kanutus* ad festum inuitatus ire festinaret, vxor eius rei euentum præcogitans, hortabatur illum iter omittere. Sed cordis innocentiâ viro iusto, eundi proposuit securitatem. Transfretans venit ad Curiam Regis, vbi cum honore receptus est. Magnus igitur, cui *Kanutus* se tutius committebat, meditabatur die ac nocte, quò eum neci traderet. Huius perfidi Henricus Schatelar fretus consilio, tres Proceres confœderauit, in quibus præ ceteris malefaciendi habebat fiduciam. Deinde, tanquam familiarem suum Ducem consuluit, dicens: Frater fidelis præ cunctis mortalibus, cum te sine falsitate aliqua expertus sim, quædam negocia tuo consilio ordinare disposui: volo, vt in secretiori loco mihi solus solus obuies, vbi nemine impediente, quæ deliberanda sunt definire valeamus. *Kanutus* falsi fratris verbis fidem dedit, & respondit: Locum & tempus adsigna, paratus enim sum in omnibus tibi parere.

DIE autem altero Epiphaniæ Domini, summo diluculo, Magnus armatus, cum suis sequacibus ad siluam veniens, in qua fratricidium perpetrare disposuit, doli nuncium ad Ducem direxit, mandans ei, vt quod fideliter spoponderat, cum festinatione adimpleret. Igitur S. KANVTVS ad locum properans, perfidum per saltum vagantem solum videbat. Qui statim occurrens osculatur, amplexatur; pacis osculo Iudæ traditoris officio se obligauit dicens: Frater sedeamus illic. Sedens cum eo versipellem latenter sub toga loricatum perpendens dixit: Frater bone, vt quid arma portas tempore pacis? Traditor respondit: inimico meo iuxta opus suum vicem reddere teneor, & ad vindictam ad præsens paratus sum. Iam scelus diutius celare non potuit, sed odiosè dixit. KANVTE, cuius est Dacia? Qui similiter respondit dicens: Frater cuius est Dacia, nisi patris tui & patris mei, quam diu DEO placitũ erit. Cui Magnus, non sic: omnes vadunt post te: tu tollis à nobis locum & gentem; & inter nos hoc modo melius di-

uidi potest. Circumspiciensque Dux vidit armatos,& ait: Fratres, scit qui omnia nouit, me tibi aut tuis verbo, vel opere, nunquam obfuisse. Et quare hoc fecisti? In hoc Sanctus surgere voluit, sed per cappæ caputium traditor cum indignè retrahens gladio ab aure sinistrâ in dextrum oculum caput scidit, & cerebrum denudauit. Deinde, ceteri lanceas in latere eius fixerunt, & Martyrem Christi fecerunt.

MIRETVR *fortasse quispiam*, inquit Bollandus, *cur Martyr dicatur* KANVTVS *cum nec fidei, nec iustitiæ caussa, licet innocens sit interfectus. Verùm alij quoque, haud pauci, qui ab improbis hominibus nefariè erant occisi, Martyres habiti sunt, & nominati in Martyrologijs. Et fuit virtutis exercitatio fauorque Numinis caussa odiorum Magni aduersus Canutum, vti aduersus Abelem Caini.* IN Breuiario antiquo Ecclesiæ Slesvvicensis, hæc in festo S. Canuti recitatur. Oratio DEVS *in cuius fide gloriosus Dux* Kanutus *firmiter incedens vita innocenti violenter subtrahitur; præsta quæsumus, vt sicut ipse immerita morti addicitur, mortem quam meruimus, eius meritis ac precibus euadere mereamur.*

VII. IAN. S. CANVTVS *Senior*. Duo fuêre Canuti Reges in Sanctorũ numerũ publicâ Ecclesiæ auctoritate relati. Prior tabulis Romani Martyrologij ad VII. Idus Ianuarij inscriptus, colitur X. Iulij. Et hic est *Senior*. Huius autem nepos ex fratre, non filius fuit, vt existimat *Baronius* ad Annum M.C.LXIV, qui *Iunior* idcirco nominatus est antea à nobis. Genus Canuti vtriusque fusius Danicarum rerum Scriptores deducunt: breuius Bollandus VII. Ianuarij. Hic sat sit indicasse, Duos fuisse Canutos, ambos armis potentes, & strenuos Duces, nec minus SANCTOS MILITES, quàm prudentes patriæ moderatores.

VIII. IAN. SANCTI MIL. & MARTYRES INTERAMNENSES, CLAVDIVS. CARBONANVS. TIBVDIANVS. PLANIVS.

Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Rom. non sunt, VIII. Ianuarij. *Apud Interamnam Vmbriæ, SS. Martyrum, Claudij, Carbonani, Tibudiani, & Planij sub Claudio Imperatore.* De quibus in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex monumentis & veteri MS. Martyrologio Ecclesiæ Interamensis, ista tradit.

CVM Claudius Imperator impia in Christianos edicta promulgasset, ijque vbique ab eius Præfectis ad necem conquirerentur, CLAVDIVS militiæ Interamnensis Princeps, vnà cum CARBONANO, TIBVDIANO, & PLANIO Militibus, impij Imperatoris iussa paruipendens, Christianos in carceribus detentos fouebat, & cruciatos ad tormenta pro Christo fortiter ferenda animabat. Quapropter & ipsi, iussu Præfecti comprehensi, ac in Christi confessione constantes Martyrij palmam accepere, anno salutis CCLXX. Quorum corpora secundo ab vrbe Interamnensi lapide, vbi nunc S. Zenonis extat Ecclesia, apud torrentem sepulta sunt.

X. IAN. SANCTI XX. MILITES, cum S. *Iuliano, Basilissa, & Celso* passi.

CVM IVLIANVS post vario supplicio pro Christi nomine constanter alacriter-

criterque tolerata, iussu Præsidis in tetrum, squalidumque carcerem detruderetur, & Christus tenebras in lucem clarissimam, & graueolentiam carceris in suauissimum odorem converteret. Satellites numero XX. ab horrendâ mentis caligine ad lucem fidei conuersi pedibus se *Iuliani* prostrauêre, & scelerum suorum veniam postulantes, Christo nomina dedêre. *Iulianus* autem, vt nouellos Christi tyrones Sacro-sancto lauacro expiaret, & contra Tyranni rabiem inuictos redderet, intenso Orationis studio laborabat. Nec defuit nouo Martyris orationi miraculo DEVS: nam diuinitus factum est, vt à Sacerdote, cui id mandauerat apparens Dominus, in carcere baptismatis aquâ abluerentur. Itaque *Iuliano* sociati, fortes in fide, constantesque in tormentis, capite pro Christo truncati sunt martyrio illustres. Quod subierunt Anno Domini 309. Eusebij Papæ I. sub Maximino in Oriente regnante. Anno iuxta Eusebium persequutionis per Diocletianum excitatæ, octauo vel circiter. Consule Baronium Tomo 3. Annal. Martyrologio 9. Ianua, Grasium, Bollandum, alios.

XII. IAN. SANCTI XL. MILITES AFRICANI. Martyrologium Roman. *In Africâ SS. Martyrum* Zotici, Rogati, Modesti, Castrili, *& Corona Militum xl.* Horum Acta haberi in Bibliotheca sua testatur Baronius in Not.

XII. IAN. S. BENEDICTVS BISCOPIVS de stirpe nobili gentis Anglorũ progenitus est. Is in adolescentiâ MILITIÆ rudimentis fuit addictus. Sed cum esset minister Osvvij Regis, & possessionem non modicam, ipso donante percepisset, caduca mundi omnia pro Christo spernens Romam adijt, vt ibidem Ecclesiasticâ informatus disciplinâ, MILITIAM assumeret spiritualem, quâ sibi prodesset & alijs, vtilisque minister in Dominicæ posset culturâ vineæ reperiri. Inde verò rediens apud Lirinensem Insulam se Monachorum cætui coniunxit, tonsuram accepit: vbi per biennium regulariter institutus ad Limina SS. Apostolorum Petri & Pauli iterum repedauit. Quo tempore cùm Papa Vitalianus Theodorum Cantuariæ Archiepiscopum in Britanniam destinasset, ipse simul adueniens, multas secum Reliquias Sanctorum reportauit.

QVI posteà Regi Northanhumbrorum Egfrido coniunctus; confestim Rex ei terram 60. familiarum ad construendum monasterium Apostolorum Principi Petro addidit, deinde aliud ad honorem Doctoris Gentium Pauli, prædijs ab eodem Rege 60. familiarum acceptis. Huic famulo DEI Benedicto Beda Venerabilis, & Doctor Anglorum traditus fuit nutriendus: sub quo etiam ad Ordinem Sacerdotis legitur promotus: quinquies Romam petisse asseritur, qui semper rediens, diuinorum locupletatus commodorum, subiectos instituere opere pariter & exemplo curauit. Tandem post vitam laudabilem victor vitiorum BENEDICTVS, confessor Christi pijssimus, carnis infirmitate victus pridie Idus Ianuarij spiritum reddidit Creatori. Successit ei in onere & honore Vir Sanctus & eiusdem discipulus Ceolfridus, sub quo Beda Christi famu-

lus, ad vniuersalis vtilitatem Ecclesiæ de Scripturis Sanctis laborem inchoatum laudabiliter adimpleuit.

Matthaus VVestmonasteriensis. Gulielmus Malmesburiensis. Beda Homil. de S. Benedicto Biscopio suo Abbate. Trithemius lib. 3. de viris Illust. Ordin. S. Bened. Ranulphus Cestrensis lib. 5. cap. 16. Nicolaus Harpsfeldius Seculo 7. cap. 37. Antonius Tepes in Chronic. Benedict. tom. 2. Cent. 3. Anno 703. Clemens Renerus de Antiquitate Benedictinor. in Anglia tract. 1. sect. 1. §. 9. Ioannes Capgrauius ex VVestmonasteriensi. Baronius Tom. 8. Annal. ad Ann. 703. num. 4. & 5. Ioannes Bollandus Tom. 1. XII. Ianuarii.

XIII. IAN. SANCTORVM XL. MILITVM. Martyrol. Rom. *Romæ via Lauicana* CORONÆ *Sanctorum Militum Quadraginta, quas sub Galieno Imperatore pro confessione vera fidei percipere meruerunt.*

XIII. IAN. S. GODEFRIDVS COMES CAPPENBERGENSIS. Eidus Ianuarij illustrat beati natalis sui splendore Diuus *Godefridus Cappenbergensis*, candidus Præmõstratensis Cænobita. Eum quidam de Altenana, vel Comitis Vbiensis familia, ex intermontio vbio trans Renano faciunt. Hic dum esset ante conuersionem, Cappenbergensis Comes potentissimus Imperatori Henrico consanguineus, Militum suorum prædantium bonus ipse Miles, licentiam vehementer frænabat, gnarus Militum prædam Ducis esse furtum. Motus autem fama rerum. & vitæ S. Norberti, eius videndi & sequendi jam tum desiderio diuinitus concepto gauisus, venit ad Virum DEI, & eius cælesti facundia permotus, repudiata Seculi MILITIA, honorumque titulis, CHRISTI bonus MILES factus CRVCIS ignominiam est amplexus.

TVNC Beatrici coniugi suæ, Friderici Bellicosi Comitis Arensbergensis filiæ, sacrum velamen sumere, pijs & salutaribus adhortationibus persuasit. Et cum B. Ottone germano suo se omniaque sua DEO deuouit. Castrum Cappenberg, reiectis concambijs sibi ab Episcopo Monasteriensi oblatis, in cænobium cõuertit. Graues, quas à socero suo Friderico & alijs pertulit persequutiones, ob retributionem melioris vitæ pertulit. S. Ioannis Apostoli Reliquias impetrauit à Duce Sueuorum. Præter Cappenbergense fundauit alia duo Monasteria: Varlariense in Westphalia, & Elstadiense, seu Ilmstadiense in VVeterauia, non procul Francofurto. Tandem æternorum desiderio tabescens, lentâ ægritudine ad extrema vitæ perducitur: & nondum tricenarius placidissimè beatam animam exhalauit. Anno salutis supra millesimum centesimo & vigesimo, aut, vt alij XXVI. Honorio Pontifice. Secundum mortem suæ ex patruo Ottone nepti Gerbergæ Abbatissæ multa luce vestitum, & coronâ conspicuum se ostendit, quæ illa legentibus loquebatur: *Induit me Dominus vestimento salutis: & tanquam Sponsum decorauit me Corona.* Pulchrè profectò honoris cupidos alta conscendere *Godefridus* docet, qui Comitem in terris abiecit, vt in cælo Rex Christo conregnaret.

Ægidius Gelenius in Fastis Coloniensibus: ex vita quam Anonymus eius contemporaneus scripsit, & Nicolaus Serarius recensitam publicauit. Post hos Ioannes Bollandus congessit reliqua. A-

pud eundem est vita Godefridi metrica.

XVI. IAN. SANCTI IV. MILITES Romæ Martyres viâ Corneliâ. Ita habet Martyrologium Sancti Hieronymi nomine insignitum. Sed neque ipsorum nomina ibi, aut alibi exprimuntur, neque vllibi reperiuntur Acta ipsorum.

XVIII. IAN. SS. MOSEVS & AMMONIVS, *Milites Pontici*. Martyrologium Romanũ, *In Ponto natalis SS. Martyrum* Mosei & Ammonij, *qui cum essent* Milites, *primò ad metalla damnati, nouissimè igni traditi sunt*. Eadẽ habent, Beda, Vsuardus, Ado, Bellinus, Maurolycus. *Moseus* Notkero *Moyseus* dicitur. Adoni *Mosaus*; Maurolyco, & Felicio *Musæus*: *Animomus* verò Bellino & Maurolyco *Ammon*. MS. S. Hieronymi, *In Ponto ciuitate Asiæ, Mosei, Ammoni.*

XVIII. IAN. S. XXXVII. MILITES ÆGYPTII. Martyrologium MS. Monasterij S. Martini Tornaci, & Lætiense. *In Ægypto* XXXVII. *Militum, qui in quattuor partes diuisi, iussi sunt interfici. Ita, vt qui in parte Orientali segregati erant, igni traderentur. Septentrionales verò capite plecterentur: Meridiani autem cremarentur: illi, qui de Occidentali constiterant parte, Passioni Dominicæ traderentur.* Nomina sunt. 1. *Paulus*. 2. *Pansius*. 3. *Dionysius*. 4. *Thenius*. 5. *Horpresius*. 6. *Horus*. 7. *Dionysius*. 8. *Ammonius*. 9. *Bessammonius*. 10. *Agatho*. 11. *Recumbus*. 12. *Bastamus*. 13. *Sarmata*. 14. *Proteus*. 15. *Orion*. 16. *Collutus*. 17. *Didymus*. 18. *Plesius*. 19. *Aratus*. 20. *Theonas*. 21. *Hippeas*. 22. *Romanus*. 23. *Saturninus*. 24. *Pinutus*. 25. *Serapion*. 26. *Bastammonius*. 27. *Papa*. 28. *Pantherus*. 29. *Papias*. 30. *Dioscorus*. 31. *Hero*. 32. *Potamon*. 33. *Ptibecus*. 34. *Oecomenus*. 35. *Zoticus*. 36. *Cyriacus*. 37. *Ammonius*.

AN hi propriè *Milites* fuerint, in Militia corporali exercitati, & albo Militũ corporalium inscripti: An verò *Milites metaphorici & Spirituales*, Presbyteri, Diaconi, alterius-ue Sacri Ordinis; & fortasse simul instituti ad pietatem, in quopiam, vt ea ferebant tempora, Monasterio, vnde diuiserunt Ægyptum in quattuor partes, & magno cõsensu Euangelium promulgabant, meritò ambigas, inquit *Ioannes Bollandus*, Tomo II. Ianuarij XVIII. vbi etiam Acta eorum leges.

XX. IAN. S. SEBASTIANVS. Martyrologium Romanum, S. Hieronymi, Vsuardi & plurimorum aliorũ XIII. Kal. Febr. Romæ ad Catacumbas S. SEBASTIANI *Martyris, qui Diocletiano Imperatore, cùm haberet Principatum primæ cohortis, sub titulo Christianitatis, iussus est ligari in medio campo, & sagittari à militibus, & ad vltimam fustigari, donec deficeret.* Eadem Bellinus prædicat. Copiosius Beda, Ado, Rhabanus, Notkerus, alij, tali elogio.

S. SEBASTIANI Martyris, qui in tantum carus erat Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, vt Principatum ei primæ cohortis traderẽt. Quem Diocletianus vbi Christianum cognouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo, quasi signum ad sagittam, & sagittari à militibus. Qui cùm sagittis plenus quasi hericius staret, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autẽ veniens quædam mulier, nomine Irene, tollere corpus, inuenit eum viuum, & adduxit eum in domum suam, & curam eius egit.

 Qui

Qui vbi conualuit multos in fide cōfortauit. Nec mora: ipsis Imperatoribus apparens, hos, prout digni erant corripuit. Tunc iussit eum Diocletianus in hippodromum palatij duci, & fustigari donec deficeret: quem mortuum in cloacam maximam miserunt: Sed ille apparuit in somnis Sanctæ matronæ Lucinæ, dicēs: iuxta Circum inuenies corpus meū pendens in vnco: hoc sordes non tetigerunt, & dū leuaueris, produces ad Catacumbas, & sepelies me in crypta, iuxta vestigia Apostolorum. Quæ ipsa nocte veniens cum seruis, ita compleuit.

QVOD dicatur S. Sebastianus sub *Titulo Christianitatis* iussus ligari & duci, hoc explanat Baronius ex Eusebij lib. 5. cap. 1. vbi isthæc habentur: *Cum per Amphitheatrum circumduceretur, tabulâ in qua Latinis litteris hæc erat Inscriptio.* HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS *eum præcedente.* Eò adducit truculentum Caligulæ factum, simul Romani moris, simul belluinæ immanitatis, sed in Christianos sæpe numero ab impijs exercitæ argumentum: quod Suetonius cap. 32. narrat. *Romæ publico epulo seruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, vt manibus abscisis, atque ante pectus à collo pendentibus præcedente titulo, qui caussam pœnæ indicaret per cœtus epulantium circumduceretur.*

S. SEBASTIANVS ECCLESIÆ DEFENSOR. DEFENSORIS Ecclesiæ illustre quondā fuit Romæ munus vt ex S. Gregorij Magni epistolis liquet: Regibus etiam quandoque honoris gratia delatū à Pontificibus: quamquam nōnulli ambitiosius adipisci eiusmodi vocabulorū decora, quàm exequi meritis nituntur, inquit Bollandus. Quæ eius dignitatis partes fuerint, Baronius tomo VI. Anno 594. num. 16. & Iacobus Gretzerus Obseruationum ad Georgium Codinum lib. 1. cap. 5. edisserunt. Primus id nomenclaturæ honestamentum tulit S. SEBASTIANVS, nec inane, quippe, virtute commeritum, ornatum deinde *constantia ac Martyrij* gloria.

ELOGIVM

S. SEBASTIANI MILITIS ET MARTYRIS.

Ex Actis, Auctore S. Ambrosio.

SEBASTIANVS Vir Christianissimus, Mediolanensium partibus eruditus *ciuis verò Narbonensis, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ita carus erat, vt Principatum ei primæ cohortis traderent, & suo eum conspectui iuberent semper astare. Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, in interuentu strenuus, in bonitate conspicuus, in vniuersâ morum honestate præclarus: Hunc Milites ac si patrem venerabantur: hunc vniuersi, qui præerant palatio, carißimo venerabantur affectu. Erat enim verus* DEI *cultor: & necesse erat, vt quem* DEI *perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Christo quotidie sedulum exhibebat officium; sed agebat, quatenus hoc sacrilegis Regibus esset occultum, non paßionis timore perterritus, nec patrimonij sui amore constrictus, sed ad hoc tantum sub chlamyde terreni Imperij Christi Militem agebat* (al. Militiam abscondi-tam) *vt Christianorum animos, quos inter tormenta*

tormenta videbat desicere, confortaret, & DEO redderet animas, quasi Diabolus conabatur auferre.

ELOGIVM

S.SEBASTIANI MILITIS ET MARTYRIS.

Ex Fastis Marianis.

ANNO *post Christum natum* LXXXVI. *supra* CC. *Marcus & Marcellianus Christiani Milites ad defectionem vehementer à parentibus solicitabantur. Enimuero interponere se hic* TRIBVNVS SEBASTIANVS, *turpemque à tam Sanctis castris fugam omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælum applausit piumq; Oratorem lumine suo vestijt, simul vox insonuit eiuscemodi:* Numquam non mecum eris. *Ab eo tempore non iam fictum Æsculapium Romam habuerunt. Ita omnes morbos pellere* SEBASTIANVS; *ita doctè, dum corpori medicinam faceret, animum quoque morbidorum ad sanam fidem adducere. Inter hos cum iam Vrbi etiam Præfectus Numeraretur, imperio Diocletiani malè sani Medicum suum sagittis suis confodiunt. Confessum & propè exanimem negligunt. Sed qui* SEBASTIANI *manu curare alios voluit sui* SEBASTIANVM *non possit? Immò verò adest incolumis, & sub aspectum Tyranni iterum se sistit. Mox tamen inter fustuarium fortem animam expirat: corpusq; in cloacam abiectum Lucinæ cumulandum committit.*

S. SEBASTIANI cranio hodie Ebersperga Boiorum gloriatur, magnâ semper illuc confluentium religione, longè tamen maiori recedentium, vbi votorum damnati sunt, lætitia. Plura omnis generis de S. *Sebastiano* collegit, & in capita digessit Ioannes Bollandus Tomo secundo. Legendi *Surius* 20. Ianuar. *Lippelo*, *Grasius*, *Hareus*, *Baronius* Not. ad Martyrol. & in Annalib. Anno 286. Maurolycus, Galesinus, Molanus, & alij, qui vitas Sanctorum descripserunt, vel illustrarunt.

XX. IAN. SANCTI BASSVS EVSEBIVS. EVTYCHIVS. BASILIDES. Horum natalis colitur à Græcis XX Ianuarij. Vixerunt Diocletiano Imperium gerente, opibus, ac Senatoria dignitate conspicui. Christo verò conciliati, eiusque imitati sunt baptismate, cùm Theopemptum Episcopum vidissent diros superare cruciatus, mirandaque prodigia Christi virtute edere. Sistuntur ergo propterea Imperatori, & primùm *Cingulo Militaribus* spoliantur, atque inde varios sortiuntur vitæ exitus. Ac S. *Basso* quidem in Scrobem femorum tenus inserto, præsectæ manus, corpus omne concisum, sicque Spiritum exhalauit. S. *Eusebius* capite suspensus particulatim securibus discinditur. S. *Eutychius* quattuor palis violenter extensus, trifariam discerptus est. S. *Basilidi* verò dissectus machæra venter est. Atque ita Martyrij coronam adepti sunt quattuor isti SS. MILITES. De quorum supplicio hæc accipe ex Menæis Græcorum.

Manus Basso *amputant carnificum manus;*
Manus profana sacratas manus.

Sectus securibus Eusebius *omnia membra*
In orthodoxâ fide inuiolabilis permanet.

Eutychium *in partes distraxerunt tres,*
Diuinas Person as honorantem Tres.

Excla-

Excludi dum recusat Basilides
Sorte pugilum, venter ei disrumpitur.

Hæc eadem habet Ioannes Bollandus Tomo II. Ianuarij xx.

XXII. IAN. WALTERVS DE BIRBEKE.

Miles, deinde Monachus Ordinis Cistercienfis, in Monasterio Hemmenroda.

MEMBRVM I.

WALTERI MILITIA SECVLARIS.

I. VV Aalterus de Birbaco villa Brabantiæ Gallicanæ oriundus extitit, vir diues & nobilis valdè: qui cùm adhuc ætate florês esset Militiæ seculari deditus, atque in ea strenuus satis atque nominatus, Dominam Nostram Sanctam Dei Genitricem Mariam ab ipsa pueritiâ cæpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere; atque ieiunijs & eleemosynis, ac Missarum celebrationibus, pro suo modulo honorare: & licet adhuc corpore deditus esset torneamentis, corde tamen totus erat in obsequio B Virginis.

II. Tempore quodam cum præpararet se ad quoddam torneamentum Milites habens in comitatu, venissetque ad Ecclesiam quandam, illos vt Missam audire vellent, hortabatur, quod cùm recusarêt moram tantâ sibi periculosam esse, prætendentes, in Ecclesia mâsit, Missamque sibi de B. Maria câtari fecit & obtulit, sicque socios insequutus est. Cui, cùm aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit ipse: Estne adhuc inceptû? Dicentibus illis, Etiâ, adiecit: Quis fortius ibi agit? Responderunt. Dominus Walterius de Birbaco: ipse in ore est omniû, omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur, Alijs quoque occurrentibus, & similia dicentibus, obstupuit, & mirabatur, quidnâ hoc portenderet? Actû autê est hoc ineffabili pietate B. Mariæ V. vt Militê deuotû in obsequio suo tardâtem interim in torneamento honoraret, eiusque absentiâ mirabili quadâ virtute suppleret. Veniens tandem ad locum armauit se, & intrauit, sed nihil magni illic egit. Ludo verò expleto quidam ex Militibus hospitium eius intrauerunt, & vt secû mitius ageret supplicauerunt. Quibus, cum diceret, quæ est caussa petitionis vestræ? Respôderunt: Hodie cepistis nos, & rogamus, vt bonè nos tractetis: V Valtero negante & dicente: Ego Vos non cepi, responderunt: Hodie cepistis nos: & in rei veritate, nos hodie dextras Vobis dedimus: nos signa vestra militaria ibi vidimus: nos vocem vestram ibi audiuimus. Et cognouit statim Vir nobilis hoc actum fuisse gratia B. Mariæ V. quam honorauerat in Missa, quam de ipsa cantari fecit, & audiuit.

III. Cvm alio quodâ tempore idem V Valterus ad Torneamenta côsueta se conferre vellet, & prius inter multos stâs Missâ audiret, Sacerdos celebrans, vt in Canone Calicem leuauit, Crvcem aureâ sub eius pede conspexit: cui annexa fuit chartula hæc continens verba: Crvcem hanc defer ex parte mea (Mariæ scili-

(scilicet Matris Christi) amico meo VValtero Militi de Birbach. Quā cū Sacerdos legisset, post completionem Missæ pulpitum ascendit, & exclamauit: Est-ne hic aliquis Miles, qui vocatur VValterus de Birbaco? Respondentibus quibusdā: Ecce hic est, Sacerdos eū seorsū duxit, CRVCEM porrexit, & vbi illam inuenerit, vel quis miserit, intimauit. Quam ille gaudēter suscipiens, posteà in Hemmenrode cōuersus, eā Abbati illius loci resignauit. Deinde Comitissa Hollādiæ, missis illuc honestis nuncijs, eandē CRVCEM sibi dari petunt, & tali modo obtinuit. Cùm enim Cōuentus præfatis nuncijs respōderet: Non possumus eam dare, nisi ut voluntas Fratris VValteri spectantes, quod non annueret requisitus de hoc. Ipse autē respondit. Ego nihil proprietatis habeo, penes Abbatem est. Sicque dolentes eam Comitissæ transmisserunt. Cuius aurum tanti fulgoris est, vt omne aurum in eius comparatione, pallescat. Quam Comitissa lætanter accipiens, inter Reliquias suas posuit, eadem vti non *præsumens*.

MEMBRVM II.
DEVOTIO ERGA DEIPARAM.

VVALTERVS adhuc in seculo positus, cernens tanta circa se B. DEI Genitricis beneficia, in tantū illius amore accēsus est, vt in quadā paupercula Ecclesia, in ipsius honore dedicata, cōscio Sacerdote, fune collo suo iniecto SERVVM glebæ se illi super Altare offerret: soluens singulis annis censum de capite suo, qualē serui originarij soluere cōsueuerunt. Et, quia propter honorē Reginæ cælestis se adeò humiliauit, ipsa è conuersa dilectum suum, etiam in hac vita multiplicibus modis glorificauit.

SOLITVS fuit VVALTERVS in Vigilijs omnium solemnitatum B. DEI Genitricis ieiunare in pane & aqua. Sæpe etiam sextis ferijs ob reuerentiam Sabbati. Contigit autem die quodam, cum seruus ieiunanti paruulum vas fictile cum aquā obtulisset, diuinam virtutem conuertere aquā in vinū optimū. Quod cùm gustasset VValterus, seruū secretò vocauit, & arguit, dicens, sibi vinū pro aqua ministratum. Quod cùm ille negasset, asserens se hausisse aquā de situlā, nihilominus vas recepit & effudit. Sicque aquâ purissimâ repletum, vt securus esset, prægustauit, & postea domino suo rursus ostendit. De quo cùm gustasset, sicut prius, vinū inuenit; & mox seruo iratus, sic ait: vt quid mihi illudis? en secūdò vinū pro aqua mihi deferēdo? Ad quod verbū stupefactus seruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primum intelligens Gualterus, ex multa misericordia DEI Genitricis hoc miraculum circa se gestum, eundē seruū adiurauit, ne illud vnquam alicui hominum, quam diu ipse viueret manifestaret. *Ex quo colligitur*, inquit Cæsarius, *quod non erat cupidus inanis gloriæ*. Seruus verò tanti particeps miraculi fuit Frater Arnoldus, qui cum eo postmodum intrauit Ordinē Cistercensium, vir sanctus, ac multū ordinatus, ac tandem in monte Stromberg sepultus: qui antequam moreretur, miraculum ad DEI gloriam publicauit, ti-

mens de thesauro occultato post mortem reddere rationem.

Ex affectu tenerrimo erga DEI Genetricem, factum est, vt, cum adiecisset VValterus, animum ad statum religiosum, audiens Ordinem Cisterciensem B. MARIÆ V. dedicatum, omnia, quæ sunt huius mundi reliquerit, ob amorem illius, & in claustro, quod dicitur Hemenrode, cuius tũc tẽporis fama clarissima fuit habitũ religionis susceperit. In eo cœnobio quam humiliter sit conuersatus, quàm feruens fuerit ac deuotus, & in obedientia præcipuus, atque in obsequijs B. M. V. quàm solicitus, testes fuerunt eius temporis Monachi eiusdem monasterij. Psalteriũ, hymnos, & cantica de Domina Nostra, & orationes plurimas didicerat in probatione, quæ omnia studiosissimè frequentabat. Missæ quotidianæ, quæ in Cõuentu de Domina Nostrâ celebratur semper interesse voluit. Quicquid penè loquebatur, ædificatorium erat. Et quia non solũ verbis, sed aspectu etiã & odore famæ eius multi ædificabantur, Magister hospitũ creatus est.

MEMBRVM III.

RELIGIOSÆ VIRTVTES VVALTERI.

I. BENIGNVS admodum fuit in pauperes. Si iter faciebat, præueniebat egenorũ petitiones. Descendens ex equo, calceos sibi detrahebat, & dabat nudipedi. Discordantes concordabat: inobedientes exorabat: iracundos & impatientes ad cor reuocabat: tentatos exemplis plurimis, quæ semper ad manum habebat, alleuiabat. Quodam tempore cum vnus è fratribus conferret cũ illo de quodam verbo, in partẽ eũ traxit, & ait: Ego quoque magnas carnis meę patior tentationes. Vt enim alijs posset mederi proprias infirmitates illis nõ erubuit cõfiteri.

II. REQVISITVS quadam die, quid in mensa cogitaret eo quod non intelligeret lectionem? respondit. Ego habeo ibi lectionem meam. Quando manducare incipio, retracto mente Incarnationẽ Verbi in vtero Virginis: & ecce perfectũ est primum folium. Deinde, percurro Natiuitatem, Circumcisionem, Adorationem Magorum: posteà totam Christi Vitam per partes: denique Iudicium extremum. Talis est lectio mea quotidiana, cuius finis, finis est prandij. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lacrymæ, quas frequenter in mensa fundebat.

MEMBRVM IV.

VVALTERI OBITVS.

I. VT vixit, ita mortuus est, piè ac sãctè fide & caritate plenus, cõfessus atque contritus: B. DEI Genetrice ipsum vocante. Sicque de tenebris transiuit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium,

mium, de mundo ad patriam.

II. VOLVIT autem ostendere Dominus quanti apud eum esset meriti Matris suæ Dilectus: quare signis post mortem eum glorificant. Vnum alterumque circa Militem patratum excerpo. *VVinemarus* de Aldendorp Miles diues & honestus lecto totus paralyticus decumbebat, qui audiens hominem DEI vnicè sibi dilectum ad Dominum migrasse, mox nuncium ad Claustrum destinauit, per quem sibi defuncti sotulares (Cæsarius *cothurnos*) trãsmitti supplicauit. Missi sunt ei noui, & mox remissi, eò quod intellexisset, eos Domini VValteri non fuisse. Mox per eundem nuncium boti (*ocrea*) viri DEI satis veteres ei mittuntur, quos infirmus cum fide ac deuotione suscipiens, statim, vt manus præ mortuas eis imposuit, beneficium protinus ex eis sensit. Simile factum est in pedibus. Ab illâ horâ cæpit manus leuare, & pedes erigere, ac totius corporis vires sensim recuperare.

III. ALIVS quidam Miles periculosum habens aposthema in pectore, audiens per memoratos sotulares tantam virtutem sanitatis ostensam in VVinemaro, vnum sibi transmitti petiuit & obtinuit, per quem, mox vt locum vlceris tetigit, plenè conualuit.

Vita ex Ms. Rubeæ vallis. Cæsarius Heisterbacensis qui cum illo vixit in libro Exemplor. & Miraculor. Ioannes Gentius, aut Ioannes Gilmannus, qui præfigit titulum: *Gesta D. VValteri de Birbaco, Militis, postea Monachi Cisterciensis.*

PETRVS de Latheu lib. de Memorabilibus sui temporis, sub annum 1383. de VValtero ita scribit. *VValterus de Bierbach celebris admodum in actibus militaribus, postmodum Religiosus fuit Ordinis Cisterciensis, monasterio de Hemmenrode: vbi ob vitam sanctè actam canonizatus est & Anno Domini M. cc. XXII. obijt.* Proponuntur sanè eius imagines palam cum titulo *Beati.*

Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi XXII. Ianuar. *In Germania* B. VValterus de Bierbatt, *sanguinis splendore, & Sanctitatis titulo celeberrimus; qui seculari Militia valedicens, in Hemmenrode canobiticam vitam amplexus est, &, à* B. *Virgine, quam summo colebat affectu, celestibus fauoribus nobilitatus, multis etiam miraculis illustris obdormiuit in Domino & in Sanctorum numerum fuit relatus.*

Plura de eodem habet *Ioannes Bollandus* Ianuarij XXII. apud quem reperies singillatim omnia eius miracula, & quæ ad genus illius, vitæ sanctitatem, & ad mortem spectant.

XXII. IAN. S. ANASTASIVS PERSA. *Miles, Monachus, Martyr.*

ANASTASIVS, proprio nomine apud suos MADVNDAR, in Perside natus, filius fuit celebris Magi, à quo artem magicam didicit. Factus autem iuuenis, in Militiam se contulit, & Tyro militauit cum multis alijs sub Cosroë Imperatore, qui Sanctæ CRVCIS pretiosissimum Lignum in Persiam auexit. De qua, eiusque virtute mirifica cùm multus esset sermo apud Christianos, Anastasius multa de ea audiuit, animo impressit, & diligenter perpendit: quibus permotus, diuino instinctu statuit Christianam religionem amplecti. Quod superatis difficultatibus perfecit; & post varios casus venit Ierosolymam, vbi deposito profanæ militiæ baltheo, baptizatus est, & in monaste-

Cc 2 rio,

rio, quod quarto milliario distat à Sancta ciuitate, in Monachum tonsus, Christo militare cæpit. Fecit autem ibi omne ministerium, & per omnia officia pertransiuit, placens omnibus. Erat etiam sedulus valdè in ministerio Fratrum & opere manuum, ac præ omnibus in regula monachica intentus, ac in Missarum solemnijs frequens.

PORRO, assiduè legebat in cellâ secretius certamina & agones SS. Martyrum: quare quotidie lacrymas effundebat, & rogabat Dominum, vt se ad martyrij palmam vocare dignaretur: sicq; septennio integro perseuerauit. Interim tentatus fuit grauiter recordatione artis magicæ: quam tentationem superauit postquā illam Abbati manifestasset. Cui etiā somnium retulit, quo monebatur de subeundo martyrio, commēdans se Abbati, ceu breui moriturus. Itaque Martyrij desiderio proficiscitur, inciditque in magos, quos arguit exercentes artem magicā, & se Christianum professus fuit. Quocirca comprehensus, accusatus, tortus, postquam firmus in fide, insultasset tortoribus, & risisset Persarum deos, in carcerem conijcitur vbi dira multa pertulit: tandem eductus iussu Imperatoris, cum LXX. alijs Christianis; his in conspectu eius strangulitatis, cum nihil verbis proficerēt impij, vt Christum abnegaret, & militari gloria in palatio honoraretur; dixit ad Satellites & lictores: Ego optabam membratim concidi à vobis propter amorem Christi: quia verò ista est mors quam minamini, nempe strangulari) gratias ago Domino IESV Christo, quia per modicum dolorem facietis me participē gloriæ Sanctorum eius: & ita cum multo gaudio atque alacritate laqueum suscepit, ac simili morte cum socijs LXX. defunctus est. Postquam autem suffocauerunt eum, absciderunt eius gloriosum caput.

Hoc est Venerabile illud caput Anastasij Martyris, quod posteà Romam fuit delatum, vnà cum veneranda eius Imagine, cuius aspectu fugari Dæmones morbosque curari Acta II. Concilij Nicæni testantur. Miracula autem plurima recenset Scriptor Anonymus, quæ ex veteri Græco MS. Latinè reddita attexuntur eius Actis. Missis alijs, duo appono, quia sunt Sancti Militis in Milites ad se confugientes beneficia.

PRIMVM. Constructo Venerabili Tetrapylo nomine S. Martyris Anastasij eo perfecto euenit miraculum dignum commemoratione circa Militem. Mense Martio ineunte, solemne quoddam inualuit apud Milites institutum, vt equos ornent, atque in campum ingrediantur, seq; exerceant, ac veluti specimen quoddam edant militaris conflictus. Quo peracto contigit quendam Militum, cum alio equorum cursu contendere; & iam ad constitutum locum cupiens equum refrenare, & detinere, non poterat. Vt igitur per mediam ciuitatem ferebatur, propius ad venerabile tetrapylon accessit; & neque respirare iā valens, neque illius impetū sistere, irruit in prægrādē erectū lapidē, in cuius aduersa parte duo erant pueruli. Et corruit equus ipso loco, miles verò deiectus est: at lapis fractus est & sub se puerelos oppressit. Rē hanc, aut scelus potius machinatus improbus Dæmon

mō, successū tamen optatū non habuit, benignissimo Deo per Sanctum suum dignam illi confusionem, & pœnam irrogante. Neque enim Miles ex equo deiectus incommodi quippiam accepit; neque equus prolapsus, neque pueri sub lapide deprehēsi. Ita sapiente illâ ac benignâ Prouidētia misericorditer gubernāte genus nostrum, etsi, vt plurimum immensis criminibus onerati simus, & adhuc vsque in seculum mirabilia operante in nobis per Sanctos Martyres.

SECVNDVM. Miles quidam ex decimo quinto bando Illyricianorum extrema ex hepate perpetiens quattuor annorum spacio, cum in multos medicos vitam ferè exhausisset, nihil profecerat. Audiensue à Seniore quodam eiusdem secum bandi de S. Anastasio, ad eum confugit. Dicit ei Senior: Si credis DEO S. Anastasij præbeo tibi apomyrisma, & conualesces. Ille cum fide sermonem suscipiens, apomyrisma poscit, eoque accepto, abit ad paracheimadium (a) suum, siue stationem hibernationi adsignatam: atque intra quattuor menses reuersus est Miles sanus, gratias agens DEO & S. Martyri.

(a) παραχειμάζω, *hiberno*. χεῖμα *hiemis*.

ACTA *ex veteribus Latinis MSS. & ex Græco Latinè reddito, habet* Bollandus *Tomo* II. XXII. *Ianuar. Legendi*, Baronius *in Not. Martyros. & Tomo* VIII. *Annal. Ann.* 627 *à num.* 20. Simeon Metaphrastes. Lipomanus. Surius. Lippelous. Marchantius. Ribadeniera. Villegas. Sanctorius. Ortiz. Lucius Fabricius Petrus Thomas Saracenus. Beda de sex ætatibus. Vincentius lib. 23. cap. 14. Petrus de Natalibus lib. 2 cap. 113. Trithemius lib. 3. de viris Illustrib. Ord. S. Benedicti cap. 68. alijque Martyrologi. *Si quæras, cuius instituti, vel Ordinis, fuerit Religiosus? Circumfertur bellè sculpta imago cum hac epigraphe:* Vera effigies

S. ANASTASII Mar. Ordinis Carmelitarum; cuius aspectu fugari Dæmones morbosque curari Acta secundi Concilij Nicæni testantur.

XXV. IAN. SS. IVVENTINVS & MAXIMVS: vel, MAXIMIANVS.

MARTYROLOGIVM Romanum XXV. Iannuar. *Antiochiæ SS. Martyrum* Iuuentini, *&* Maximi *qui sub Iuliano Apostata martyrio coronati sunt. In quorum die natali S. Ioannes Chrysostomus Sermonem ad populum habuit.* Ex quo constat, post natalem diem S. Babylæ, in Antiocheno Ecclesiâ de his Martyribus fuisse actum: Fuerunt hi Romani MILITES, quorum certamē describit Theodoretus histor. lib. 3. cap. 14. & *Antiochia*, inquit, *velut strenuos pietatis Athletas hos venerata, magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsque diem quotannis festo publico honorificè celebrat*: nimirum, septuaginta circiter postquam trucidati fuerant annis.

Nicephorus lib. X. histor. Eccl. cap. 11. *Hos*, inquit, *Antiochena ciuitas, vt egregios Pietatis propugnatores meritò, non solum vrna sacra honorauit, verum etiam magnificè anniuersaria memoria consecrauit.* S. Chrysostomus Tom. IV. Operum editionis Græcolatinæ homil. 4. de Lazaro, appellat eos συνωρίδα, siue *Bigam Sanctorum Martyrum.* Idemque die eorum natali, vix viginti post cædem eorum annis, quæ iuuenis ante videras, sermone ad populum habito complexus est, Qui *Maximus*, aut

Maximinus, ab alijs MAXIMIANVS vocatur. Sic autem orditur S. Chrysostomus homilia XL.

HERI B. Babylas cum tribus Pueris hic nos congregabat: hodie verò par Sanctorum MILITVM in acie exercitus Christi ostendit. Heri quadriga Martyrum, hodie biga se exhibet. Impar eorum est ætas, sed par fides: varia certamina, sed eadem fortitudo: illi tempore superiores, isti recentiores. Tunc eleganter narrat fraudulentum Iuliani ingenium, quo in persequutione vsus, mouere Christianis bellum manifestè nolebat: omnes enim, aiebat, ad martyrium, quasi apes volabunt, sed varijs modis vexabat, alijsque titulis cruciabat. Medicos & Oratores omnes, vel à professionibus suis discedere, vel fidem suam abiurare iubebat. Hinc summa fuit vbique calamitas. Intereà accidit, vt Milites quoddam haberent conuiuium, in quo erant *Iuuentinus* & *Maximus*. Ceterùm, vt conuiuiorum mos est, cùm varij sermones hinc inde dicerentur, alijque alia tractarent, Martyres illi nostri mala sui seculi inter se deplorabant, longè feliciora fuisse superiora asserentes, dicebantque inter se, & ad Sodales. Quem iuuaret vltrà viuere, vel spirare, vel solem intueri, sacris legibus sic conculcatis, pietate ita violata, creaturarum omnium Domino ita contempto? Omnia nidore plena sunt & fumo, omnia sacrificijs immundis referta. Proh! neque purum aërem spirare possumus. Addunt Theodoretus & Nicephorus, ab eis recitata quoque hæc verba, quæ Pueri tres olim in fornacem Babylonicam conjecti pronunciauere: *Tradidisti nos Regi iniquo, qui Te deseruit supra omnes gentes terræ*, Daniel. III. 31.

DICTA hæc ne perfunctoriè transeas, inquit Chrysostomus, sed considera, quando ea loquuti sunt, & quanta pietate. Nam si in Militari conuiuio vbi regnat ebrietas & intemperantia, vbi certatur de prodigalitate, vbi agon est stuporis & insipientiæ, sic ingemiscebant, & lugebant, quales erant domi, cùm soli inter se agerent? Quales erant in precibus & ieiunijs, qui deliciarum tempore tam humiliati, & tam Apostolica præ se ferebant pectora. Labebantur alij, hi verò lugebant: impiè agebant alij: hi verò vrebantur. Sanè ipsi ob fratrum infirmam valetudinem suam sanitatem non sentiebant. Sed dolebant, & lacrymabantur in malis, quæ tunc fiebant, quasi vniuerso mundo tutores dati essent. Neque clandestinum fuit talia eos dixisse. Nam ex sodalibus & conuiuis adulator, & irrisor quidam, obsequium Regi facturus, omnia, vt dicta erant detulit. Rex accepta occasione iam diu quæsita, caussatus est ex verbis illis affectatam tyrannidem vt ita martyrij coronâ priuaret, & iussit, confiscatis eorum facultatibus omnibus, nudos eos in carcerem conijci. Illi autem gaudebant & exultabant, dicentes: Quid nobis diuitijs preciosaque veste opus, si & indusium intimum, vt empecaro, propter Christum exuendum est, non obluctabimur, sed sponte concedemus.

Theodoretus addit, eos ad Iulianum antè adductos, liberè quod sentirent, in signi quodam zelo mutatos dixisse: *Nos in vera educati religione, ô Imperator! & legibus imprimis præclaris, quas Constantinus, & eius filij tulerunt obsequuti, non possumus non grauiter*

grauiter & acerbè iam lamentari, cum videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta, tum poculenta nefandis & execrabilibus victimis contaminari. Ista nos & domi ingentem vim lacrymarum profundere, & coram te iam flebiliter conqueri coëgerunt. Ista solùm in tuo imperio nos malè habent. Eadem refert Nicephorus. Pergit autem S. Chrysostomus.

VT ingressi sunt in carcerem SS. Milites, confluxit ad eos omnis ciuitas, tametsi multis terroribus minis & periculis interdictum erat, ne quis vel eos accederet, vel eis loqueretur, vel quouis modo communicaret. Atqui timor DEI efficiebat, vt non curarentur ea Principis mandata. Vnde multi ob consuetudinem, quam cum Martyribus habebant facti sunt & ipsi Martyres. Multi enim contempta præsenti vita, frequenter eos visitando, sacras apud eos vigilias continuis psalmis perficiebant. Erant familiaritates illæ spiritualis eruditionis, atque consolationis plenæ. Et clausa quidem tunc est Ecclesia, carcer autem Ecclesia factus est. Neque hi solùm, qui eos visebant, sed & qui intus cum Sanctis illis Militibus tenebantur, maximam sapientiam & virtutem à patientia & fide eorum discebant.

Rex vt hæc audiuit, valdè stomachatus est. Cupiens tamen eos supplantare, & ab alacritate sua destituere, auaros quosdam homines & impostores subordinauit, qui, si quando priuatum colloquium sese offerret, eos accederent, non vt à Rege missi, sed quasi singulari compassione, & proprio consilio id agentes, & adhortarentur, vt à religione desistat, & ad impietatem transeant. Dicebant enim: Sic non solùm imminens periculum effugietis, sed maiori dignitate honestati, maiorem quoque principatum adepturi estis, Regis ira feliciter pacata. Nonne vidistis & alios vestri ordinis Milites idipsum fecisse? Quibus illi responderunt: Atqui nos hac potissimùm ratione viriliter stabimus, & pro illorum ruina nosmetipsos in sacrificia offeremus. Benignus & misericors nobis Dominus est: solet enim vno accepto beneficio toti orbi conciliari.

AT sicut olim tres Pueri in Babylone dixerunt: Non est in *tempore hoc Princeps & Propheta & Dux, neque sacrificium & incensum, neque holocaustum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam; sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, quasi in holocaustis arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium,* (Danielis 3.) ita & illi videntes altaria subuersa, clausas Ecclesias, Sacerdotes fugatos, fideles omnes in exilium actos, studebant, vt pro omnibus offerrentur Domino, relictisque Militaribus turmis. Angelicis sese choris adiungerent. Quocirca & dicebant; Quid? Etiamsi nunc non morimur, moriendum tamen omninò est, non multo post hac. Satius igitur fuerit mori pro Rege Angelorùm, quàm pro Rege tam impio. Satius fuerit pro patria cælesti Arma deponere, quàm pro terrena, & quam pedibus calcamus. Hic etsi quis moriatur pro Rege, nihil accipiet à Rege sua dignum fortitudine. Et quid posset homo defuncto præstare, si vel maximè vellet? Atqui eis sæpenumerò ne sepultura quidem contingit, & non rarò à canibus deuorantur. Quod si pro Rege

Angelorum mortui fuerimus, certi ſumus nos accepturos corpus multo gloriosius: maiori gloria conſpicui erimus: longè maiora erunt nobis laborum præmia. Proinde, arripiamus ARMA ſpiritualia: non opus iaculis & ſagittis, non alijs Armis, quæ ſub ſenſus cadunt: ſufficit pro omnibus lingua. Sunt enim & Sanctorum ora pharetræ, è quibus Diabolico capiti crebri & continui ictus inferuntur.

NVNCIATA ſunt hæc atque ſimilia, qui nec deſtitit; ſed illecebrarum eſcis iterum, atque iterum illos tentauit. Ita autem ſubdolus ille, callidus, ac ſapiens ad malè agendum mandabat; Quod ſi cederent victi, ſub omnium oculos producerentur, & efficeret lictor vt ſacrificarent; ſin fortes perſeuerarent, vt perduellionis rei educerentur, & occiderentur: neque vlla Chriſtianæ profeſſionis, ob quam tenebantur, fieret mentio. At qui reuelat profunda, & abdita, non permiſit vt machinationes illæ occultæ manerent, & ignotæ inſidiæ. Nam quéadmodum olim mulier Ægyptia Ioſephum in thalamo & ſolitudine multa apprehendens, licet ſperaret factum ſuum clam fore omnibus hominibus, non fuit tamen occulta, vel oculo illi ſoporis neſcio vel poſteritati. Quippe, quod abſque arbitro illa Ioſepho dixit, id nunc toto vbique mundo canitur: ita & ea quæ per ſubornatos ſuos conſiliarios doloſus Rex agebat, ſperans occulta fore nequaquam manſerunt occulta. Didicerunt enim poſteri omnes, & inſidias doloſas & Triumphantium MILITVM victorias Denique, cùm multo tempore exacto alacritatem eorum non ſolùm non frangeret multitudo dierum, ſed potius ſtudium & ardorem excitaret æmulatoresque multos faceret, iuſſit tandem Iulianus media nocte in barathrum eos abduci. Ducebantur autem in medijs tenebris luminaria, & decollabantur. Theodoretus ita habet; *Iuſſit graues & acerbas plagas iis imponi, atque ſic hac vita priuauit.* Nicephorus. *Diuerberari eos acriter iuſſit, & poſt cruciatus multos, capite etiam plecti præcepit.*

CETERVM, capita detruncata, inquit S. Chryſoſtomus, tunc Diabolo magis terribilia erant, quàm cùm adhuc vocem darent; ſicut & caput Ioannis Baptiſtæ non tantum terrebat cùm loqueretur, quantum cùm in diſco mortuum afferretur. Habet enim & Sanctorum ſanguis ſuam vocem, quæ non per aures auditur, ſed occidentium conſcientiam inuadit, & perſtringit. Poſt beatam autem illam cædem, quidam etiam cum ſalutis periculo Athletas illos optimos rapuerunt, etiam ipſi viui Martyres, vt illorum reliquias curarent decenter. Nam quamuis non occidebantur, optabant tamen mori potius, quàm, vt corpora illa relinquerent inhumata: ita ad venerationem eorum feſtinabant. Dicunt, qui tunc adfuêre, & quibus corpora illa recens occiſa videre datum eſt, quod iacentibus ſimul illis in ſepulcro, talis quædam ex eorum oculis & vultu gratia reſplenduerit, qualem in Stephano Iudæis reſponſuro fuiſſe Lucas dicit. Neque vllus eſt, qui non præ quodam horrore illis aſtiterit: adeò aſpectus ille afficiebat omnes. Quin & omnes clamabant in laudem eorum, id quod à Dauide dictum: In vita ſua non ſunt ſeparati, & in morte

Actuu. vi. 15.

morte non sunt diuisi.(*a*) Pariter enim duo isti Milites confessi sunt, pariter carcerem inhabitarunt, pariter in barathrum abducti sunt, pariter capite mulctati sunt; & vna capsula vtriusque corpora tenet: & vnum quoque tabernaculum in cælis eos excipiet, quando maiori sunt illa cum gloria resumpturi.

ILLOS non indignum fuerit, & Columnas, & Scopulos, & luminaria, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam, sicut Columnæ sustinent, sicut Turres muniunt: sicut scopuli, omnes vndarum allultus, repulerunt: multam ijs, qui intus sunt, afferentes tranquillitatem: sicut Luminaria tenebras impietatis discusserunt: sicut Tauri, animâ & corpore, promptitudineque eadem suaue Christi iugum traxere. Idcircò, sæpe eos inuisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, vt inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut Milites vulnera in prælijs sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium adferentes quæcumque voluerint, apud Regem cælorum impetrare possunt. Proinde magnâ fide promptitudineque huc veniamus, quò & visis Sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmijs, inde varios thesauros vndiquaque colligamus; & per præsentem vitam ita iuxta voluntatem Dei, transeamus, vt in portum æternitatis cum multis mercibus ingrediamur, & regno cælorum perfruamur in Christo IESV Domino Nostro, cui sit Gloria in secula seculorum. AMEN.

Pars Quarta.

(*a*) II. *Reg.* 1. 27.

XXV. *Ianuar. Surius, Haræus, Lippelous, Grasius, Sanctorius, Baronius Tom. IV. Annal. Christi an.* 462. *num.* 127. *Ioannes Bollandus, Tomo* 2.

XXVIII. IAN. S. CAROLVS MAGNVS, Francorum Rex, primusque reuocatâ, quarto demum seculo, in Occidentem Imperij dignitate, Romanorũ Imperator. Relatum in sacras tabulas illius est nomen à *Guidone* Cremensi, *Paschale* III. dicto: qui licet Alexandro III. Ecclesiam Catholicam legitimè administrante, Schismaticorum factione, *Frederico Ænobardo* Cæsari adhærente, præter ius fasque Papa appellatus sit; CAROLVS tamen, propter illustria benè facta, & anteà fortassis, & post saltem coniuentibus Romanis Pontificibus, DIVVS habitus est: templa illi dicata: Officij Ecclesiastici impensa celebritas. Quod ita Henricus Spondamus, Apamearum Episcopus in Epitome Annalium Baronij Anno DCCC. XIV. numero 5. declarat.

SI *qua de* CAROLO M. *scripta sunt, spectes, dignum virtutum exemplar intueberis, Religionisque omnibus absolutum numeris simulacbrum; cui nec (mea sententia) qui præcesserunt, vel posteà successerunt Imperatores, æquari penitus valeant. Sed nec in moribus haberet æqualem, nisi coniugalem castitatem concubinarum introductione fœdasset. Verùm, posterior maculas istas pœnitentia abstersit, dum senilem carnem suam, cilicino super nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit. Cuius quidem egregiarum virtutum merito, Ecclesia Gallicana eiusdem natalem diem celebrat. Eundemque sub Frederico Imperatore*

 Pascha-

Paschalis Papa dictus in numerum Sanctorum adscripsit. Sed quod is haud legitimus fuit Pontifex, eiusmodi Canonizatio non est recepta ab Ecclesia Romana. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnasse, res sic tacita permissione, siue tolerantiâ perseuerauit, vt in propria Ecclesia vbi sepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum pracipui Interpretes declararunt. Propagatus autem posteà noscitur eius cultus in alias Ecclesias, Galliæ, Belgij, atque Germaniæ, in quibus idem CAROLVS *Sanctitatis titulo colitur, fauentque scripta plurimorum rerum Francicarum historicorum.*

QVANTVS Miles fuerit CAROLVS satis declarant bella quæ gessit. Initio statim Regni sui in Aquitania arma circumtulit, & Saracenos oppugnauit. Deinde, per annos circiter triginta, aduersus Saxones egit, quos subegit tandem, & parere Imperio coëgit, ac religionis Christianæ fidem amplecti fecit. Alibi quoque fortissimè & felicissimè pugnauit. Vt fusè à pluribus auctoribus describitur. Legendus potissimum *Eginardus in Vita Caroli*, vbi exponit, 1. Bellum Aquitanicum. 2. Longobardicum. 3. Saxonicum. 4. Hispaniense. 5. Britannicum. 6. Beneuentanum. 7. Baioaricum. 8. Sclauicum. 9. Auaricum. 10. Bohemicum. 11. Danicum.

Sanctum quoque fuisse Militem, quod attexam demonstrabit

ELOGIVM

S. CAROLI MAGNI IMPERATORIS

Ex Martyrologio Gallicano Andreæ Saussonij.

S. CAROLVS *Francorum Rex Christianissimus, & primus ex ea gente Imperator, cognomento* MAGNVS, *ac reuerà* MAXIMVS, *ab ineunte ætate, corporis, & animi heroicis dotibus ornatus, diuinis obsequijs toto corde deditus, regalis potentiæ gladio, Euangelicæ propagationis studio, vitæque religiosæ exemplis, Gentes barbaras plerasque, & in his maximè, Saxones, Bohemos, Sclauones, Boios, Hunnos, Danosque ab Idolorum nefandis ritibus, ad Christi veri* DEI *cultum salutarem conuertit. Romanam Ecclesiam omnium Matrem à multiplici pressura vindicauit, ab hostibus liberauit, pristinum in decus & honorem restitutam immensis beneficijs cumulauit. Hæreses verò per Orbem Occidentalem exitiosè grassantes plerasque extinxit: Disciplinam resarcit Ecclesiasticam collapsam curauit: quæque pridem marcescebat, egregiè reflorere fecit Pietatem: quam & solicitè excultam, longè lateque toto orbe prouexit. Romam voti caussa quater adijt, & religiosa cælitus vestigia summa cum veneratione exosculatus, toti posteritati singulare deuotionis exemplum reliquit. S. Iacobi Apostoli sepulchrum nefandis idolorum spurcitijs offusum hodierno honori restituit: eiusque celebrem religione ædem, à se vindicatam, pietatis affectu lustrans, vestem setis horrentem maiorem via partem gestauit. Beatorum res gestas per Paulum Diaconum conscribi, easque publicè statis diebus legi præcepit. Fastos Martyrum, Conciones Patrum colligi, omniumque, quibus imperabat gentium res memoratu dignas ad religionis cultum in litteris mitti curauit.*

R*EM diuinam in æde sacra assiduè obiuit: neque statas preces & canonicas, seu diurnas, seu nocturnas cùm valuit, neglexit. Sacris operantes magna religione attendit. Mysticam supellectilem, vestem, vasa, omnemque templorum ornatum, tam copiosè instruxit, vti neque sacræ ianuæ tutelam gerentes, voluerit profano cultu in munus suum obire. Ecclesiastici cantus harmoniam,*

moniam, ipse canendi, psallendiquè apprimè callens, ac praxis sacræ peritus ad vsum, qui exoluerat, reuocauit. Sex Apostolorum corpora: nempe, Simonis & Iudæ, Philippi, vtriusque Iacobi. & Barnabæ, cum S. Bartholomæi capite innumerisque Sanctorum Martyrum lipsanis, ex pia præda collectis, Tolosam aduexit, atque in Sancti Saturnini basilica sibi dilectissima perpeti honore, prosequenda collocauit.

SPOLIA *hostium, præsertim Hunnorum ad D. Petri ædem ornandam, Romam dono misit. Regibus Francorum tutelam Apostolicæ Sedis, Romanorumque Pontificum commisit. Ipse Pontificem Leonem à suis malè multatum, punitu* DEI *zelo noxiis, dignitati restituit. Ad se venientem summa cum veneratione excepit. Concilia varia, summæ Sedis permissu, ad eliminanda falsa dogmata, & sententiam Catholicæ Ecclesiæ Romanæ (quã in omnibus à prima infantia, ad vltimum vitæ punctum, constantissimè retinuit, obseruauitquè) asserendam coëgit. Legibus æquissimis ac religiosissimis Regnum ac Imperium muniuit. Ad augmentum Christianæ Religionis nouem Sedes Episcopales in Germania excitauit: duas in Metropoles euexit. Basilicam Aquisgranensem Sanctissimæ* DEIPARÆ *magnificentissima structura ædificauit. Viginti septem Ecclesias principales extruxit: alias innumeras ferè vetustate collapsas instaurauit.*

IN *veste & victu modestiam planè Christianam & temperantiam exhibuit. In mensa lectionem sacram præsertim ex libris S. Augustini semper adhibuit. Clementia in victos hostes incomparabili vsus est: neminem enim illorum extra aciem vnquam occidit. In coniuratione deprehensos leui mulcta castigauit. Saxoni toties rebellanti, toties perduelli victoquè aliam ferre legem non tulit, quàm vt Christum serio, eiurata idolorum impietate, coleret. Tot rebus deasque pie ac præclare gestis obsequentissimus Ecclesiæ filius. magnanimus Religionis defensor, verè Christianissimus Rex, Ter maximus Imperator, fide studiosissimè ampliata, statu Ecclesiæ religiosè ordinato, egregie exornato, Regno etiam suo magnifice dilatato, ac vndique pacato Christiano orbe, Anno Domini* DCCC. XIV. *Regni sui* XLVIII. *Imperii* XIV. *ætatis verò suæ* LXX. *decennii pænitentia expleta Opibus in præcipuas Occidentis Ecclesias ad diuini cultus augmentum, Mystarumque fomentum, religiosa, regalique munificentia dispertitis, rebus sacris munitus, ex laborioso mortalique Imperio ad tranquillum Regnum, immortalemquè triumphum feliciter emigrauit. Obque fidei & operum magnitudinem, vti Sanctorum consortio adsciscì in cælis promeruit; ita eodem honore, ob immensa eius in orbem Christianum beneficia, consueuit, à fidelibus, haud renuente Ecclesia celebrari. Quem eo demum fore honore dignum, diuina gratia, & virtutis testimonia, dum adhuc in carne degeret præsignarunt.*

NAM *præterquã quod Cælites illi nõ semel, vt conscripto iam superna Sion municipi apparuerunt (maximè S. Saluius Martyr, cuius Sacros artus condigno cultu conuestiuit; & S. Svvibertus, quem in Beatorum album à Leone Pontifice referri curauit. Immò Christus ipse Dominus cùm ipse die Pascha sacram synaxim perciperet, in pueri elegantissimi ac amantissimi forma sese ei dedit:) Præter hæc, inquam grata* DEO *mentis insignia, fauoris etiam diuini nõ obscura indicia in Pium certè Principem sæpe sæpius patuerunt. Quorum illud illustre fuit, quòd cùm primo tumultu Saxonico Eresburgũ Saxonum arcem expugnasset, indequè ad Eimensredam idolum euertendum properasset, in maximâ terræ siccitate, & aquationis inopiâ, ipso (ceu altero Mose) orante, repentè largissimum flumen vberrimis vndis exiliit, quo totus*

exercitus, iam triduum siti anhelans recreatus vires recepit. Quin & absente eodem, cùm Saxo occasionem aucupatus ad oppidum Fristoriam castra posuisset, & B. Bonifacii ædem summam conaretur flammis diruere, nullâ id ope exequi potuit: cùm duo Cælites fulgenti cultu parentes terrorem hostibus ita incussissent, vt omnes fugam certatim capesserent.

EIVSMODI *significationibus tutela Numinis sæpius, quam sibi* CAROLI *conatus virtúsque complacerent, declarauit. Quem certè hic cursus & exitus (abstersa egregiè labe, quā in stadio tam longo, vix potuit tot implexus rebus ex humana sorte non contrahere) æterno dignum triumpho, & Corona gloriæ affatim propalarunt. Corpus eius pridem ab Episcopis Germaniæ solenniter eleuatum Aquisgrani Cælitibus delato ex more cultu obseruatur. Caput verò Osnaburgi in prouincia Coloniensi cum Reliquiis aliquot SS. Martyrum Crispini & Crispiniani honoratur. Vbi hac quoque sicut & in Ecclesia Mindensi recitatur publica precatio.*

DEVS, qui superabundanti fecunditate bonitatis tuæ B. KAROLVM MAGNVM, Imperatorem & Confessorem tuum, deposito carnis velamine, beatæ immortalitatis gloria sublimasti, concede propitius, vt quem ad laudem & gloriam nominis tui, honore Imperij exaltasti in terris, pium ac propitium intercessorem semper habere mereamur in cælis.

ELOGIVM
S. CAROLI MAGNI IMPERATORIS.
Ex Excubiis Bauaricis Andreæ Brunner.

CAROLVS MAGNVS *Boicam sibi posterisque asseruit, Thassilone exauthorato. Regem eum, quod in confesso est; Boii A. DCC.LXXXVIII. acceperunt, cùm prius gemma de Hunnis eodem anno reportata victoria* CAROLO *probassent, quàm longè à furiosis Thassilonis consiliis immanem gentem obiectis stipendijs euocare ausi abessent.* CAROLVS *Reginoburgum profectus leges Boicas nouis tabulis auxit. Iuri dicundo insignes ex vtroque Ordine Viros; Prouinciæ Vniuersæ Geroldum Hildegardis Coniugis suæ Fratrem præfecit. Triennio post ipsemet è Boicâ in Hunnos mouit, & tridui supplicationibus per castra decretis, exemplum sequuturis Ducibus præbuit, non solùm in consilium Fortunam adhibendam, quæ ideò nunquam fefellisse* CAROLVM *credenda est, quod illi sine adminiculis Pietatis non confideret. Ea tunc quoque Bellum confecit. primis præsidiis in potestatem adductis, hostis nusquam comparuit. Quinquaginta duo dies non præliando, sed prædando absumpti impunè. Ex Manubiis templa ditata, solenni Caroli more, cui semper præ Ærario, Sacrarium fuit.*

BENE *collocasse destinatas Cælitibus opes. paullò post Mortalium perfidia ab iisdem exceptus probauit. Fuêre ex Francis Proceres nonnulli, qui odisse hoc Orbis decus, deque eo tollendo cogitare sustinuerunt. Factionis caput Pipinus Caroli F. Sed nothus & gibber, insignis magni Herois noxa. Cædis consilia in Petri Apostoli Templo Ratisbonæ agitata; quasi id quoque genus pietatis esset, & non sine Numine furerent. Fardulphus Sacerdos horribile arcanum ex occulto aucupatus Regi aperuit. Qui neque in Parricidas sæuus, vindictam mitibus ferè exiliis absoluit: tanta exinde in Tutelares Diuos Pietate, sæpe vt ex Palatio suo ad* EMMERAMMI *Mart. Ædem excalceatus prodire visus sit, ne scilicet Orbis* CAROLVM *tantum Cataphractum miraretur. Sed nimirum hunc Nudipedem A. DCCC. Capite Coronato Roma*

Au-

Augustum adorauit. ex quo tempore Germania Orbi imperat, & CAROLI Virtute adhuc fruimur.

ACTIS *illius enarrandis nulla litteræ suffi-ciunt, quarum tamen ipse Vindex fuit, & vnicus Patronus; Regum omnium vt Fortissimus, ita Doctissimus; pariq; in Romana Germanaq; linguâ facundia. Et illam quidem etiam auxit Ventorum Mensiumq; nominibus repertis. Quodq; ad perpetuam Germaniæ laudem pertinet de* GRAMMATICA *etiam vernacula solicitus, eam quoque curam Imperatoriam existimans, quam hodie minutuli quidam litteratores dedignantur.*

SED *nos Principem nostrum ad alterum* CAROLI *Alphabetum deducimus, Regium sine dubio & Basilicum cum litteræ ipsæ sint Basilicæ, quas pro earundem numero ab eo conditas, non leues Authores tradiderunt, locis, vrbibusq; delectis, in quorum nominibus primores litteræ Alphabetum conficiunt. Metensem in Boica haud scio an inter illas recenseam, etiamsi* CAROLI *sumptu creuit. In Aquisgranensi, quæ in Alphabeto locum Principem tenet, alphabeti Auctor humatus est A.* DCCCXIV. *Æt.* LXXII. *circumpositis Pietatis pariter, Maiestatisq; insignibus, vt spectasse etiam Mortuum prosit. Stupebimus* CAROLI *veste intimâ Ciliciû fuisse, sed quod Purpura tegeret: Peram à tergo pendere, quam nobilis Viator in Sacris peregrinationibus Romam vsque tulit: Euangeliorum librum manibus insertum, quem ipse recensuit, & ad Græcorum Syrorumq; exemplarium fidem correxit. Hæc qui viderit, non mirabitur existimo,* MAGNI *in vitâ nomen meritum, à Morte haud immeritò* SANCTVM *appellari: Illique posse accinit:*

CAROLI *nulla tuos æquabit charta Triumphos,*
Charta characteres non habitura tuos.
Regia Templa DEO *cùm bis duodena locasses,*
Hæc sunt Grammaticæ dicta Elementa Tuæ.
Mira Elementa quidem Mundoque futura stupori.
Sed plebeia hodie non imitanda manu.
Nempe tui Calami periere & sepia, talis
Littera cùm scripta est, Aurea Penna fuit.
Sed reddunt Elementa vicem tibi Cæsar, & vni
Sufficit in laudes littera prima tuas.
Nempe etiam ille tuo Templum iam ponit Honori
Qui te inter Reges nominat ALPHA *Pios.*

XXIX. IAN. SANCTI CENTVM VIGINTI MILITES. Martyrol. Maurolyci, Ianuarij xxx. *Romæ* SS. Flauiani Maximi, Secũdæ, Calendini, Marci, & Seueræ Martyrum *Ex quibus* Maximus, *cum* cxx. *Militibus à se conuersis, decollatus est, iussu Maximiani Imperatoris, & à* Marcello *Papa sepultus.*

XXIX. IAN. SANCTI MILLE MILITES *Christiani.* Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 41. ex quo Baronius Tomo 2. ad Annum 298. numero 14. Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, Siluanus Razzius, Antonius Gallonus. Gulielmus Gazæus, alij. *Flauianus, Maximus, Secunda, Calendinus, Marcus* & *Seuera*, cum alijs multis Martyribus passi sunt sub Maximiano & Claudio Imperatoribus, Cõstãtino Imperatore Magno, iam à Militibus apud Galliam in Imperium sublimato. Quorũ primo *Maximus*, qui *Comes Millenarius* erat, ab infantiâ suâ Christianus, ex parentibus Christianis exortus, *Centum & viginti ex suis Militibus* conuersos à S. Marcello Papa baptizari fecit. Quod audiens Maximianus, eundem Maximum comprehensum, vnà cum dictis *Centum & viginti Militibus* damnauit ad arenam fodiẽdam. Et post menses nouem, dum Mar-

cus Tribunus comperisset, quod Maximus Comes ceteros suos Milites, qui ex Millenario residui fuerant, & ad eum visitandum accesserant conuertisset, fecit Maximum in carcerem mitti, deinde eductum fustibus cædi iussit; & dum cæderetur, Tribunus excæcatus est. Quod Maximianus Imperator audiens, & molestè ferens, Maximum Comitem cum *centum & viginti Militibus* ad arenam damnatis fecit decollari. Reliquos verò ex *Mille Militibus* conuersos in arenario missos flammis iussit incendi. Quorum corpora S. Marcellus Papa cum Ioanne Presbytero sepeliuit in loco Curcumeris secundo milliario ab Vrbe. Consule Ioannem Bollandum, qui Notulis Acta ista illustrat Tomo II. in Ianuar.

XXX. IAN. S. ADELELMVS siue ELESME.

Miles. Monachus. Sacerdos. Abbas.

S. ADELEMVS magnificæ vrbis Burgensis accola ac Patronus, natus fuit Lugduni Gallicæ vrbe nobili, parentibus genere, opibus virtute illustribus: disciplinis liberalibus in prima ætate institutus, suorum deinde voluntate coactus, MILITIÆ nomen dedit; neque tamen id tempus solitis aliorum vitijs ac ludis triuit: Mortuis parentibus luculentam pauperibus stipem donauit, & in eos hereditatem suam distribuit. Post Euangelico admonitus oraculo: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum, & veni, sequere me,* Matthæi XIX. 21. omnibus sese abdicauit, frustra obsistentibus amicis. Tum clam è patria discessit, venitque ad S. Robertum Abbatem Casæ-Dei Ordinis S. Benedicti, à quo fuit inuitatus, vt maneret. Sed peregrinandi auidus, tunc quidem recusauit. Spopondit tamen, se in Casa-Dei Monachum futurum. Romanam ergo peregrinationem inijt, nudis pedibus, vt quidam tradunt: locis Sacris visitatis, ad S. Robertum reuersus: is cótinuo sanctis religionis vestibus eum induit, ac Benedictinæ Militiæ insignibus Militem Christi auctorauit.

IN Monasterio incredibilem in virtutibus progressum fecit, assiduâ inediâ, & flagellis macerans carnem, humilitatis & obedientiæ studiosissimus, semper intentus orationi. Hinc & silentij, nisi loqui, aut necessitas, aut Maiorum imperia cogerent, tenacissimus; quippe, qui cum Rege gloriæ assiduè animo colloqueretur. Pacis erat, & concordiæ amantissimus. S. P. Benedicti aliorumque eiusdem Instituti Heroum insistebat, quàm diligentissimè poterat, vestigijs. Sanctorum vita exemplar ei erat, ad quod vitam conformabat suam.

TYRONIBVS instruendis præfectus, ita se habuit, vt quà precibus ad DEVM fundendis, quà præclaris exemplis, multos ad egregiam vitæ Sanctitatem effinxerit. Sacratissimum IESV Nomen magna prosequebatur pietate, vt quoties id proferret, aut oculos in terram demitteret, aut modestè inflecteret caput. Hæc illi deuotio patrandorum miraculorum virtutem à propitio DEO obtinuit, quæ sigillatim referuntur in vita.

COACTVS deinde est Sacerdotio initiari,

tiari, quod sanctè administrauit. Electus à Monachis in Abbatem, diu multumque deprecatus dignitatem, tandem suscipere coactus est: gessit verò ita dextrè, vt DEO acceptus esset & hominibus. Magni quidem meriti res est præesse, sed multum distrahit animum auocatque ab interiore cultu. Propositam igitur sibi præfecturæ benè gestæ coronam cernens Adelelmus, sed quietam ac trãquillam, ac diuinarum rerum contemplationi vacantem vitam ceteris arbitratus præstare, statuit, eo se munere abdicare, neque, nisi ea re perfectâ adquieuit, omni neglecto honore, ac dignitate. Monachis ergo inuitus, officio cessit, fecitque eis, quem vellent eligendi Abbatis facultatem, quando se eo munere censeret indignum. Tum inuitatus, vt in Hispaniam proficisceretur multumque rogatus à Constantia Alfonsi VI. Regis vxore, eo se contulit; sed cum in aula morari diu non conueniret eius personæ & professioni, permiserunt Reges rogantem secedere, transcriptâ illi habitatione Capellæ, siue domus S. Ioannis, in qua sanctè vixit peregrinos excepit, omnium consolationi fuit expositus, quamuis inclusus, donec lethali morbo correptus, cùm illa Psalmistæ verba pronunciasset: DEVS *in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me* Psal. LIII. I. CRVCEMque religiosè veneratus, in manus tuas, in quens, Domine, commendo Spiritum meum, animam suam reddidit IESV Saluatori xxx. Ianuarij circiter Annum Christi 1070.

Vita scripta Hispanicè à Ioanne Manetta quam Latinè redditam habet Ioannes Bollandus* xxx. *Ianuarij.

XXXI. IAN. S. IOANNES EDESSENVS MILES & Martyr.

CELEBERRIMA sunt SS. CYRI & IOANNIS EDESSENI Militis, Martyrum nomina, ob innumera ægris mortalibus collata ad eorum Reliquias beneficia. Coluntur à Græcis ac Latinis XXXI. Ianuarij. Quo die Martyrologium Romanum sic habet: R*omæ Via Portuensi SS. Martyrum* Cyri & Ioannis, *qui post multa tormenta pro confessione Christi capite truncati sunt.* Quæ non ita accipienda esse, quasi Romæ passi sint monet Baronius in Notis; sed quoniam prædictorum Martyrum corpora Alexandriâ Romam translata, illic sunt posita. Acta ipsorum, vt scribit idem tam Græcis, quàm Latinis fuerunt notissima. In ijs describitur Cyri ortus & professio: quodque fuerit celebris Medicus Alexandriæ, vbi postquam multos conuertisset, accusatus apud Præsidem, profugit in Arabiam, vbi factus Monachus, cùm clareret miraculis, eius nomen ac virtutes per Arabiam omnem fama vulgauit.

QVÆ, vt scribit Auctor antiquus, sed incertus, qui Vitam concinnauit, non præterijt IOANNEM, patriâ quidem & genere Edessenum, & Militari dignitate pollentem. Ea igitur cognitâ famâ, Diocletiano tum sæuiente generosus hic MILES, mutatio statu, desertaque humanâ Militia, magnis animis MILITIÆ CHRISTI nomen dedit, præclarius vtique contra hostes, quàm contra hominum inimicos rem gesturus. Hinc & nũcio mox opibus, prosperitati, gloriæ, ac dignitatibus remisso Ierosolymam profectus est, atque inde in Ægyptum, desiderio

derio Cyri isthuc citra laborem pertrahēte, totoque, vt aiunt, pede ad eiusdem fidei consortem incitante, vt eius tū Philosophiæ, tū exercitationis particeps fieret. Iamque Cyri contubernio fruens heroicorum eius certaminum, & miraculorum spectator erat; ac velut nouacula cotem nacta, in eum continuò intendebat oculos, eiusque virtutum vestigijs, non iam vti discipulus, sed tanquam similitudinis æmulus studiosissimè inhærebat.

INTEREA, persequutione ingrauescēte, vnà cum matre tres teneræ virgines comprehensæ sunt Christiana sacra colentes. Veritus autem Cyrus ne imbecillus virginum animus cruciatuum terrori succumberet, ad ciuitatem Canopum, vbi tenebantur, se contulit. Neque alius præclari Ioannis sensus fuit. Atque ita certaminum illis aliptæ adfuerè, pulcherrimaque Martyrij forma, quà non tam eas martyrio initiarent, quam suammet ipsorum professionem quoque proderent: immò verò vtriusque inuicē gratia, vt & ipsi propter virgines religionem suam liberè proferrent, & illas Christo victimas ope sua, ac ministerio exhiberent. Quo tempore, cùm denuo haud segnes Militiæ suæ ministros reperisset humani generis inimicus, facilè eos adiunxit, vt hunc in modum apud Præsidem Milites Christi criminarentur.

APPARVISSE nouos quosdam & ignotos homines, alterum monastico, alterum militari habitu, qui captas modò virgines inducerent, partim ad Deorum contemptum, partim ad cultum eis debiti execrationem, partim ad Cæsareorum iussorum despectionem. Hos prætereà, vnum quemdam IESVM celebrare, ei diuinos honores tribuere, &, ostendendum, qui in ipsum sint voluntate, etiam mortem illius caussâ leuem ducere. Quibus auditis, vehementer commotus Syrianus Præses adesse iussis, Cyro & Ioanne: Vosnè, inquit, infortunati, & cælestium Numinum hostes? Vos qui Virginis conamini peruertere, & Christianorum sacra amplificare totis viribus iniuriam Cæsari machinantes? Quod si hactenus insaniuistis, nunc saltem vanissimâ superstitione desertâ, precationibus, & hostijs propitiate Deorum Numina, vt non pœnis tantùm liberemini, sed etiam honoribus digni sitis, sin minus, sentietis non Syrianum modo, neque Diocletianum Cæsarem, verùm ipsosmet aduersos Deos, quos furiosè lacessitis: sentietis, inquam, Deos, licet perbenigni sint, grauissimos iniuriarum sibi factarum vltores.

AD hæc Cyrus & Ioannes: Nobis, inquiunt, multis de rebus pauca dicere mos est: sic igitur habeto: nos neque honores istos inglorios vnquam admissuros, neque Christianismum, quidcumque tandem euenerit, abiecturos. Tum Syrianus vehementiori correptus ira, quasi dentem instar apri exacuisset, Oportebat, inquit, vos tales cùm sitis, & Iudicis complecti benignitatem, & si quid sapitis errore damnato, minas nostras effugere. Verùm, cum nihil sit penes vos aliud, quàm superbia, fastus & vanissimus tumor, non multis erit verbis opus; sed ad ipsam nobis experientiam est transeundum. Sic enim fiet, vt vos tum desiderato præmio potiamini, tum vel inuiti Cæsari obtemperetis.

retis. Hæc eloquutus productis ad spectandum Virginibus, omni tormentorum genere torquere Athletas cæpit: cædebat flagris, contundebat fustibus, vrebat facibus, adusta membra aceto, ac sale perfusa, deinde pannis è seta contextis perfricari iubebat, demum pedes bulliente pice inungebat: neque quicquam prætermittebat eorum, quibus humana corpora torqueri possent; simul quidem, vt eorum constantiam vlcisceretur, simul etiam vt Virginum animos ante conflictum labefactaret.

At postquam spectatores potius, quàm Martyres excarnificare visus est (illos enim vel solus tam immanium spectaculum suppliciorum torquebat, his autem omnia propter spem remunerationis iucunda erant) tum laxari eos iubet, ac virgines vna cum matre cruciati. Quod cum crudeliter factum esset, & illæ obtruncatæ, demum ad luctum reuocati fuerunt Cyrus & Ioannes. Contra quos, postquam tentatis frustrà omnibus, inanem se laborem sumpsisse vidit, etiam in illos hanc sententiam pronunciat: Cyrum Galilæorum Præsulem, & Ioannem religione illi similem, quod Cæsarum decretis repugnent, & sacrificare Dijs maximis nolunt, capitibus multandos esse ex legibus Imperatorum decernimus. Latâ in hunc modum à Syriano sententia, his quam primum mortali manu aufertur caput, sed immortali è cælis corona demittitur. Non defuit tamen Christianorum pietas, qua Martyres honorificè sepulti fuerunt.

Progressu autem temporis, Theodosio imperante, Reliquiæ Sanctorum mutatæ loco, translatæ aliò fuerunt. Translatæ deinde sunt Romam sacra eorum corpora. Qua de re Baronius Notis ad Martyrologium: *Est via Portuensi è regione basilica S. Pauli, trans Tiberim vetus Ecclesia, vulgo dicta* SANCTA PASSARA, *sed in antiquis codicibus S. Praxedis nomine appellata reperitur, in qua de prædictis* Reliquijs nempe SS. *Cyri & Ioannis corporibus incisa* in marmore hæc leguntur carmina,

> *Corpora Sanctorum Cyri renitent hic atque Ioannis,*
> *Quos quondam Roma dedit Alexandria magna.*

Tandem pars earum Reliquiarum nostra memoriâ Monachium, regiam Boiorum vrbem allata est, vt Matthæus Raderus in Notis MSS. ad Menæa Græcorum testatur. Miracula xv. illustria, quæ SS. ijs intercedentibus acciderunt ordine ponit auctor vitæ, quam descriptam habet *Ioannes Bollandus Tomo secundo* XXXI. *Ianuarij.*

FEBRVARIVS.

II. FEBR. S. CORNELIVS CENTVRIO, Martyrol. Rom. *Cæsareæ in Palæstina* S. Cornelij Centurionis, *quem B. Petrus Apostolus baptizauit & apud præfatam vrbem Episcopali honore sublimauit.* De eodem Beda ac ceteri Latinorum: Græci autem in Menologio ad XIII. Septemb. De hoc actum est fusius Tomo I de *Militia Christiana*, lib. III. Comment. XI. Memb. VI. Artic. 3. Clauit Anno Christi XLI. Caij Imperator. III. Legend. *Baron.* Tom I. Annal.

II. FEBR. S. APRONIANVS *Commentariensis*. Martyrol. Roman. *Romæ via Salaria passio Sancti* Aproniani Commentariensis, *qui adhuc Gentilis cum S. Siginium è carcere educeret, vt, Laodicio Præfecto præsentaret, vocemque è cælo factam audiret*, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi; *credens baptizatur, & posteà in confeßione Domini finem vitæ capitali sententia accepit.*

INTER Milites Sanctos nomino *Commentariensem*, quia pertinebat ad Militiam, tam Castrensem, quàm Palatinã: Generatim Commentariensis à Carcerario haud differt: Carceris Præfectus, quique carceratorum nomina in commentarios refert. Plura ad officium eius spectantia suggerit L. *De his* C. *de custodia reorum*, his verbis: *Nisi intra tricesimum diem semper Commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatẽ delictorum, clausorum ordinem, ætatemque vinctorum: officium viginti auri libris ærario nostro iubemus inferre.* Spectabat ad eundem custodia vinctorum, vt L. Commentariensem Cod. eod.

Erat aliud genus Commentariensiũ: nempe quibus Commentarij Imperatorum committebantur: siquidem eorum manu Acta apud Fiscum subscribi solebant, vt Paulus L. *In fraudem* §. *A debitore*, ff. de Iure Fisci. Ad hæc Commentariensis nomen erat Ordinis & promotionis in Militia Castrẽsi, sicut Princeps, Accensus, & Cornicularius, de quo Asconius Orat. 3. in Verrem. Eoque sensu accipitur l. 1. Cod. ad L. Iuliam de ambit. De eodem Cælius Rhodigin. Antiq lect. lib. 17. cap. 10.

Dicti reperiuntur in Militiæ castrensis ordine *Commentarienses Actarij*, seu *Actuarij*, quorum pitacijs, & schedulis erogabatur Militaris annona. *Legend. Baronius Not. Martyr. Febru. 2. & Mart. 27.*

II. FEB. SANCTI MILITES Episcopi. Duces. Comites. IN *Kalendario Germanico*. Ebekestorpij in Vandalia SS. Martyres, *Theodoricus* Episcopus Mindensis: *Albertus* Episc. Hamburgensis: *Aufridus* Episcopus Traiectẽsis: *Droge* Episc. Osnaburgensis: *Dudo* Episcop. Padebornens. *Erlulphus* Episc. Vuerdensis: cũ tribus Ducibus: quindecim Comitibus, & alijs multis. Ita Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum.

Vandalia est regio Germaniæ Septentrionalis in ora maris Baltici, vbi nunc Ducatus est Meckelburg. (in quo vrbes præclaræ, Vvismaria, Rostochium, & sedes Principis Gusteroma) & pars Saxoniæ Inferioris: in qua Hamburgum, & Lubeca, vrbes amplissimæ. Ebekestorpij autem numeratur inter oppida Saxoniæ Infer. Circa hoc oppidum ab Hamburgo haud procul, passi sunt: seu potius, tanquam Milites Christi, zelo religionis accensi, ad fidei Christianæ defensionẽ, ac fidelium tutelam, in bello pro fide pugnantes interfecti sunt à Normannis Christianæ fidei hostibus, ideoque meritò Sanctis Militibus accensendi.

IV. FEBR. S. PHILOROMVS *Tribunus Militum*, qui in persequutione Diocletiani, cum à cognatis & amicis, suaderi

non

non posset, vt sibi parceret, data ceruice palmam à Domino meruit. Ita *Martyrologium Roman. Beda*, alij. Acta describit Eusebius histor.lib.8.cap.10. & 11. Passus est Anno I. persequutionis Diocletiani Imperat. vt idem Auctor testatur lib 8. cap. 12. seu vt alij computant Anno Diocletiani XIX. Christi CCCII. Marcelli Pap. VI. Fuit *Philoromus* diuitijs, nobilitate, gloriâ, eloquentiæ & Philosophiæ cognitione admodum illustris. Quocirca generali controuersiarum iudicio in Militiâ ab Imperatore summâ cum gloriâ & honore fuit præfectus. *Legend. Baronius Tom.2. Annal. Grasius Vita SS. Febr.*

VII. Febr. S. Adavcvs *Quæstor*. Martyr. Rom. *In Phrygiâ S. Adauci Martyris, qui ex Italia genere clarus, & omni ferè dignitatum gradu ab Imperatoribus honoratus, dum adhuc* Quæstoris *officio fungeretur, Martyrij corona pro fidei defensione dignatus est;* Fuit Adaucus genere Italus apud Imperatorem primos inter admuneratus. Passus est Anno VIII. persequutionis Diocletiani Imperatoris. Scribit eius res gestas Eusebius lib. 8. hist. cap. 23. ex quo Nicephorus lib. 7. cap. 10. qui cum *Adauctum* appellat.

Hoc eodem die celebratur memoria plurimorum SS. Martyrum vrbis vnius ciuium, quorum Dux erat idem Adavcvs, qui cùm omnes Christiani essent, & constanter in fidei confessione persisterent à Maximino Imperatore igne consumpti sunt.

VII. Febr. S. Theodorvs *Ductor Militum*. Martyrol. Rom. *Heraclea* S. Theodori Ductoris Militum, *qui Licinio imperante, post multa tormenta, truncatus capite, victor migrauit in cælum.* De eodem Græci agunt hoc die in Menologio, festumque diem celebrant: vt constat ex Nouella Constit. Emmanuelis Imperat. apud Theodor Bals. in Nomoc. Photij tit. 7. cap. 1.

Licinivs Imperator hostis Christianorum acerrimus, cùm ex ijs Viros Militares potissimùm insectaretur, de *Theodori* Militum Ductoris prudentia militari & incredibili penè robore multa audiuerat. *Inter cætera: Theodorum* deleuisse internecione immanem draconem, sicque patriam ab interitu vindicasse: ad se illum accersiuit, ad idola colenda incitauit, quæ Miles Christi in frusta diminuit, nullis cedens minis aut cruciatibus: donec tandem capite plexus Martyrij coronam adeptus. Anno Domini CCCXVI. Siluestri Papæ III. Eius res gestas ab Augaro quodam, qui spectaculo præsens fuit conscriptas recitant, Metaphrastes, Lipomanus, Surius, Grasius, Haræus, alijque. legendus Baronius Tomo 3. Annal. & in Notis ad Martyrol.

ELOGIVM
S. THEODORI DVCTORIS MILITVM.

VNA virtute Christianâ armatus THEODORVS *Centurio patriæ terrorem Draconem confecit. Et erat hoc pugnis maioribus præludere. Monstrum alterum maiusquè Licinius* Imperator *imminebat. Hic, siue quod eam fortitudinem in Milite amaret, siue quod inuideret Christiano, ad se* THEODORVM *euocauit. Quin cùm hic nunciasset, si ad se ipse Imperator cum Dijs suis accederet, fore, vt hos meritò honore celeret, non dubitauit Licinius, vt superstitioni tantum virum adderet, iter ad illum instituere. Intereà cœlum pandi videbatur* THEODORO, *atque inde prodire, qui illi ignem dormientem configerent: vox quoque huiusmodi allapsa: Macte animo* THEODORE, *quando ego tibi adero.*

Facile sibi ipse THEODORVS *hæc somnia sine alio augure explicuit, vocemquè cæli classici instar habuit. Itaque cum mane Deorum signa à suo lalario obtulisset Imperator, velut adoraturus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Iouis fulmen, & Martis Palladisq; hastas, & Veneris faces, Cupidinisq; arcus omnibus gigantibus fortior, solus fregit; & quia aurea erant omnia vel argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hic cum vlcisci non possent ipsi sese, Licinius & se, & illos vlturus, in Crucem agit* THEODORVM, *ferro trans adigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Diui oculum accepit. Sed reddidit hos ocello suo Angelus, & è Cruce exsoluit. Mox ad gladium damnatur. Hunc vbi forti iugulo excepit rude Superi donarunt.* Ex Fastis Marianis.

ALIVS est item THEODORVS, qui ad differentiam Ducis Theodori dictus est TYRO, de quo inter SS. Milites Nouembris. Quantus autẽ fuerit Amator CRVCIS Theodorus Dux Militum ostendit circa finem, cùm damnatus ad gladium, totum corpus SIGNO CRVCIS munijt, & tandem precatione peractâ, colli nuda constanter erexit, & ictum gladij ad honorem CRVCIFIXI lætus excepit.

VII. FEBR. SS. QVADRAGINTA *Milites Sebastenses.* Acta S. Theodori Ducis. Licinius statim ab ipso regni ingressu, tãta in Christianos impietate desæuijt, vt Quadraginta viros Militares, eximia pietate flagrantes, & rerum humanarum contemptu Mundo superiores mactarit. *Ex Metaphr. Lipomano, Surio, Grafiis.*

VII. FEB. SS. CENTVRIONES LCCC LXX. in Macedonia ab eodem Tyranno trucidati. *Ex ijsd. Auctoribus.*

VII. FEBR. SS. MILITES per Theodorum ~~Ducem~~ conuersi. S. THEODORVS postquam gladio Draconem interfecit, tantam virtutem Militis Christiani, admirati Milites idololatræ, Christo nomina dederunt, & Sacrum baptismum læti à Theodoro perceperunt.

VII. FEBR. SS. CENTVRIONES duo, & Milites octoginta ad S. Theodorum missi. Cũ putaretur S. Theodorus iã mortuus misit Licinius Centuriones duos Antiochum & Patritiũ, vt defuncti Martyris corpus in abyssũ maris præcipitarẽt.

Qui

Qui stadio appropinquantes, & Christi Martyrem Dei magnalia sano & integro corpore prædicantem cernentes, voce magna exclamarunt, Magnus Devs Christianorum, & accedentes ad Sanctum, ipsi cum Militibus LXXX. in Christum crediderunt.

VII. Feb. S. Sextvs *Proconsul* & CCC. Milites, quos misit Licinius, vt populum S. Theodoro applaudentem mactarent, qui visis miraculis à S. Theodoro patratis, nomina Christo dederunt, Martyri associati. Et Proconsulem quidem Merpas, Hunnus genere, impetu facto interemit. *Ex Actis S. Theodori.*

X. Feb. Sancti Milites X. Martyrol. Rō. *Romæ via Lauicana Sanctorū* Decē Militum *Martyrum*. Eorundem mentio est apud Bedam, Vsuardum, Adonem, aliosque Martyrologiorum scriptores. Quæ sit Via Lauicana, siue Labicana fusè exponit Baronius in Notis: & repræsentatur in Roma subterranea.

X. Feb. S. Gvlielmvs natione Pictauus ex Comitum prosapiâ oriundus, secundum morem magnorum Seculi educatus cùm sacrum *Militiæ* cingulum ipse minimè lacer accepisset, ab omnibus Baronibus terræ vnanimiter susceptus fuit ad Pictauiæ Comitatum, Aquitaniæque Ducatum; quorum vterque iure & titulo hereditario successionis ipsi debebatur. Factus ergo Miles, fretusque Comitis fastigio, effectus est eo insolentior, quo nobilior, & quo locupletior, quoque fortior; item, quo honoratior, quo formosior, vniuersisque famosior. Ille idem ex parentela generosus, ex fortuna pecuniosus, ex natura virtuosus, ex fama gloriosus, ex Opifice speciosus, insolentissimus omnium extitit discolus atque fastuosus. Genus clarum corpus aptum, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, & infulæ dignitatum, carni in eo, non spiritui militabant. Proceritas corporis tanta erat, quod magis videbatur gigantæa, quàm humana. Vix ei vni prandio sufficiebant cibaria, quanta alijs octo iuuenibus fortissimis erant alimenta.

Iam attende indolem militarem. Nusquam se per totam illam prouinciam absentauit à prælio quamdiu in armis fuit; sed affectu pugnæ, solitarius, armigerorum destitutus auxilio, armatus ipse multoties incedebat. Et cùm nollent dimicare, trahebat vel inuitos ad certamen. Diceres rediuiuum Belum, de quo Danielis XIV. in edendo & bibendo: crederes ipsum Nemrod potentem, & robustum venatorem coram Domino in præliando. Extraneis malus, suis peior, pessimus sibi. Confidebat in viribus proprijs; erat ad succendendum, ac irascendum flammeus, ad ignoscendum ferreus, ad consolandum saxeus. Dixisses ignem vrentem in stomachando, securim vel asciam in feriendo. Vis aliud, quod Militem luxuriosissimum exhibeat? Fertur per triennium & amplius, proprij germani vxorem, Herodiana rabie debacchatus, ad instar Herodis, contra ius fasque incestu impudentissimo tenuisse violenter. Si quis incestuoso se, tanquam Ioannes constitutus, Ioannem exhibiturus, de vicinia diuertisset ad eum, conuicijs lacessitus, inanis & vacuus recedebat.

Hic ille, quem spirantem minarum & cædis, tanquam alterum Saulum, in Discipulos Domini Catholica vnitate coniunctos, & sæuo schismate perturbantem Ecclesiam S. Bernardus Abbas Clarauallensis, ad Ecclesiæ coniunctionem reduxit, induxitque ad agendam seriò pænitentiam, ad seculi contemptum, & Christi mansuetudinem, ac humilitatem complectendam. Largitus igitur omnia sua pauperibus, Pontificem adijt, crimina confessus & detestatus est: solitudinem petijt, in spelunca eremiticam vitam duxit, donec feliciter, post multas tentationes, labores, & aduersitates, obdormiuit in Domino.

ELOGIVM S. GVILIELMI DVCIS.

INGENTIA *scelera* GVLIELMVS *pari pænitentiâ plectere instituit. Coniugio fraterna coniugis Herodi non impar. Cœnabat vnus, quod octonis in cibum sufficiebat. Ad duella non incitabat, sed cogebat obuios: neque iam Ducem Aquitaniæ se putabat, nisi factionis quoque, quæ contra Innocentium* Pontificem *pugnabat Dux esset. Mellea verba Bernardus ingesserat; fel merum retulit, minas addiderat, maiores audiuit. Ergo secundum Diuina, Numine manum armatus, ad præstolantem pro templi foribus progreditur, & voce plus quam humana*, Hoc, *ait*, etiam temnes improbe? *Non erat hoc loqui, sed fulminare*,

Corruit humi ferox, & qui nulli ante hac victas manus dederat, Bernardo dedit: iamq́; dum omnis casum populus miratur, vnus GVLIELMVS *negat se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox Anachoretæ consilio, nudum corpus, & caput lorica & galea abscondit, longè maximum hostem* SE *expugnaturus, iam longe alius, quàm olim* MILES. *Talis ad Innocentium Pontificem: inde Ierosolymam tendit. Ibi antrum lacrymis implet & gemitibus, qui cælo repulsi audirentur. Sub hæc patriam repetens, dum ex itinere castro expugnando operam vult locare, à via salutis penè exerrat cæcus. Tamen eadem nocte in viam rediit, recepitq́;, quos iterum lacrymis det oculos. Mox solitudines montesq́; mutat. & à Cacodæmone, qui patrem mẽtitus, frustrà ad vitam veterem reuocabat, verberibus immanibus cæditur. Medicinam tamen fecit* VIRGO *Magna, vt tanti iam vulnera faceret* GVLIELMVS. *Vltimò in Stabulo Rhodis obijt, felicius vtique, quàm in palatiis vixerat.* Ex Fastis Marianis.

GVLIELMI res gestas locupletius prosequutus est Theobaldus Episcopus, & ex eo Surius, Lippelous, Haræus, Grasius. Scripsit easdem Albertus eius discipulus, quas & Cornelius Grapheus carmine cecinit. Nonnulla habet Bernardus Abb. Bonævallis in Vita S. Bernardi Clarauallensis. Migrauit ex hac vita Anno 1156. sepultus in Stabulo Rhodi in agro Senensi, vt ostendit *Baronius Not. ad Martyr.*

XII. FEBR. S. DAMIANVS *Africanus*. Martyrol. Rô. *In Africâ* S. DAMIANI *Militis & Martyris.* Eundem celebrat *Beda, Vsuardus, Ado*, & antiquiores in Vetust. Manusc.

XXI. FEBR. S. MAVRITIVS & COMMILITONES Martyres, qui in persequutione Diocletiani & Maximiani Imperat. passi sunt Apameæ in Syria; quorum certamen descripsit Metaphrastes. *Sed hunc*

Sanctum

Sanctum Militem *ponimus* XXII. *Septemb. vt coniungatur S.* Mauritio Thebæo, *de quo ibi.*

S. BESAS, Martyrol. Roman. Alexandriæ Sancti BESÆ *Militis*, qui cùm insultantes, in illos Martyres, qui per vrbem camelis insidentes circumducebantur, cohiberet, delatus ad Iudicem pro fide constanter agens capite truncatus est. Agit de eo Dionysius Episcopus Alexandrinus in epistola ad Fabium Antiochenum, quam recitat Eusebius lib. V. cap. 30. ex quo aliorum profluxit narratio, cuius hoc est breuiarium.

CVM Iulianus senex podagricus & Eunus eius famulus per totam vrbem Alexandrinam camelis impositi, & ita sublimes verberibus cæsi ad rogum comburendi ducerentur, Besas ijs interdum opem ferebat, & aduersarios contumelijs Iulianum ac socium infestantes cohibere nitebatur, & ex aduerso resistere nitebatur. Quod cùm populus furibundo clamore ægrè ferre illico inde abreptus ad iudicem, in præclaro illo prælio pro Domino suscepto, tanquam fortissimus DEI BELLATOR strenuè & viriliter se gerens, securi denique percussus est. Anno Christi CCLIII. Decij Imperatoris I. Sede Romæ vacante. Consule *Baron. in Not. Martyr. & Tom. 2. Annal.*

(***)

MARTIVS.

III. MART. S. MARINVS. Martyr. Romá. *Cæsarea in Palæstina SS. Martyrũ*, Marini Militis, *& Asterii Senatoris*, in persequutione Valeriani. Quorum prior accusatus à commilitonibus, quod esset Christianus, & interrogatus à Iudice, cùm Christianum se esse clarâ voce testaretur, Martyris coronam, capitis abscissione suscepit: cùmque Asterius corpus Martyris, capite truncatum, subiectis humeris, & substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem Martyri detulit, continuò ipse Martyr accepit. De his hac eadem die *Beda, Vsuardus, Ado*, & alij omnes Martyrologiorum concinnatores. Eorum certamina, quæ Cæsareæ Palæstinæ subiêre, Eusebius eius dein ciuitatis Episcopus exactè describit lib. 7. cap. 14. ex quo Nicephorus lib. 6. cap. 13. & 14. alij quoque eundem sequuti auctorem, ex quo hoc conficitur longioris narrationis compendium.

TEMPORIBVS ijs, cum summâ pace Ecclesia Christi frueretur, MARINVS, vir & genere illustris, & diuitijs locuples, capitis propter Christi testimonium damnatus est. Cùm enim præcipuum inter alios in Romano exercitu dignitatis gradum obtineret; & ordo postularet, vt maiore quodam honore (qui κλῆμα inter Milites appellatur) potiretur, adfuit fortè, qui graui ambitionis peste correptus, *Marinum* pro tribunali comparentem in crimen vocaret, quod reiectis Dijs patrijs,

trijs, Christi fidem sectaretur. Iudex, qui Achiuus erat genere, vehementer commotus, quod *Marinum*, vultu animoque imperterritum, non modò non negantem, sed constanter Christi fidem profitentem audiret, trium horarum spacium ad deliberandum ei concessit.

Mox igitur à iudicio excedentem Theotecnus, qui ciuitatis illius erat Episcopus ad colloquium inuitat, & manu prehensa ad Ecclesiam rectà deducit, & sacrarium cum eo ingressus Sacrosanctum Euangelij librum profert. Tum gladium quo erat, vt Miles, accinctus, ex vna, ex altera verò parte librum ostendit praecepitque, vt quod magis ex animi sententia esset, deligeret. Vbi verò omni cunctatione remotâ *Marinus* librum accepit: Age inquit, Theotecnus Episcopus, Tene quod habes, & DEO adhaeresce, cuius spiritu roboratus, gloriam aeternam pro caduca consequeris. Abi in pace. Mox inde redeuntem praeco pro tribunali aduocans, cùm Marinus maiorem, quàm antea fidei ardorem, ac studium declarasset, adductus ad supplicij locum, Martyrio coronatus est. Anno Christi CCLXII. Dionysij Papae II. Valerij & Galieni Impp. VIII. *Baronius Tom. II. Annal.*

Κλῆμα. Dignitas in Militiâ Romana, quam qui adipiscebantur, Centuriones fiebant. Grasius. Quod vnde hauserit, ignoro. De Reliquiis S. *Marini Militis Martyris* meminit Ioannes Damascenus Orat. tertia de Imagin.

III. MART. SANCTI HEMITERIVS & CHELEDONIVS. Martyrolog. Rom. *In Hispania natalis Sanctorum Martyrum* Hemiterij & Cheledonij, *qui cum apud Legionem Gallecia vrbem in castris militarent, exsurgente persequutionis procella, pro confessione nominis Christi plurimis tormentis afflicti, Calagurrim vsque perducti, atque ibi Martyrio coronati sunt.*

HEMITERIVS & CHELEDONIVS Militaris gloriae laude insignes, postquam multo tempore Caesari praeclaram in rebus bellicis operam nauassent, secumque animis reputarent, longè clariorem eam esse gloriam, quae ardenti mentis studio, vni Christo, abiectis cruentis saeuae Militiae armis militat, consilium inter se inierunt, quomodo à Caesaris castris ad caelestia se transferrent. Atrox tunc summae crudelitatis tempestas in Christianae fidei cultores grassabatur, omnesque omnium generum homines per horrenda supplicia ad impium Deorum cultum quaerebantur: cum hi duo praeclari Milites mutuis cohortationibus, se ad certamen pro Christi gloria subeundum excitabant: Nos ne dicebant ad immortalem gloriam creati, & preciosissimo Conditoris nostri Sanguine redempti perituris diuitijs seruiemus? & ad DEI similitudinem ficti formatique terrenis faecibus immorabimur? Numquid ad ludum, ad iocum nati sumus? Nunquid ad inanem gloriam durissimo huius Militiae studio consectandam procreati? Pudeat diutius caecis errorum tenebris inuolui; quin potius ad verissimae virtutis, & sempiternae gloriae excellentiam aspiremus.

His cohortationibus mutuis egregiè con-

confirmati, alacri animo ad Militiæ Tribunum pergunt, atq; collo detracta torque Militiæ professionem enunciant. Hactenus, inquiunt, Cæsari militauimus: nunc vero quoniam Summus Imperator clariorem benignitatis suæ lucem mentibus nostris immisit, & ad cælestis gloriæ præmia vocare dignatus est, certum deliberatumque est, ad illius castra transire. Clarissima enim Angelorum stipendia vehementer nos inflammant, vt pro Christi, summi æternique Dei gloria ad extremum vitæ spiritum decertemus. Nam ij, quos vos Deos putatis, diuinisque honoribus, cæci scelere & amentia afficitis, vanissima sunt simulacra: nec vllam vobis opem aut salutem præstare possunt.

Hæc cum magna animi libertate & constantia dixissent Sancti Milites, varia statim suppliciorum genera fuerunt in promptu. Et primò quidem rigidissimis manibus iniecta vincula, grauissimoque ferri pondere onerati sunt; ac multis catenarum nexibus circumdati ad supplicium fuerunt tracti. At verò cùm in certaminis loco iam consisterent, fideique suæ rationem inuictis animis testarentur, mirabilis quidam splendor circa eos apparuit, qui instar candidissimæ nubis paullatim sursum ascendit, donec prouolutis in terram genibus Sancti Milites Christo ardentius supplicarent, & sic ipsum cælum penetrare est visus. Stabant hoc spectaculo ingenti horrore perfusa multitudo populi: ipseq; ie carnifex pauore tabescens manus retrahebat: qui tamen ne optata Christi Milites gloria diutius fraudarentur, ictum peregit.

Præclara apud eorum sepulchra e-

duntur miracula. Nam & dæmones ab obsessis corporibus præsenti Martyrum virtute fugantur: & homines in scelere obstinati, si fortè accedant, horribili cruciatu torquentur. Alij à prauitate vitæ ad honestatis pietatisque studium excitantur. Alij à varijs languoribus mirabiliter curantur: & nemo non quicumque accedit Sanctorum Militum virtutem Christi gratia, & benignitate experitur.

Hæc & plura alia Hymno sacro cecinit Prudentius in libro Peristephanon. Hymni initium est:

Scripta sunt cælo duorum Martyrum vocabula,
Aureis, quæ Christus illic adnotauit litteris,
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.
Pollet hoc se ix per orbem terra Hibera stemmate.
Hic locus dignus tenendis ossibus visus DEO
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum
Hic odentes hausit vndas cæde tinctus duplici.
Inditas cruore Sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes, voce, votis, munere.
Exteri, nec non, & orbis Huc colonus aduenit
Fama nam terrarum omnes percurrit Proditrix.
Hic PATRONVS *esse* MVNDI. *quos precantes ambiant.*

In Breuiario Toletano institutionis S. Isidori duo præterea habentur Sacri hymni, quibus eorundem Militum & Martyrum Acta laudesque canuntur. Agit de ijsdem Gregorius Turonensis libro de Glor. Martyr. cap. 93. Meminit eorundem S. Eulogius lib. 1. Mem. SS. Martyrum. Passi sunt Anno Christi CCXCVIII. Marcelli Papæ II. Dioclet. & Maxim. Imperat. XV. Legendus *Baronius Tom. 2. Annal. Eccles. & in Not. Mar.* Eosdem celebrat *Flos Sanctor. Hisp. Thesaur. Concionat. Tom. 2.* Beda, Ado, Vsuardus.

III. MART. S. CLEONICVS. S. EV-

TROPIVS.S.BASILISCVS. Martyr. Rom. Quinto NONAS Martij *Sanctorum Militum* Cleonici, Eutropij, & Basilisci, *qui in persequutione Maximiani, sub Asclepiade Praeside Crucis supplicio feliciter triumpharunt*. Eosdem SS. Milites celebrant Graeci in *Menologio*, & Acta compendiosè referunt.

IV.MART. S.CAIVS PALATINVS. Martyrol. Rom. *Quarto Nonas Martij* S. Caij Palatini *in mare demersi*, *& aliorum* XXVII, vt verisimile est, Commilitonum. Porrò, etsi τὸ PALATINVS commune sit nomen omnibus, qui militabant in Palatio, ex familiâ Imperatoris; tamen erat peculiaris Ordo Militiae Palatinae, vt apparet ex tit. de Palatinis Cod. lib. 12. & Cod. Theodos. lib. 6. tit. 30. Minores hi erant *Comitibus* atque his qui dicebantur *Agentes in rebus*. Hi in diuersas prouincias ad diuersa negotia mittebantur; aliquando etiã ad exigendũ censum: vt constat ex Constit. nouel. Theodosij & Valentiniani Impp. tit. 43. de Palatinis. legendus *Petrus Pithaeus de hoc argumento*.

IV. MART. S. CASIMIRVS, *Martyrolog. Romanum*; Vilnae in Lituania B. CASIMIRI, *Filij Casimiri Regis, quem Leo X. Rom. Pontifex in Beatorum numerum retulit*. Extant eius Acta scripta accuratè à Zacharia Ferrerio Vicentino, Episcopo Gardensi Legato Apostolico in Polonia. Qui etiam auctoritate Romani Pontificis, diuinas preces, Sacros hymnos, ac denique integrum officium Ecclesiasticum in eius honorem recitandum conscripsit. Vitam eiusdem ex bonis auctoribus descriptam à Gregorio Svveciski habet Bellarminus libro tertio de Principibus. Quamuis autem S. CASIMIRVS, qui iuuenis obijt, operibus pietatis totus deditus, in castris non egerit, nec tractauerit arma inter mortales agens, meritò tamen Sanctis Militibus accensetur: quia mortuus mundo ac caelo & in eo viuens, Ducem Militarem se exhibuit vt ex Elogijs intelliges.

ELOGIVM

S. CASIMIRI REGIS FILII

Ex Breuiario Romano.

CASIMIRVS *Patre Casimiro, Matre Elisabetha Austrica Poloniae Regibus ortus, à pueritia sub optimis Magistris, pietate, & bonis artibus instructus, iuueniles aetatis asperò domabat cilicio, & assiduis extenuabat ieiunijs: Regij spreta lecti mollitie, dura cubabat humo, & clam intempestâ nocte pro foribus templorum pronus in terra diuinam exorabat clementiam. In Christi contemplanda Passione assiduus. Missarum solemnijs adeò erecta in* DEVM *mente solebat adesse, vt extra se rapi videretur. Catholicam promouere fidem summoperè studuit; & Ruthenorum Schisma abolere. Quapropter Casimirum patrem induxit, vt legem ferret, ne schismatici noua templa construerent, nec vetera collabentia restaurarent. Erga pauperes & calamitatibus oppressos beneficus, Patris & Defensoris egenorum nomen obtinuit. Virginitatem, quam ab incunabulis seruauit illaesam, sub extremo vitae termino fortiter asseruit, dum graui pressus infirmitate, mori potius, quàm castitatis iacturam ex Medicorum consilio subire, constanter decreuit. Consummatus in breui, virtutibus & meritis plenus, praenuntiatâ mortis die, inter Sacerdotum & Religiosorum choros spiritum* DEO *reddidit, Anno aeta-*

ætatis vigesimo quinto. Corpus Vilnam delatum multis claret miraculis. Etenim præterquam quod puella defuncta vitam, cæci visum, claudi gressum, & varij infirmi sanitatem ad eius sepulchrum recuperarunt; Lithuani exiguo numero ad potentissimi hostis insperatam irruptionem trepidantibus in aëre apparens, insignem tribuit victoriam. Quibus permotus Leo X eundem Sanctorum catalogo adscripsit.

ELOGIVM
S. CASIMIRI
POLONIÆ TVTELARIS.
Ex Fastis Marianis.

CASIMIRVS *Casimiri Regis Poloniæ F. necdum ephebis egressus in ipsa iam adyta Sanctitatis est ingressus. Coronam Vngariæ, quanto alij studio, vel ambire, vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo allaborauit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat: purpura non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat; gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studijs occupatum morbus inuasit. Lamentantur parentes; illacrymatur aula, ingemiscunt regna. Circumstant intereà lectulum Medicorum turba: medicinam facilem: Nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille viuere, nobilissimâ animæ parte Virginitate emortuâ.* O Militem generosum! *itaq; ne non Virgo moreretur, iuuenis moritur: dignus, qui in omnium ore ac calamis viuat. Et verò viuere etiam post mortem, & Militare posse Poloni compererunt, cùm candidissimo equo inuectus, contra Moschos mouentibus, Dux adfuit: & traductis per aquas, compendium ad nobilissimam victoriam monstrauit. Quin cum Anno obijsset à pariente Virgine,* M. CCCC. LXX. III. *Anno deinde* M. DCIV. *Corpusculum Virgineum vnà cum versibus, quos in laudem Virginis panxerat, secumq; tumulo inferri mandauerat, integerrimum est repertum. Legant hoc ij Milites, qui insuper habent, mactare quotidie castitatem, cui tamen Mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortua etiam timet manus inferre.*

IX. MART. SANCTI QVADRAGINTA MILITES MARTYRES
Sebasteni. Capadoces.

QVADRAGENARIVS *Numerus*, inquit S. Augustinus, tractatu 17. in Ioan. *Sacratus nobis in quadam perfectione commendatur.* Quare, cúm alia hoc numero sancta fuerunt olim, tum sæpius Christi Milites laurream quadrageni retulêre. Hos inter celeberrimi sunt, de quibus

Martyrologium Romanum IX. Martij. *Apud Sebasten Armeniæ natalis Sanctorum Quadraginta Militum Cappadocum, qui tempore Licinij Imperatoris sub præside Agricolao, post vincula & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus facies, in rigens stagnum missi sunt (&* nudi sub dio expositi sunt) *vbi gelu constricta eorum corpora disrumpebantur; ac demum crurifragio martyrium consumarunt. Erant autem inter eos nobiliores* Cyrion & Candidus: *quorum omnium præclaras glorias S. Basilius,* alijque Patres *scriptis suis celebrarunt.* Ad historiæ elucidationem,

OBSERVO. I. Cæsas fuisse lapidibus eorum facies. Polybius libro 6. dum recenset supplicia militaria, tradit, lapidibus contundi solitos: quod his sanctis Militibus factũ. II. In rigens stagnum fuisse missos. S. Basilius Orat. de XL. Martyr. ita habet *Sancti* DEI *sub dio pernoctare in stagno quodã visi sunt, quod pro mænibus ciuitatis erat.* sic vertit Interpres, quod Græcè est, περὶ ἣν ἡ πόλις κατῴκηται, turpiter lapsus

vt Baronius monet in Notis, cum Basilius disertè describat, media in vrbe, atque in stagno, circa quod vrbs habitabatur Martyres fuisse cruciatos. Dubium non est stagnum frigidarij ibi iuxta calidariũ de more fuisse extructum. S. Gregorius Nyssenus Orat. 2. de iisdem Martyr. *Imperat Tyrannus, vt gelu athleti excruciati extinguantur.* Certè, gelu est concretio aquæ ex frigore, quod insinuat, in aqua positos. D. Nyssenus ibid. *Vnanimiter vnius rsi hoc occupato loco, qui publicis tunc balneis vacabat, quasi & ipsi lauacro corpora curaturi, haud cunctanter tunicarum amictum deponebant.* Et mox, *Elementorum quidem natura, congelationi cedebat: Martyrum verò natura, quasi indomita, & inuicta erat.* Denique, *defluebant digiti gelu paullatim carptimq; excisi.*

De iisdem S. Ephræm Syrus Orationem reliquit in quo exprimitur, illos in stagno passos, sunt etiam in Actis apud Metaphrastem & alios. Aliquid dubitationis ingerit Oratio S. Basilij, quæ extat, quam viciatam translationne quidam opinantur. In eâ sic Latinè legitur: *In terra primum exerciti, deinde in aëre sub dio, postremò igne crematos aqua excepit:* quibus significare videtur, hisce quatruor elementis, eos eo ordine sic esse probatos, vt postremò igne crematos tunc aqua exceperit, & non prius, sed sub nudo aëre nudos expositos fuisse frigore cruciatos.

In eandem sententiam S. Gaudentius Episc. Brixianus sermone, quem habuit de dedicat Basilicæ quadraginta Milit. Martyrum, postquam peregrinatus fuisset in Cappadociam, ibiq; à nepte S. Basilij, diuino monitu accepisset de eorum Reliquijs. ita scribit: *Iudex prospiciens regionis naturam nimis rigentẽ frigoribus, tempus etiam quo maxima hyemis asperitas, Aquilone flante violentius incumbebat, montes niuibus, pruinis arua tegebantur: stagnum quoque vrbi, in qua ista gerebantur, subiacens, longè lateq; diffusum, validissimo gelu durante, iter solidum plaustris gementibus accommodat. Hac ergò vi loci, & temporis immanitate perspecta sacrilegij gentilis exactor istud supplicij genus Sanctis adhibere imperat, vt nudatis corporibus, relegati in aperti aëris pruinas à duritie pernoctarent, balneis non longè sub conspectu eorum fumantibus, vbi velox remedium victis callidus persequutor, animas eorũ magis interficere gestiens promittebat.* Hæc & eius generis alia Gaudentius.

Quæ conciliari facilè posse cum diuersa scribentiũ narrationibus putat *Baronius*, si dicatur, balnei frigidarium, altè concretum longo hyemis tempore, vt ingentia desuper subire onera potuisset, in eoq; sic glacie constricto sub dio positos esse Milites Christi frigore cruciandos. Quod autem absq; eo dimitterentur in stagnum, plus satis esset ad cruciatũ, nudos exponi sub dio, docent ea, quæ de immanitate, & algoris illarum regionũ, ex his, quæ passi sunt Romani Milites illic agentes in expeditione sub Corbulone scribit Cornel. Tacit. hisce verbis: *Ambusti multorum artus vi frigoris: & quidam inter excubias exanimati sunt: annotatusq; miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse, vt manus oneri adhærentes, truncis brachijs decederent.* Huc facit; quod S. Ioan. Chrysostomus qui in Armenia exulauit, pluries in epistolis queritur de immanitate frigoris in ea regione, nominatim epist. 4 & 6. ad Olympiadem. Deniq; Plutarchus in Lucullo, inter genera tormentorum, recenset stationem sub dio, ardente sole, & frigoris tempore in luto ac glacie.

Ac-

ACTA istorum XL^ta Sanctorum Militum ex vetustioribus monumentis accepta edidit Metaphrastes, eaque habet Lipomanus tomo 7. & Surius tomo 2. cōpendium exhibet Breuiarium Romanū, quod hic po. o, dignum quod ab omnibus legatur.

ELOGIVM SANCTORVM XL. MILITVM CAPPADOCVM.

Ex Breuiario Romano IX. Martij.

LICINIO *Imperatore, & Agricolao Præside ad Sebasten Armeniæ vrbem, Quadraginta Militum fides in* IESVM *Christum, & fortitudo in cruciatibus perferendis eniuit. Qui sæpius in horribilem carcerem detrusi, vinculisque constricti, cùm ora ipsorum lapidibus cōtusa fuissent, hiemis tempore frigidissimo nudi sub aperto aëre pernoctare iussi sunt, vt frigore congelati necarentur. Vna autem omnium erat oratio, Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, corona donemur, ne vna quidem huic numero desit. Est in honore his numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio decorasti: per quem diuina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadraginta dierum ieiunio Deum quærens, eius visionem consequutus est. Et hæc quidem illorum erat oratio. Ceteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat ianitor, qui & illos orantes, & luce circumfusos, & quosdā è cælo descendentes Angelos, tanquam à Rege missos, qui coronas triginta nouem Militibus distribuerent, intuens, ita secū loquebatur: Quadraginta hi sunt: quadragesimi Corona vbi est? Quæ dum cogitaret, vnus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, Sanctos illos summo dolore affecit. Verùm* DEVS *illorum preces irritas esse non est passus: nam rei euentum admiratus ianitor, mox custodibus è somno excitatis, detractisque sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, Martyribus se adiunxit. Cùm vero Præsidis Satellites ianitorem quoque Christianum esse cognouissent, bacillis cōminuta omnium eorū crura fregerūt.*

IN *eo supplicio mortui sunt omnes, præter Melithonem natu minimum. Quem cùm præsens mater eius, fractis cruribus ad huc viuentem vidisset, sic cohortata est: Fili paullisper sustine, ecce Christus ad ianuam stat, adiuuans te. Cum verò reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, vt in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quod speraret impia turba, puerum si vixisset, ad idolorum cultum reuocari posse: ipso in humeros sublato, sancta mater vehicula Martyrum corporibus onusta strenuè prosequebatur: in cuius amplexu Melithon spiritum* DEO *reddidit, eiusque corpus in eundem illum ceterorum Martyrum rogum pia mater iniecit: vt, qui fide & virtute coniunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati, vnà in cælum peruenirent. Cōbustis illis, eorum reliquiæ proiectæ in profluentē, cùm mirabiliter in vnum confluxissent locum, salua & integra reperta honorifice sepulchro condita sunt.*

ELOGIVM SANCTORVM XL. MILITVM CAPPADOCVM

Ex Fastis Marianis.

AMBVLAVERAT *per omnes cruciatus impietas, & mox hausta tellus nulla iam reliqua tormenta habuit, cùm ecce ad Aquas & Aërem est itum. Nudi sub frigidissimo cælo* XL. *Milites Heroes Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente. Sed thermas putasses: ita nunquam alias maior in omnibus ardor eluxit; si vnum modò excipias qui ex Martyre transfuga factus, ad balnea, quæ crudelis impietas, vt virtutis insidias*

& Socij. Martyrol. Roman. *Sebastiani Ducis, Anatolij, Photij, Photidis, Parasceues, & Cyriacæ germanarum, qui omnes Christum confessi Martyrium sunt assequuti.*

XXVII. MART. S. ALEXANDER. Martyr. Rom. *Driziperæ in Pannonia* S. Alexandri Militis, *qui sub Maximiano Imperatore, post multos pro Christo agones superatos, multaque miracula edita, martyrium capitis abscissione compleuit.* Alexandrum hunc celebrat etiam *Vsuardus*. De eius sepulchro profanato à Caiano, & terribili vltione, qua vltus est DEVS hominis scelesti impietatem, lege historiam miscellam, nomine *Pauli Diaconi* lib. 17. in anno 12. & 18. Mauritij Imper.

XXVII. MART. S. AMPHILOCHIVS *Dux:* & CRONIDAS *Commentariensis*, qui pro Christi confessione cæsi sunt. Ex *Martyrol. Roman.*

XXVII. MART. S. CHRONIDAS *Commentariensis*. Hic vel fuit inter Milites custodiæ præfectus, vinctorū custos: vel in Militia castrensi Actuarius, cuius officium erat annonem militarem erogare, vt in superioribus est dictum.

XXX. MART. S. QVIRINVS TRIBVNVS. Martyrol. Rom. *Romæ Via Appiâ passio* beati Quirini Tribuni, *qui à S. Alexandro Papa quem habebat in custodiâ cum omni domo sua baptizatus est. Et sub Hadriano Imperatore traditus Aureliano Iudici, cùm in confessione fidei persisteret, post linguæ abscissionem, equulei suspensionem, manuumque ac pedum detruncationem, agonem martyrij gladio consummauit.* De eodem *Beda, Vsuardus, Ado*, alij. Habentur eius rei gestæ in Actis S. Alexādri Rō. Pontif. apud Sur. Tom. 3. die. 3. Maij.

APRILIS.

XI. APRIL. S. OCTO MILITES Dalmatæ. Martyr. Roman. *Salonæ in Dalmatia SS. Martyrum*, Domnionis Episcopi, *cum Militibus octo.* Horum nomina sunt: *Paulinianus, Telius Asterius, Maurus, Septimius, Antiochianus, Caianus.* Quorum corpora Ioannes Papa Quartus Dalmata, translata è Dalmatia propè baptisterium Constantini recondidit in Oratorio à se decentissimè exornato. Quod Ecclesiæ Lateranensis vetera monumenta testantur. Baronius Not. Martyrol.

XXII. APRIL. S. GEORGIVS MILES & MARTYR, Martyrol. Roman. *Natalis* S. Georgij Martyris, *cuius illustre Martyrium inter Coronas Martyrum Ecclesia DEI veneratur.* Menolog. Græcor. *Memoria Sancti & gloriosi, & magni Martyris GEORGII cognomento Tropelophori. Fuit Cappadox genere, passus sub Diocletiano Imperatore.* Cuius tempore fuit in exercitu Romano, vt antiqua habet narratio, admirabili pietate ac fortitudine vir GEORGIVS, in Cappadociâ claris natalibus è Christianis parentibus ortus. Hic amisso in egregio pietatis certamine patre, è Cappadociâ cum matre viduâ in Palæstinâ, vnde erat oriunda commigrarat; vbi, cùm propter generis nobilitatem, tum propter corporis pulcritudinē, viriumque præstantiam ætate iam ad Militiam maturus, Tribunus Militum declaratus est. Quo in munere, cum se per omnia in bellicis certaminibus inuictum, strenuumque exhibuisset, Comitis titulum à Diocletiano obti-

obtinere meruit. Eo tempore, cùm mater è vita discessisset, maioris cupidus dignitatis ad ipsũ Imperatorẽ profectus est.

AGEBAT tunc annum vigesimum ætatis, cùm visa in Christianum nomen immani tyrannide, tempus ad salutem opportunum ratus, facultatibus, quibus abundabat in pauperes distributis, seruisque libertate donatis, se tota mente ad certamen pro Christi gloria subeundum comparauit. Itaque stitit se Imperatori, fidem Christi professus est, aduersarijs, ipsique Imperatori intrepidè ac generosè respondit. Raptus ad carcerem, nihil de constantia remisit. Crudeliter tortus, neruis bubalis dilaniatus; fame, siti, frigore, flammis, omnique alio suppliciorum genere exagitatus, cùm fortis persisteret, feralem sententiam imperterritus excepit. Et fixis in terra genibus, oculisque ad cælum sublatis, ceruicem feriendam præbuit: sicque repromissam à DEO Iustitiæ Coronam accepit.

ENCOMIA

S. GEORGII MILITIS MARTYRIS.

I. S. GEORGIVM *Græci in Menologio appellant honorificè* μεγαλομάρτυρα, καὶ τροπαιοφόρον.

II. *Æthiopes in Missa quæ Æthiopica dicitur Georgio adscribunt, illique adclamant, quod sit* Sydus honoris, *seu* Stella splẽdida.

III. *Manuel Comnenus Imperat. Orientis qui inibi eius diem festum agri præcepit in quadam de ferijs Constitutione, hoc illum epithe to honorat* : Feriatus est XXIII. Aprilis, quippe quia tunc *Magnificus Martyr* GEORGIVS honoratur.

IV. *Communi Catholicorum sensu habetur Patronus Militum : inuocatur in bellu ad fidei & Ecclesiæ hostes expugnandos : implorarunt iam olim eius opem Orthodoxi contra inimicos quoslibet Ecclesiæ, Imperij, Reipublicæ, vt indicat antiquus liber, cuius titulus, Ordo Romanus.*

V. *Non est veritus religiosus Poëta asserere, Christianam iuuentutem colere* GEORGIVM *Martis loco. Baptista Mantuanus lib. 4. Fastor.*

Maxime bellorum Rector, quem nostra iuuentus
Pro Mauorte colit. ———

Non colunt Christiani Martem *falsum Deum, sed pro hoc, verum* DEI *seruum ac Martyrem* GEORGIVM, *cultu non quidem summo, aut latria, qui soli debetur* DEO, *sed inferiori, aut dulico, qui creaturæ ob peculiares prærogatiuas dari potest.*

VI. *Si cui in bello benè cessit, maximè post inuocationem D. Georgij illi gratias agere solet, vt bellorum Præsidi, & munusculo testari gratitudinem: quod fecit Iulius Cæsar Scaliger hisce versibus.* (a)

Hæc vita magnò pro munere Diue GEORGI
Parua sed ex animo munera Cæsar obit.
Hostilis toties, qui iam mucrone retuso,
Accepto multo vulnere victor abijt.
Nullum opus humanum hoc potuit, sed vindice dextra
Magne tua nostra hac dextera tanta fuit.

Nicephorus *Imperator inuocauit, & ad prænobilem victoriam propitium habuit S. Georgium, ex Cedreno in* Compendio *historiarum.* Chunibertus *Francorum Rex ingentem eodem Sancto adiutore de hostibus victoriam consequutus est : vt narrat Paulus Diaconus lib. 6. de gestis Longobard. cap. 5.* Edu-

(a) *Scaliger in Diuis pag. 44.*

Eduardus III. *Anglorum Rex in ancipitis pralii discrimine, magna sua cum vtilitate ac gloria eundem feliciter inuocauit. Quod obseruat in Eduardo illo Thomas VValsinganus. Quocirca eius nomine splendidissimos nobilissimi Ordinis Equites insigniuit. Hinc illa inscriptio in templo Anglicano Romæ ad imaginem Sancti bellè pictam:* GEORGIVM Cappadocem Anglia sibi protectorem elegit, & maximis beneficijs, tum pace, tum bello receptis, semper religiosissimè coluit.

VII. *Templu ad gloriam Militis & Martyris Georgij propagandam,* DEO *dicatis quanti eius patrocinium facerent, testati sunt Quasdam ex ijs vetustate collapsas restaurari præcipit B. Gregorius Magnus lib.* IX. *Epist.* 68. *Legẽdus Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyr. cap.* 102 *vbi de S. huius Reliquiis & Miraculis. Peculiari quadam sunt æstimatione, cultu, affectu erga* D. Georgium S. *Annonis Coloniensis Antistitis in eius vita apud Surium To.* VI. *lib.* V. *cap.* 27. *& lib.* 2. *cap.* 1. *vbi etiam de Templo ad memoriam Martyris erecto. B. Sidonius* Moguntinorum *Episcopus egregia etiam Æde sacra* Martyri *Militi Georgio honorem habuit. De qua Venantius Fortunatus ita cecinit lib.* 1. *Epigram.* 13.

Martyris egregii pollens micat aula GEORGI,
Cuius in hunc mundum spargitur altus honor.
Carcere, cæde, fame, vinclis sive frigore, flammis,
Confessus Christum duxit ad astra caput
Qui virtute potens Orientis in arce sepultus
Ecce sub Occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces, & reddere dona viator,
Obtinet hic meritis, quod petit alma fides.
Condidit Antistes Sidonius ista decenter.
Proficiant anima, quæ noua Templa fuit.

QVID censendum de picturâ vel sculpturâ S. GEORGII quâ effingitur Eques armatus, qui hastæ cuspide Draconem interficit: iuxta quem Virgo consistens manus supplices tendit, eius implorans auxiliũ. An imago hæc veræ sit historiæ expressio an potius symbolica, non vna est grauium auctorum sententia. Symbolicam volunt, Baronius, & Villauincentius. Sed ille per Virginem designari autumat, Prouinciam aut Ciuitatem, quæ aduersus Diabolum tanti Martyris imploret auxilium: iste verò, Virginem, Ecclesiam interpretatur, quæ piorum Magistratuum cura & armis contra Draconem, id est, Diabolum, omnemque omnium hæreticorum & sceleratorum immanitatem defendenda est. Certè, consueuit S. GEORGIVS, vt Equestris Militiæ Dux, equestri imagine referri. Quo spectat, quod narrat Nicephorus Gregoras lib. 8. p. 41. & 21. & 32. media nocte bis Equum hinnijsse, quo vehens Martyr pingitur, aut statuitur: & magno quidem omnium terrore: idque non tunc tantum, sed ante annos etiam 50. vt ostentum scilicet foret: sicuti si, de quibus Dominus Lucæ XIX. 4. lapides clamarent. Nec illud omittendum, cùm Imperator Mauritius ad Imperium iam iam euehendus esset, pium quendam Archimandritam monuisse, vt S. GEORGIVM in honore semper ac pretio haberet maximo. Quod scribit Baronius To. VII. Annal fol. 592. Plura habet Nicolaus Serarius in Litaneuticis lib. 2. q. 20. vbi applauditur S. Militi hoc carmine:

Felici augurio tibi nomina facta GEORGI
Terra tuo siquidem sanguine culta fuit.

ELOGIVM S. GEORGII MILITIS MARTYRIS.

ANNO post natum Seruatorem xc. supra cc. GEORGIVS fortissimus CHRISTI MILES, & ob virtutem inter Tribunos adlectus, tum Comitis etiam titulo à Diocletiano ornatus, cùm huius nihilominus efferam in Christianos tyrannidem propalam damnasset, in vincula & ipse tractus saxum primò ingens pectori iniectum supinus fortius, quàm cælum Hercules tulit: ad machinam deinde mucronibus omni ex parte armatam, vt ante ad gladios in acie, risit. Hinc calce tres dies sepultus, cùm illustrior surrexisset, ferreos, & ab igne candentes calceos indutus, nempe ad Olympicam Coronam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac alapis contusus, in ruborem languorem que ipsos carnifices dedit, & testem fidei suæ, mortuum è tumulo produxit. Tandem post tot egregiè pugnatas pugnas Coronatum pridie in carcere ab ipso Imperatore CHRISTO Caput iterum coronandum securi subdidit, cum prius ad eius imperium, corruissent omnia Numinū simulacra, & Cacodæmones se esse, non Deos vltrò edixissent, verissimo omnium, quod vnquam dederunt, oraculo. Ex Fastis Marianis.

XXIV. APRIL. S. SABAS Ductor Militum. Martyr. Roman. Romæ S. Sabæ Ductoris Militum, qui accusatus; quod Christianos in carcere detentos visitaret, coram Iudice Christum liberè confessus est. A quo facibus adustus, in lebetem picis feruentis iniectus, cùm euasisset illæsus, eo miraculo septuaginta viros ad Christum conuertit: qui omnes in confessione fidei constanter permanentes gladio cæsi sunt: postremò ipse demersus in flumen, Martyrium consummauit. Idem habent Græci in Menologio.

XXVIII. APRIL. S. VITALIS. Martyrol. Roman. Rauennæ S. Vitalis Martyris, patris Sanctorum Geruasij & Protasij: qui cum B. Vrsicini corpus sublatum honestate debitâ sepelijsset, tentus à Paulino Consulari, post equuleï tormenta, iussus est deponi in profundam foueam, & terra ac lapidibus obrui: taliquè Martyrio migrauit ad Christum.

ELOGIVM S. VITALIS MILITIS MARTYRIS.

VITALIS Miles, Sanctorum Geruasij & Protasij pater, vnà cum Paulino Iudice, Rauennam ingressus cum vidisset Vrsicinum Medicum ob Christianæ fidei confessionem ductum à supplicium paululum in tormentis titubare, exclamauit: Vrsicine Medice, qui alios curare solitus es, caue, ne te mortis æternæ iaculo conficias. Qua voce confirmatus Vrsicinus, martyrium fortiter subiuit. Quare Paulinus incensus Vitalem comprehendi iubet. & equuleo tortum atque in profundam foueam demersum lapidibus obrui. Quo facto quidam Apollinis Sacerdos, qui Paulinum in Vitalem incitarat, oppressus à Dæmone clamare cæpit: Tu me nimium Vitalis Christi Martyr incendis, & illo æstu iactatus se præcipitauit in flumen. Ex Breuiar. Romano.

Res gestæ fusius perscriptæ extant iunctæ Actis SS. Geruasij & Protasij, in epistola, quæ præfert nomen S. Ambro-

sij, quam recitat Surius To. xix. Iunij. Recenset eiusdem Acta Mombritius tomo secundo. Passus est secundum probabiliorem chronologiam Anno Domini 171. sub Mar. Aurelio & Lucio Vero Impp.

XXVIII. April. S. Didymus. Miles, vel professione & munere, vel fictione, & schemate. vt patebit legenti artificium militare Christiani Satellitis. Martyrologium Romanum sic habet. *Alexandriæ passio S. Theodoræ Virginis, quæ idolis sacrificare contemnens, cum esset in lupanar tradita, repentè quidã ex fratribus, nomine,* Didymus, *miro* Dei *fauore, commutatis vestibus illam eripuit. Qui posteà in persequutione Diocletiani, sub Eustratio Præside, simul cum eadem percussus, simul coronatus est.* Eadem designata die habet Beda alijque Latini. Sed Græci in Menolog. Nonis, seu 5. April. Censetur autem hæc Theodora eadem, cum ea, de qua scribit S. Ambrosius lib. 2 de Virgin. licet ibi pro Alexandriâ legatur Antiochia, librarij errore. vt est verosimile cum Græci ac Latini eam Alexandriæ passam asserant: idque ex Actis eiusdem habeatur apud Metaphrastem ex quo refert eadem Lipomanus Tom. 7. & Surius Tom. 2.

ELOGIVM
S. DIDYMI & MILITIS Theodoræ Virginis.

F*abvlam damus, dum viuimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam* Didymus *&* Theodora *dederunt. Hæc cum paruulum tyrannum Amorem fugit, in maiorem alterum Maximinum Imperatorem incidit. Iubetur aut fidem, aut Virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur non Virgo? Virgo viueret, non* Martyr? *Placuit Virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem. Sed primus* Didymus *irruit in* Militis *persona vultum amantis preferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes. Sub Milite euadit Virgo: sub Virgine Miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa Virgo, quàm cum sic Miles: nunquam magis iste vir, quàm cum si femina fuit.*

Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce in morte mouet. Vadem ait, se pudoris, non mortis legisse. hanc vel fuga meruisse: esse certè in Virgine ferro locum, si iniuria non fuerit; sed non animos deesse, quos cum armis sumpsisset. Demũ si Theodora *addicta sit morti* Theodoram *se esse: si* Didymus, *etiam hunc induisse. Contrà, querebatur ille, ingratam benefactori præmium inuidere. arma se exuisse, non Militem: stolam induisse, non fœminam: turpe fore viro tergum vertere. si sic mulier pugnaret: Illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse: se denique (siue* Didymus *iam esset siue* Theodora) *se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? Duo pugnarunt,* Miles *ac Virgo; & cernentibus caussam lictoribus, ambo vicerunt.*

XXVIII. April. Miles Carthaginensis *Anonymus, Rediuiuus, Pænitens, Saluus.*

Heraclio Imperante, Nicera Patricio Africæ Præside res admirabilitatis plena accidit. Grassante per vrbem pestilentia, Legionarius quispiam erat Carthagine, qui cum coniuge in agrum suum suburbanum vitandæ contagionis

causâ secessit. Sed malus Dæmon illum ad flagitium impulsum eò deduxit, vt villici sui vxorem stupraret. Deinde, bubone (fœdus inguinis morbus est) correptus periit. Post tres autem horas cœpit è tumulo clamare, *Miseremini mei.* Quem recluso sepulchro viuum reperêre; sed qui nec quicquam posset effari. Thalassius Africæ Pontifex hominem interim solabatur.

POST quatriduum tandem in hæc verba exorsus est. Cum animus meus iam à corpore meo esset excessurus vidi Æthiopas visu formidabiles lectum meum cingere: deinde spectaui duos florentes Ephebos ad me aduentantes, quorum aspectu mirificè afficiebar; qui iuuenes me susceptum ad cælum ducere cœperunt. Sed atra illa monstra in telonijs excubantia omnes noxas meas peruestigarunt, excusseruntque. Alius mendacium, inuidiam alius, alius auaritiam. Sed beati Cælites pro his ex benefactis meis satis dedere. Cùmque iam ab ipsis cæli foribus haud procul abessemus, tota nobis acies fœdarum Vmbrarum, quæ pro telonio Veneris stabat occurrit, quæ mihi paulò commissum obiectabat adulterium, conuictumque in vltimum terræ chaos deturbauit, vbi peccantium animi supplicijs plectuntur, quæ nulla possunt ratione explicari. Ergo me plangente, rursum comparent illi gemini Adolescentes, quos ego fletu precatus dixi: Date locum clementiæ, vti possim noxias meas expiare. Tum alter alteri, Spondes-ne pro illo satisfacturo? Spondeo, inquit alter. Tum missum è cauea ad conditorium me deduxerunt. Sed cum viderem corpus, velut cœno & luto inquinatum abhorrui tam triste hospitium: & Angeli, fieri non potest, vt peccatum pœnitendo deleas, nisi per corpus, cuius operâ scelus designasti: quod ego ingressus animari, clamareque cœpi. Hoc cùm narrasset Miles, quadraginta dies sine vllo alimento, fletus, gemensque traduxit, & rursum obdormiuit. *Ex Menæis Græcorum* Matthæus Raderus *in Viridario Sanctorum*, *vbi addit in Annotationibus.* Legi hanc historiam apud Glycam hisce verbis sub Heraclona.

ACCIDIT *iis temporibus, vt quùm pestilens morbus Carthagine grassaretur, ac multi homines morerentur, Miles quidam parum continens, sumptâ secum vxore sua in suburbium se conferret. Ibi cum in amplexus mulieris cuiusdam, quæ agricolæ coniunx erat venisset, mox vitam amisit. Altero verò die psalmos concinens, alta voce clamabat:* Miseremini mei. *Deinde surgens narrabat: quo pacto ab Angelis adscortationis vsque telonium deportatus, quasque res istic conspexisset. Hoc modo, cum sibi, & multis alijs, indicatione sua profuisset, naturæ debitum persoluit.* Subdit *Raderus*: Eadem ex Manu S. Græco Hamartoli ad verbum interpretabor, *nonnihil enim à Menæis differt.*

CARTHAGINE *ciuitate Africæ* MILES *luxu perditissimus degebat, qui vulgata per vrbem sæua pestilentiæ lue, scelerum pœnitudine ductus de commissis flagitijs, doluit vehementer, & deserta vrbe, in agro suburbano priuatim cum vxore sua vixit: vbi rursum, impulsu Dæmonis cum agricolæ coniuge adulterium commisit: subitoque extinctus in suburbano Monasterio conditur. Postridie cum Cœnobitæ ad Tertiam horam Canonicam psallerent,*

vox ab imo tumulo auditur: Miseremini mei seruı DEI; miseremini mei. Qui conditorio mox aperto, Militem sedentem, acclamitantem extrahunt, vinculisq; expeditum rogant, quid id rei sit, & quæ miraculi caussa? Miles tantum precabatur, vt ad famulum DEI Thalasium Episcopum duceretur; ductusq; est, vti rogauerat. Ad quem Episcopus: Expone mihi statum rerum tuarum vt & ego DEO laudes debitas persoluam, cum Miles rediuiuus in verba narrationem cum multis lacrymis instituit.

EGO, Pater, vilis & infelix, cùm vitam in peccatis meam finirem, vidi quosdam atros Æthiopas me circumuallantes, quorum solus aspectus omni supplicio grauior est, & intolerabilior; quos noxia anima mea cum spectaret, sanè perturbata seipsam in arctum contraxit. Cinctus his formidandis Æthiopum monstris aspicio geminos Adolescentes, candido vestium cultu ornatos formaq; florentissimos, qui Animam meam mox ad cælum euolantes deduxêre. Sed in eo aëris tractu reperêre Publicanorum stationes & telonia, qui viam arctè obsid. bant, animasq; ad cælum tendentes morabantur. In singulis telonijs Quæsitores certorum criminum versabantur. In hoc mendacij ratio exigebatur, in alio inuid.æ, in illo calumniæ: & ita deinceps in alijs singula certaq; peccata à certis & singulis Quæsitoribus exigebantur. Ab his ego comprehensus, vidi geminos illos Iuuenes via duces gestare, velut in crumena quadam benefacta mea, & pia virtutis opera; ex qua illis Quæsitoribus satisfaciebant, & bona pro malis reponebant; quæ libri pendes illi, & viæ cælestis insessores ad amussim pensitabant, ægrèque tandem dimittebant.

Cumq; iam exhaustis bonorum operum loculis, ad cæli portas aspiraremus, in telonium Veneris & adulterij incidimus, vbi à fuliginosis illis monstris mihi manus iniecta, & omnes corporis voluptates, ac flagitia, quæ decennis puer, vsque ad vltimam ætatem infelix designaueram obiecta. Respondentibus pro me & defendentibus illis ephebis, quod quæ in ciuitate peccassem, per pœnitentiæ lacrymas delessem: rursum abiecti & forminabiles illi quadruplatores: Doluit quidem de commissis in vrbe, sed posteà in suburbio, perpetrato adulterio, extinctus est. Quod vbi cælites illi Ductores mei audiuerunt, nec haberent, quod defenderent, à me destituto, & ab omnibus operibus nudo recesserunt. Tum verò illa Cocyti portenta arreptum & cæsum rursum in terrans detraxerunt.

Vbi sententia in me lata descenderunt per arcta quadam, & tenebricosa, malèque olentia, & horrifica loca, spectantia occidentem, & subterranea inferiorum ergastula, vbi sunt animæ eorum qui deliquerunt conclusæ: In terra tenebrosa & caliginosa, in terra æternarum tenebrarum, vti lux nulla (*Iob. x.*) nec vita mortalium speranda vlla, vt scriptum est: sed dolor & afflictio absque consolatione perennis, gemitusq; lamentabiles. Etenim in memoriam regrediuntur ibi, quæ hic peccauerunt, & meditantur quomodo caussam velint apud incorruptum Iudicem defendere, quoque pacto æterna supplicia toleraturi sint; prægustantque quodammodo iam pœnas, conscientiâ prodente subeundas, dum cogitant, se à DEO Sanctorumq; gloria sempiternâ separatum iri; & cum sedulissimis Dæmonum formis damnationem subituros, absque vlla cessatione, sine vlla remissione doloris, assiduè lugent & lamentantur.

CVM hic ego vinctus & conclusus eiulabam. Interim video rursus illos duos Ephebos ad me reuisentes, quos ego obnixè precatus, eximerent me ex illo horrifico & tetro carcere: acturum me pœnitentiam. Sed illi, frustrà es. inquiunt, nemo vsque ad decretoriũ illum Iudicij diẽ hinc exit.

Sed ego cùm obtestari eos non cessarem, & ignorantiam excusarem, & promitterem si mei misererentur, atque in vitam reducerent, fore, vt exemplo vitæ, veraq; pænitentia maximam adferrem mortalibus vtilitatem. Exorati ergo reducunt me ad corpus. Tum vidi germanam animæ naturam, veluti gemmam nobilißimam splendore radiantem; corpus verò horridum & & tabo fœdum. Quare cùm tergiuersarer, & propter horrorem ingredi recusarem, illi, nisi, inquiunt, intraueris corpus, reducemus te ad locum suppliciorum. Redii ergo in vitam, vt tibi & alijs (sic enim placet Numini) salutem pariàs sempiternam.

Tunc per os vidi me corpus intrare, & corpore rediuiuo cœpi clamare, Miseremini mei. *Ex qua re omnes magna salutis cepere emolumenta: cumq; omnes præ formidine trepidarent, ob rei gestæ narrationem, omnes in lacrymas & lamenta effusi, suas quisque noxas deplorabant. Porrò, qui rediuiuum Militem viderūt adeò exhaustum lacrymisq; penitus confectum, rogabāt, vt aliquid sibi gustaret. Sed ille prorsus omni alimento reiecto, omnibus humanis curis abiectis, templa obibat, palamq; in terram & pauimentum prostratus, quanta poterat voce lacrimabundus clamitabat.* Væ, væ, peccatoribus peccantibus & non pænitentibus, quale & quàm seuerum iudiciū subibunt, & quam formidanda supplicia tolerabūt. *Hunc in modum cum dies quadraginta ieiunijs & peruigilijs transegisset, multosq; verbo, & exemplo ad peccatorum detestationem & pænitentiam adduxisset, rursum obdormiuit in Domino, cum se moriturum duodecim dies antequam obiret præsensisset.* In hac Militis rediuiui historia, quæ difficilia, quæ dubia, quæ paradoxa, quæ minus credibilia videntur, interpretatur mitigat, & explicat egregiè *Raderus* loco indicato.

XXIX. APRIL. S. ÆMILIANVS Martyrolog. Roman. *Passus est in consortio Sanctorum Martyrum Agapij & Secundini Episcoporum* ÆMILIANVS Miles. De quo nihil præterea reperio: nisi, quod passus sit Cirthæ in Numidia, ac cum eo Tertulla & Antonia Sacræ Virgines: & quædam mulier cum suis geminis.

MAIVS.

I. MAII. S. SIGISMVNDVS REX. Martyrologium Roman. *Seduni in Galliâ S.* SIGISMVNDI Regis *Burgundionum, qui in puteum demersus occubuit: ac postea miraculis claruit.* Idem habent Beda. Vsuardus, Ado, alij in suis Martyrologijs. Scribit de eo Gregorius Turonensis histor. Francor. lib. 3. cap 5. ac 6. & exactus de gloria Martyr. cap. 75. Amonius lib. 2. cap. 4. Ado Viennen. in chronic. An Domini 492. Sigebertus, qui refert eius necem in An. Christi 115. Papirius Maso.

ELOGIVM S. SIGISMVNDI REGIS.

QVOTIES nouerca ex patre vitricum fecit! Sanè, SIGISMVNDVM *Burgundionum Regem eò artibus suis impulit, vt filium Sigericum, quasi patrem regno exuere cogitasset, vitâ ipse exueret. Verùm aspersas filij cruore manus, tam multis lauit lacrymis, vt quem sic pæniteret, penè innocens dici posset.*

Monitus

Monitus tamen ab ignoto nescio quo sene, & suam potius vitam, quàm filij (qui cælo frueretur) mortem deflere iussus, ad D. Mavritii, *Sancti Militis tumulum abijt, caussamq; illi commendauit, ageret hanc, vt suam olim apud* Devm: *adesse fatentem reum: supplicia precari, non deprecari: sæuiret nunc etiam Pater* Devs, *modò olim Iudex parceret: quam pœnam tam nocens filius meruisset, tum se monstrasse, cùm innocentem occideret. Lacrymis non posse satis elui manus, sanguine posse, sed suo; huic fundendo iam se initium dedisse, cùm filij funderet, quem malè libasset rectius litat: tum sese. Et verò damnatus voti est. Bello enim in annum* D. xxvi. *à Clodomiro Gallo um Rege petitus, captusq;* Pivs Miles, *& capite plexus in puteum est abiectus. Sed tam ignobile Sepulcrum Pœnitentis Regis cantu suo luminibusq; cælum fecit. Quin agri magno numero morti iam proximi sanitatem inde suam hauserunt. Itaque quam vni eripuit vitam, longè plurimis* Sigismvndvs Sanctvs Milis *restituit.* Fasti Mariani.

III. Maii. S. Alexander. Martyrol. Rom. *Constantinopoli SS. Martyrum* Alexandri Militis, *& Antoninæ Virginis, quæ in persequutione Maximiani sub Præside Festo ad lupanar damnata, & ab Alexandro, qui pro ea ibi remanserat, mutato habitu clam educta, cum ea postmodum iussa est torqueri: & ambo simul præcisis manibus, in ignem pro Christo iniecti egregio peracto certamine, coronantur.* Eadem habent Græci in Menolog. ad vi. Idus Iunij, vbi rei gestæ historia fusius enarratur. Iidem testantur ibid. eorum corpora Constantinopoli adseruari Scribit de illis Nicephorus histor. lib. 7. cap. 13. licet nomina eorum reticeat. Notat autem *Baronius*, hos non esse eosdem cum *Didymo & Theodora*, ne quis hoc existimet ob simile certaminis genus, quod describitur xxviii. April. quò recurre. Contingebat sæpius fœminas Christianas ad prostibulum damnari, & à Christianis Militibus simili stratagemate educi. Exemplum nobile est apud Palladium, de Virgine *Corinthiaca*, quod ex Hippolyto describit cap. 54. Istiusmodi fallaciæ artem aludendi custodes imitatione habitus primæ suo exemplo docuerunt Lacedæmoniorum fœminæ, quæ ijs technis maritos à nece subducebant, seipsas illorum loco tradentes: de quibus *Valerius Max.* lib. 4. cap. 6. de amore coniugali. Acta autem Alexandri & Antoninæ habet ex Metaphraste *Lipoman.* Tom. 7. *Surius* Tom. 3. & eorum compendiatores. Legendus *Baron. Not. ad* Martyrol. *& Tom. 2. Annal.*

---

iv. Maii. S. Florianvs *Laureacensis.* Martyrol. Rom. *Laureaci in Norico Ripensi S.* Floriani Martyris, *qui sub Diocletiano Imper. Aquilini Præsidis iussu, ligato ad collum saxo, in flumen Anisum præcipitatus est.* De eodem, *Beda*, *Vsuardus*, *Ado.* Acta habentur apud *Surium* Tom. III. *Mombritium* Tom. 1. *Petr.* in Catalog. lib. .. cap. 121. Plura de eod. in Breuiario Polon. & *Cuspinian.* in Austria. Extat de eod. elegans epigramma Bonad. Sancton. lib. 2. Monod. 59.

Fvit autem Florianvs Miles egregius, qui cùm audiuisset Aquilinum Præsidem non minus quadraginta viros præclaros comprehendisse in castro Laureacensium, eo profectus est, vt certaminis,

ne compleuit. De eodem Beda, Vsuardus Ado, VVandelb. aliíque recentiores. Meminit *Victoris* eiusdem S. Ambrosius in Lucam lib. 7. cap. 13. & recenset eum inter Martyres Ecclesiæ Mediolanensis. De eodem Ennodius Ticinensis de se ipso scribens: *Continuò me ad B. Victoris* Martyris *præsidia sæpe experta transuexi.* Eius Acta habet Surius Tom. 3 Ante eum Mombritius To. 2. Petrus in catal. lib. 4. cap. 113 De eo etiā miraculū recitat Greg. Turonensis lib. de Glo. Martyr. cap 45.

VIII. Maii. S. Acathius *Centurio* Martyrol. Rom, *Constantinopoli* S. Acathij Centurionis, *qui in persequutione Diocletiani & Maximiani à Firmo Tribuno delatus, quod Christianus esset & à Bibiano Iudice Perinthi sæuissimè tortus, Bizantij demum à Flacciano Proconsule capitis damnatus est. Cuius corpus ad Scyllacium littus, diuinitus postea delatum ibi honorificè asseruatur.* Compendium vitæ & Nouellas habes Tom. 1. lib. 3. Comment. 11. Memb. 6. Artic. 5.

XVII. Maii S. Solochanus & Socii Martyrol. Roman. *Chalcedone Sanctorum Martyrum*, Solochani, & Sociorum militum, *sub Maximiano Imperatore.* De ijsdem agunt Græci in Menologio, vbi fusius *Solochani* res gestæ describuntur.

XVIII. Maii. S. Ericus Rex Sueciæ. *Martyrol. Rom.*. Vpsali in Suecia Sanctı Erici Regis & Martyris. De eodem agit Molanus Addit. ad Vsuardum. Saxo Grammat. lib. 14. de rebus Danic. Ioan. Olaus de rebus Goth. lib. 19. cap. 1. Necatus est Anno Domini MCLI. *Baronius* Not. ad Martyr.

Pars Quarta.

ELOGIVM

S. ERICI REGIS.

SVECIÆ REX ERICVS *Diuorum Regum imagines ante oculos suos velut speculum posuit, ipse Regum oculis hodieque proponendus. Patriæ & pauperum præcipuè pater, libidinis æstus glaciali aquâ suffocauit. Mulctæ pecuniariæ tertiam partem quamuis vltrò oblatam, noluit tamen ærario inferri, ne, quod amat fieri, sibi potius consulere, quàm Iustitiæ videretur. Bella gerebat, non tam vt suum quàm, quod Christiani est militis,* CHRISTI *Regnum amplificaret. Itaque cùm Finlandis fidem Victor intulisset, cæsis hostibus lacrymis fertur parentasse, quod victis aliter via ad salutem non potuisset sterni, quàm per sociorum stragem. Sed vide obfirmatum ad Diuina animum, quod fuit Militis Sancti. Sacrificanti aderat die* CHRISTO *triumphanti Sacro. Interea cum omnibus copijs imminet Hemingus Sueonum Filius Daniæ Regis. Arma conclamant alij; &, siue pugnæ Ducem, siue fugæ, Regem exposcũt. At hic,* Sinite, *inquit,* me litare: reliquum obsequij alibi DEO persoluemus, Pæana in cælis cantaturi. *Itaque Sacris ad finem pertinax immoratur. Tum demum* CRVCE *frontem armatus aciem subit & pugnam. Numinéque ita volente, cadit etiam. Ceterùm ibi, quo loco, sanguinem fudit, fons continuò exortus aquas fudit passim ægris salutares. Illud penè excidit. Cilicinum eius thoracem asseruari regij sanguinis purpurâ etiam hodie rubentem, Loricam qualem hodie in Principum armamentarijs verò videas.* Ex Vitæ Aquiloniâ Ioannis Vastouij, Fasti Mariani.

XXI. Maii. Nicostratus & Antiochus *Tribuni, & Milites alij*, Martyrol. Rō. *Cæsarea Philippi natalis SS. Martyrum*, Nico-

strati & Antiochi Tribunorum, *cum alijs militibus*. Habentur horum Acta intexta in Procopio martyr. apud metaphrast. VIII. Iulij, vbi passi leguntur XXI. Maij in persequutione Diocletiani.

XXII. MAII. S. BASILISCVS MILES. Martyrol Roman. *Comanæ in Ponto S. BASILISCI Martyris, qui sub Maximiano Imperatore, & Agrippa Præside, ferreas crepidas ignitis clauis confixas calceatus, multaque alia passus, demum capite obtruncatus, & in flumē proiectus, martyrij gloriam consequutus est.* De eo Græci in menologio eodem die, ibique eius Acta compendio describuntur. Meminerunt eiusdem, qui Acta S. Ioannis Chrysostomi conscripserunt: vt *Theodoret*. lib. 5. hist. cap. 34. *Nicephor*. lib. 13. cap. 37. *Metaphrast. Georgius, Alex.* & alij.

ELOGIVM
S. BASILISCI MIL.

LATVIT *subinde etiam sub Militari sago magna virtus, & Castra theatrum prabuēre Christiana Sanctitati. Nunc* BASILISCVM *inde producimus, plurium palmarum Militem. Quem afflictum marore ferunt, quòd acceptis pro Maximiano impio Casare vulneribus guttam sanguinis pro* CHRISTO *nullam fudisset; cùm tamen Theodorum Martyrem proximà necessitudine contingeret, cuius pro fide pralia conuicia sua ignauia facerent: vtique si virtuti sua* CHRISTVS *consideret, eius experimentum pridem capturum fuisse. Rarò ita cum Superis expostulatum est: neque sustinuit cali Imperator tam pia Militis sui desideria perire. Vltrò eum alloquutione dignatus, memorem esse voti sui iussit, & dignos tanta sponsione animos adferre in imminentem pugnam. Cuius ei copiam Agrippa impius Prator fecit, qui ferro soleatum clauis plantā penetrantibus, cursu nihilominus aquare citatam quadrigam coëgit. Subinde à Traianā hospitio acceptus, arida arbori, sub quā recubuerat vitam reddidit, frondesq́ue credo ne capiti corona deessent. Fons etiam ad pedes Martyris scaturijt, hāc vicem reddente terrā, cum sanguinem eius odisset. Eo prodigio non sitim tantū comitum eius, sed perfidia quoque extincta est. Paulò post etiam alteri Elemento imperauit, deuocatoq́ue de calo igne, Deorum delubrum exussit. Ipse capite imminutus, & in proximum flumen sparsus, maximo & vltimo miraculo, nihilo minus ad Beatitatis littus enatauit.* Ex Menæis Fast. Mariani.

XXIII. MAII. S. BOBO Miles. *Martyrologium* Philippi Ferrarij. *Vico Iria in Liguria* S. BOBONIS *Confessoris*. De quo Tabulæ Ecclesiæ Dertonensis, Veronensis, & Laudensis (multis enim in locis est celebris eius memoria(Corpus Vico-Iriæ iacet, licet Papiæ etiam esse feratur. Is Româ ex peregrinatione rediēs in patriam, Galliam Narbonensem Vico-Iriæ decessit. Laude Pompeia die præcedenti colitur & *Bouus* appellatur. Derthonæ verò die XXV. Veronæ & Vico-Iriæ XXIII. Maij.

ELOGIVM
S. BOBONIS MIL.

QVO *tempore Mauri Hispania potiti, Galliam etiam Narbonensem mali vicini terrebant, fuit* BOBO, *patria sua Propugnaculi instar Homo nobilis catera, & Militaris, sed qui sub sago tegere norat virtutem, raram inter Milites armaturam. Fortè hostis Fraxinetam insulam insederat, & crebris inde excursionibus multum rem Christianam vexabat. His* BOBO *Du-*

tibus Apostolorum Petro & Paulo spolia opima vouet, arma non hostis sed sua. Positurum se ista, nec Ducem iam Militum, sed pupillorum Patronum fore. Ad hac gratum se quotannis Romam iturum, ac liminibus victricibus osculum laturum. Annuêre Diui, & per quietem visi animos addiderunt Boboni. Ille mox Militibus, quibuscum per medios hostium cuneos arcem ingressus, non modò obsidione hanc liberauit; sed barbarum Regem Insulâ exuit, Itaque terrorem à Galliâ longè amouit. Et hic Triumphus Bobonis de hostibus fuit: alter de ipso Bobone Fratricida obuius, nutante aliquamdiu in vindictam animi acie, sui tandem egregius Victor spolium ex inimici vultu osculum suspendit. Porrò, arma exuit, & Orphanorũ iam Dux annis singulis pedes Triumphum suum Romam duxit, dum ex itinere denique mortuus in celeste Capitolium est inuectus. Mortui tumulum quotquot animalia calcarunt in vestigio mortua monuerunt incolas, vt eum cancellis à profana terra secernerent, & templo honorarent. Ossa denique Ticinum translata memorant, pompaque, quo augustior hac foret, lumina è cælo, & Stellam adfuisse. Ex Ferrar. Fasti Mariani.

XXIV.Maii S. Meletivs Dux exercitus, & socij Milites ccliI. Martyrol. Rom. Hoc die Sanctorum Martyrum, Meletij Ducis exercitus, ac Sociorũ eius ducentorum & quinquaginta duorum, qui diuerso mortis genere Martyrium compleuerunt. Eodem die Græci eorum memoriam celebrant, & acta pluribus referunt.

XXVII.Maii.S.Ivlivs Miles veteranus. Martyrol. Rom. Dorostori in Mysia passio B. Iulij, qui tempore Alexandri Imperatoris, cum esset Veteranus, & Emeritæ Militiæ, comprehensus ab Officialibus Maximo Præsidi offertur: quo præsente cum idola execraretur, & Christi nomen constantissimè confiteretur, capitali sententia punitus est. De iisdem agunt Beda, Vsuardus, Ado & alij. Certamen autem Iulij compendio describit Petrus in catalogo lib. 5. cap. 56.

XXX.Maii.S.Hermias. Apud Comanos in Ponto S.Hermiæ Militis, qui sub Antonino Imp. ab innumeris & sæuissimis tormentis ope diuina liberatus, Carnificem ad Christum conuertit, & eiusdem Martyrij coronæ participem fecit, quam tamen ipse primus gladio obtruncatus accepit. De eodem in Menologio Græci. Vbi summatim eius Acta referuntur.

IVNIVS.

I.Ivn.Ischyrion Ductor Militum, & cum eo Quinque Milites. Martyrol. Rom. In Ægypto SS. Martyrum, Ischyrionis, Ductoris Militum, & aliorum Quinque Militum, qui sub Diocletiano Imperatore pro fide Christi diuerso mortis genere perempti sunt. De iisdem apud Græcos agitur in Menologio. Est autem hic Ischirion diuersus ab eo, cuius meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 34. Quod obseruauit Baronius Not. ad Martyrolog.

I.Ivn.S.Felinvs & Gratinianvs. Martyr. Rom. Perusia SS. Martyrum Felini & Gratiniani Militum, qui sub Decio varijs tormentis cruciati, Martyrij palmã gloriosa morte perceperunt. De his vetera monumenta Ecclesiæ Perusinæ apud Baroniũ.

I. IVN. S. CRESCENTIANVS Miles Romanus Martyr. Rom. *Apud Tiphernũ in Vmbria S. Crescentiani Militis Romani, sub* Diocletiano *Imperatore Martyrio coronati.* De huius Sancti Militis Martyrio fidẽ faciunt antiquæ memoriæ Tudertinæ Ecclesiæ.

XII. IVN. S. BASILIDES, CYRINVS, NABOR, NAZARIVS, martyrol. Romanum. *Romæ Via Aurelia natalis SS. Martyrum,* Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij Militum, *qui in persequutione Diocletiani & Maximiani sub Aurelio Præfecto, ob Christiani nominis confessionẽ detrusi in carcerem, & scorpionibus lacerati, capite truncati sunt.* Hi qui nominantur *Nabor* & *Nazarius*, diuersi sunt à *Nabore* & *Nazario*, qui passi sunt Mediolani. Ille etenim *Nabor* vnà cum *Felice* ibi passus est. *Nazarius* alio tempore vnà cum *Celso*: Hi autem Romæ cum Basilide & Cyrino. Alius præterea reperitur *Nabor* Martyr in Africa, qui nominatur in martyrol. ad VI. Idus Iulij.

ELOGIVM

Ex Breuiario Romano.

BASILIDES, CYRINVS, NABOR, & NAZARIVS *Romani milites, nobiles genere, & virtute illustres, Christiana religione suscepta cum Christum* DEI *Filium Diocletiano Imperatore prædicarent, ab Aurelio Præfecto Vrbis comprehensi, & vt Dijs Sacra facerent, admoniti, eius iussa contemnentes, missi sunt in carcerem. Quibus orantibus, cum subitò clarissima lux oborta omnium oculis qui ibidem essent carcerem collustrasset; illo cælesti splendore commotus Marcellus custodiæ præpositus, multique alij Christo Domino crediderunt. Verùm postea è carcere, missi, ab Imperatore Maximiano, cùm eius etiam neglecto imperio, Vnum Christum* DEVM, *& Dominum in ore haberent, scorpionibus cruciati, iterum conijciuntur in vincula: vnde septimo die educti, & ante pedes Imperatoris constituti, perstiterunt in irrisione inaniũ deorum,* IESVM *Christum* DEVM *constantissimè cõfitentes. Quamobrem damnati securi feriuntur. Quarum corpora feris obiecta, nec ab illis tacta, honorificè sepulta sunt.*

XV. IVN. S. HESYCHIVS. martyr. Roman. *Dorostori in Mysia S. Hesychij militis, qui cum B. Iulio comprehensus, sub Maximo Præside, post eum Martyrio coronatus est.* De eo Beda, Vsuardus, Petrus in Catal. lib. 5. cap. 119. & in Iulio Mar. eod. lib cap. 56.

XVII. IVN. S. MONTANVS. mart. Rom. *Terracinæ S. Montani Militis qui sub Hadriano Imperatore, & Leontio consulari post multa tormenta Martyrij coronam accepit.* Eius vitæ Acta accepisse se ab Ecclesia Caietana scribit Baronius in Notis, quorum hoc exordium est: MONTANVS Miles & Ciuis Romanus.

XVIII. IVN. S. LEONTIVS. martyr. Roman. *Tripoli in Phœnicia S. Leontij Militis, qui sub Hadriano Præside, vnà cum* HYPATIO *Tribuno, &* THEODVLO, *quos conuertit ad Christum per acerba tormenta peruenit ad coronam Martyrij.* De eodem agunt Græci in Menologio, vbi eius Acta summatim collecta narrantur. Quæ prolixius Metaphrastes est prosequutus: ex quo Lipom. To. 7. & Surius

Surius To. 3. referunt eadem. Meminit huius S. LEONTII Militis, vt per-illustris Martyris, Theodoretus in commentario de Euangelica veritate lib. 8. de Martyribus circa finem. Tradit Procopius lib. 3. de Ædific. Iustiniani Imperatoris, huic *Leontio* Martyri extruxisse magnificentissimam basilicam. Erat & Tripoli in Phæniciâ nobilis memoria *Leontij* Martyris, cuius mentio est in Quinta Synodo, Actione 1.

XVIII. IVN. MARCVS ET MARCELLIANVS fratres. Martyrol. Roman. *Romæ viâ Ardeatinâ SS. Martyrum Marci & Marcelliani fratrum, qui in persequutione Diocletiani à Iudice Fabiano tenti, & ad stipitem alligati, in pedibus clauos acutos acceperunt: cumq́ue non cessarent laudare Christum lanceis per latera transfixi cum gloria Martyrij ad siderea regna migrarunt.* De ijsdem Beda. V. suardus, Ado. Fuisse Milites colligitur ex Actis S. Sebastiani, in quibus hæc habentur. SEBASTIANVS *clarissimis viris* MARCELLIANO & MARCO, *duobus geminis fratribus pro Christi nomine in vinculis constitutis quotidie solatium exhibebat, & tam ipsis, quàm etiam seruis eorum, cùm quibus tenti fuerunt, salutaria fidei consilia ministrabat: quibus fugitiua seculi blandimenta respuerent, & momentanea tormentorum genera non timerent. Qui cum beatissimis consolationibus adquiescerent, & verbera carnificum animo perferrent: transirent, capitalem iussi sunt subire sententiam.* Sed parentes eorum triginta dierum impetrarunt inducias, quibus pater querelis, mater blanditijs, amici persuasionibus eos peruertere conati fuerunt. Quocirca inter hæc & vxorū lacrymas, ac suspiria filiorum cœperunt Milites Christi mollescere, & animas suas flectere ad dolorem. Huic spectaculo intereat S. SEBASTIANVS, *inquit Historicus,* Vir per omnia Christianissimus, quem occultabat militaris habitus, & chlamydis obumbrabat aspectus. At vbi vidit Athletas DEI immenso certaminis pondere fatigari in medio eorum se abijciens dixit. O fortissimi Milites Christi, ô instructissimi diuini prælij Bellatores, per nimiam virtutem animi fortiter peruenistis ad palmam, & nunc per misera blandimenta Coronam deponitis sempiternam? Discat nunc per vos Christi Militum fortitudo, fide potius armari, quàm ferro. Nolite victoriarum vestrarum insignia per mulierum blandimenta abijcere, & subiectas pedibus vestris hostis deuicti ceruices, ad victricia & rediuiua iterum bella laxare: cuius quamuis sæua contra vos extiterit, & per iniqua instantia, sæuior tamen efficitur ita repetita. Erigite igitur à terrenis affectibus, tropæum vestri certaminis gloriosum, & nolite illud omittere fletibus paruulorū.

PLVRA adiunxit SEBASTIANVS digna Duce Militari, quibus animauit Christi Milites *Marcellianum* & *Marcum*, qui ligati fuerunt ad stipitem, & clauos acutos acceperunt in pedibus, vt habent antiqua Acta. Cùm autem sic cruciarentur, dicebat insanissimus Fabianus iudex: Tamdiu fixis stabitis plantis, quousque Dijs debitum redi beatis officium. Tunc ambo fratres in vno ligno confixi psallebant, dicentes: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Dicit eis Fabianus: Infelices & miseri deponite amentiam vestram, & liberate vosmetipsos à cruciatibus imminentibus super vos. Cui respondentes ambo dixerunt

runt: Nunquam tam benè epulati ſumus: modò cæpimus eſſe fixi in amore Chriſti. Vtinam nos ſic eſſe, ſicut ſumus, tam diu permittas, quamdiu huius corporis tegimur indumento. Cumque tranſiſſet vna dies & vna nox, & illi in Pſalmis & Hymnis perſeuerarent, iuſſit ambos vbi ſtabant, lanceis per latera verberari, & ita per Martyrij gloriam ad ſiderea regna migrauerunt. Sepultos quidam ſcribunt via Appiâ, alij Ardeatina, cui conſentit Martyrologium Rom. tempore Dioclet. & Maximin. qui regnarunt Anno Chriſti 256. & ſeqq. vide *Baron. Tom. 2. Annal.*

XXII. S. ACHATIVS, & SOCII MILITES *Decies mille.* Martyrologium Rom. *In Monte Ararath paſſio SS. Martyrum decem Millium Crucifixorum.* Hi paſſi ſunt circa Annum Domini 138. ſub Hadriano & Antonino iuxta Tigrum in Armenia. In eo exercitu fuit

S. ACHATIVS *Primicerius*, S. HELIADES DVX.

S. GARCERIVS *Campiductor.* S. PHARSCRITVS *Capitaneus.*

S. SPEVSIPPVS *Comes*, S. THEODORVS *Magiſter Militiæ.*

S. DRACONARIVS *Miles.* S. MARCVS *Miles.*

S. ALEXANDER *Miles.* De quibus compendioſè dictum eſt Tom. 1. lib. 3. Com. 11. Mem. 6. Art. ſeptimo.

ELOGIVM.

S. ACHATII, & DECEM MILLIVM MILITVM CRVCIFIXORVM.

QVALE *illud cælo ſpectaculum fuit, cùm dena hominum millia pro optima cauſſa, & amplificando* CRVCIFIXI *nomine Crucibus penderent. Dux feliciſsima multitudinis* ACHATIVS *fuit, cui contra innumerabilem hoſtium vim pugnaturio Angelus victoriam ſpopondit, ſi Chriſtiana ſacra, à quibus alienus tum erat, cum Socijs Militibus ſuſcepiſſet. Placita conditio eſt: Chriſtum adorauit, pugnauit, vicit; vtq;* DEVM *deinceps ritè coleret, cum victore exercitu in Ararathum mentem ſeceſſit. Vbi Angelis Magiſtris, omnes* DEVM *amandi rationes feliciſsimis Tyronibus ſunt infuſæ. Quantum profeciſsent patiendo, quod nobiliſsimum Chriſtiana ſchola experimentum eſt, demonſtrarunt. Quinque in eos Reges armati ſunt, qui cùm procellam lapidum primùm effunderent, ij Chriſti Athletas non auſi attingere in funditores rediere. Flagris cùm ſecarentur, terra immanitatem non tulit, totaq; intremuit. Quo miraculo permotus Theodorus, qui millenaria coborte Martyribus acceſsit, in præacutas ſudes muriceſq; impulſi, viam complanantibus Angelis, nihil cladis acceperunt. Eo denique ventum, vt quæ Chriſtus tormenta tulit, in ijs repeterentur. Ergo ſpinis redimiti, actiq; in Crucem per ingens Montis ſpacium pependere optimi maximiq; teſtes, iniuriam Cruci fieri cùm mala res, & infelix arbor vexatur: perijſſent niſi pependiſſent.* Ex faſtis Marianis.

XVII. IVN. S. MILES, *ducens S. Albanum ad Supplicium.* Martyrol. Rom. *Verolamij in Britannia S. Albani Martyris* cum quo paſſus eſt vnus ex militibus, qui eum ducebat ad ſupplicium, & in via conuerſus ad Chriſtum proprio ſanguine meruit baptizari. Legendus Gilda Sapiens de excidio Britanniæ, & Beda de geſtis Anglor. lib. 1. cap. 6. & 7. Vita & Martyrium S. Albani apud Lipomanum, Surium, Graſium.

XXIV. IVN. SANCTI SEPTEM FRATRES, ORENTIVS, HEROS, PHARMATIVS, FIRMINVS, FIRMVS, CYRIACVS, LONGINVS milites, qui à Maximiano Imp. eo quod Christiani essent, Cingulo militari priuati sunt, & ab inuicem separati, atque in diuersa loca abducti, in doloribus & ærumnis positi, quieuerunt in Domino. Martyrol. Roman. Eorum passio pluribus recensetur in Menologia Græcor.

XXV. IVN. S. GALLICANVS, Martyr. Rom. *Alexandriæ* S. Gallicani Martyris, *Viri Consularis* (ac Militaris haud dubiè) quippe *qui triumphalibus infulis sublimatus, & Constantino Augusto carus, à Sanctis Ioanne & Paulo ad Christi fidem conuersus est. Qua susceptâ, cum S. Hilario, ad Ostia Tiberina secedens, hospitalitati & infirmorum seruitio totum se dedit: cuius rei fama in toto orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes, videbant Virum ex Patricio & Consule, lauantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cetera pietatis officia exhibentem. Qui postmodum sub Iuliano Apostata inde expulsus, Alexandriam perexit, vbi cum à Rancia no Iudice sacrificare cogeretur, & contemneret, percussus gladio, Christi Martyr effectus est.*

ELOGIVM
S. GALLICANI MILITIS MARTYRIS.

GALLICANI *Victorias de Persis, Scythisq; relatas admirandi, illam, quâ seipsum triumphauit, imitandi ius esto. Eo gloriæ venerat, vt Constantiæ coniugium præmium Militiæ poscenti, Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scytas Romanorum finibus cecisset. In eo dum est, Milites panico perculsi metu, magnam partem dilapsi, infrequentia signa reliquere. Anxio ea re Gallicano (Ioannes & Paulus Constantiæ familiares, voti* DEO *nuncupandi consilium suggerere: Ioannes & Paulus dixerunt ad Gallicanum:* Fac votum DEO cæli, & eris Victor melius quam fuisti*) Obtemperantem cælestis Strategus* CRVCEM *præferens, eo fretum Signo, cinctumq;, quos ipsi addixisset stipatoribus, sequi se è vestigio iussit. Ita per attonitos ad ipsum Scytharum Regem penetrauit. Neque ille ausus hiscere, aduersus tantam vim vitam pactus, se suaq; GALLICANO permisit.*

Inde illi veri Numinis admiratio, eiusq; ritè colendi ardor iniectus. Romam deportato exercitu, abdicata coniugij spe, rebusq; humanis valere visis, seipsum Christiana modestia finibus circumscripsit. Ille Orbis terror, & secundus à Constantino Dux, Pater pauperum, peregrinorum hospes factus, pedum sordes abluere, agrorum lectulos sternere, inferre conuiuantibus cibos, obstupescente Orbe terrarum visus est. Iulianus deniq; pestis pietatis, hanc tantam virtutem proscripsit, & gladio addixit. Decuit nimirum, vt toties victor cælum Laureatus ingrederetur, Triumphalem Currum manibus pauperum trahentibus.

Le-

Legendus Baronius Tom. 3. & 4. Annal. De bello illo perarduo & difficili aduersus Sauromatas, quod per Gallicanum confecit Constantinus, Eusebius in vita Constantini lib. 4. 4. cap. 5. & 7.

XXIX. IVN. S. ANASTASIVS. Martyr. Rom. *In Castro Argentomacho* S. Marcelli Martyris, qui pro fide Christi, vna cum ANASTASIO VIRO MILITARI capite plexus est.

XXX. IVN. S. BASILIDES. Martyr. Rom. Alexandriæ passio S. Basilidis sub Seuero Imperatore, qui cùm S. Potamiænam, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantiâ tutatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit. Nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solùm eum conuertit ad Christum, sed etiam breui agone certantem eius precibus gloriosum Martyrem effecit. Paullò fusius Eusebius lib. 6. histor. capite quarto.

POSTQVAM lata fuisset in Potamiænam sententia, BASILIDES vnus ex his, quibus implere spiculatoris officium mos est (Est autem Spiculator, Satelles Principis, à Spiculo quem gestare solet, dictus) susceptum eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter, & impiorum Potamiænæ verbis & iniurijs conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cæpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum Viri votum erga se ad propositum humanitatis amplexa: Certus esto, inquit, quod cùm abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem verba constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ paullatim per artus & membra diffusæ. Et hoc modo beata Virgo è terris migrauit ad cælum. Non multis autem post diebus BASILIDES, cùm inter collegas suos, ob caussam quandam iuramentum posceretur, ait sibi non licere. Tum deinde cùm constantius adfirmaret, protrahitur ad tribunal, vbi cum perseueraret in confessione, vinculis trahitur. Tum verò, visitantibus eum nostris, & caussam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse fertur, quod Potamiæna, post diem tertiũ sui martyrij, noctu adsistens, coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur. Quibus auditis, confestim Fratres, Signum ei Dominicum tradunt, & die postero ob Domini martyrium capite punitur. Eadem habet *Nicephorus*, lib. v. cap. 7.

IVLIVS.

I. IVL. LONGINVS, ACESTVS, MEGISTVS. Martyrol. Rom. *Romæ passio Sanctorum* Trium Militum, *qui in Martyrio B. Pauli Apostoli ad Christum conuersi cum eo cælestis gloriæ particeps fieri meruerunt.* Vet. Manuscript. habent nomina singulorum expressa. Et eorum mentio fit in Passionibus Apostolorum Petri & Pauli.

II. IVL. SANCTI TRIGINTA QVINQVE MILITES. S. Chrysostomus in Oratione encomiasticâ de Principibus Aposto-

postolorum, quæ habetur To.5. non tantùm Tres, sed Triginta quinque simul coronatos martyrio refert his verbis: *Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit: qui quidem sanguis barbari, cum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit? Sit mihi instar Coronæ gladius ille, qui* Triginta & Quinque *viros summa ad seruiendum alacritate* DEO *Domino mancipauit.*

VII.IVL. SANCTI CLAVDIVS, NICOSTRATVS, CASTORIVS, VICTORINVS, SYMPHORIANVS. Martyrol. Rom. *Romæ SS. Martyrum.* Claudij Commentariensis, Nicostrati Primiscrinij, Castorij, Victorini, & Symphoriani, *quos S. Sebastianus ad fidem Christi perduxit, & B. Polycarpus Presbyter baptizauit. Eosdem in perquirendis SS. Martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iussit, & per decem dies minis & blanditijs exagitans, cùm in nullo penitus posset commouere, iussit tertiò torqueri, ac postea in mare præcipites dari.* Eos fuisse Milites est probabile. Nam *Commentariensis* & *Primiscrinius* nomina erant eorum, qui tum Palatinæ, tum Castrensi Militiæ inseruiebant, & in ea militabant: vt constat ex Codice Iustinianeo, Theodosiano, & Nouellis.

VIII.IVL. SANCTI QVINQVAGINTA *Milites Martyres* in Portu Romano, qui in confessione S. Bonosæ ad fidem adducti, & à B. Felici Papa baptizati, in persequutione Aureliani occisi sunt. Horum Militum Acta sunt iuncta cum rebus gestis S. Bonosæ, quas manuscriptas haberi Romæ testatur *Baronius in Notis Martyrol.*

XIV. IVL. S. IVSTVS. Mart. Rom. *Romæ S. Iusti Militis, sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitus* CRVCE, *credidit in Christum, & mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberatis neruis, galea ignitâ contegi, & in rogum immitti iussus, nec in capillo quidem læsus, in confessione Domini reddidit Spiritum*: Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi certamen egregium eius describitur, consentaneum compendio, quod hic dedimus.

XIV. IVL. S. HENRICVS Bauariæ Dux, deniquè Imperator, tam vitæ sanctimonia, quàm Militari scientiâ eximius, multa & ingentia bella admirabili felicitate gessit & confecit. Vt primùm adultâ ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, ante omnia Numen diuinum, quod est Militis Christiani in quauis expeditione, ac negotio propitium sibi reddere studebat, in templis per familiares cum DEO congressus eius implorans præsidium, & felicem euentum. Vicissim DEVS pandebat nonnunquam licet per ambages occulta Prouidentiæ suæ, sibi tam caro Capiti. Cùm Ratisponæ intenta supplicatione ad Diui Emmerammi sepulchrum excubaret, cælitus est admonitus, vt scripturam quandam præsagam in muro secus D. Wolffgangi tumulū legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea hisce duabus duntaxat vocibus, *Post sex.*

HENRICVS vt erat sagaci non modò in-

Legendus Baronius Tom. 3. & 4. Annal. De bello illo perarduo & difficili aduersus Sauromatas, quod per Gallicanum confecit Constantinus, Eusebius in vita Constantini lib. 4. 4. cap. 5. & 7.

XXIX. IVN. S. ANASTASIVS. Martyr. Rom. *In Castro Argentomacho* S. Marcelli Martyris, qui pro fide Christi, vna cum ANASTASIO VIRO MILITARI capite plexus est.

XXX. IVN. S. BASILIDES. Martyr. Rom. Alexandriæ passio S. Basilidis sub Seuero Imperatore, qui cùm S. Potamiænam, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantiâ tutatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit. Nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solùm eum conuertit ad Christum, sed etiam breui agone certantem eius precibus gloriosum Martyrem effecit. Paullò fusius Eusebius lib. 6. histor. capite quarto.

POSTQVAM lata fuisset in Potamiænam sententia, BASILIDES vnus ex his, quibus implere spiculatoris officium mos est (Est autem Spiculator, Satelles Principis, à Spiculo quem gestare solet, dictus) susceptum eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter, & impiorum Potamiænæ verbis & iniurijs conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cæpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum Viri votum erga se ad propositum humanitatis amplexa: Certus esto, inquit, quod cùm abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem verba constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ paullatim per artus & membra diffusæ. Et hoc modo beata Virgo è terris migrauit ad cælum. Non multis autem post diebus BASILIDES, cùm inter collegas suos, ob caussam quandam iuramentum posceretur, ait sibi non licere. Tum deinde cùm constantius adfirmaret, protrahitur ad tribunal, vbi cum perseueraret in confessione, vinculis trahitur. Tum verò, visitantibus eum nostris, & caussam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse fertur, quod Potamiæna, post diem tertiû sui martyrij, noctu adsistens, coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur. Quibus auditis, confestim Fratres; Signum ei Dominicum tradunt, & die postero ob Domini martyrium capite punitur. Eadem habet *Nicephorus*, lib. v. cap. 7.

IVLIVS.

II. IVL. LONGINVS, ACESTVS, MEGISTVS. Martyrol. Rom. *Romæ passio Sanctorum* Trium Militum, *qui in Martyrio B. Pauli Apostoli ad Christum conuersi cum eo cælestis gloriæ particeps fieri meruerunt.* Vet. Manuscript. habent nomina singulorum expressa. Et eorum mentio fit in Passionibus Apostolorum Petri & Pauli.

II. IVL. SANCTI TRIGINTA QVINQVE MILITES. S. Chrysostomus in Oratione encomiasticâ de Principibus Apostolorum

postolorum, quæ habetur To.5.non tantùm Tres, sed Triginta quinque simul coronatos martyrio refert his verbis: *Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui Lacteus apparuit in eius veste, qui repercußit: qui quidem sanguis barbari, cum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit? Sit mihi instar Coronæ gladius ille, qui* Triginta *&* Quinque *viros summa ad seruiendum alacritate* Deo *Domino mancipauit.*

VII.Ivl. Sancti Clavdivs, Nicostratvs, Castorivs, Victorinvs, Symphorianvs. Martyrol. Rom. *Romæ SS. Martyrum,* Claudij Commentariensis, Nicostrati Primiscrinij, Castorij, Victorini, & Symphoriani, *quos S. Sebastianus ad fidem Christi perduxit, & B. Polycarpus Presbyter baptizauit. Eosdem in perquirendis SS. Martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iußit, & per decem dies minis & blanditijs exagitans, cùm in nullo penitus posset commouere, iußit tertiò torqueri, ac postea in mare præcipites dari.* Eos fuisse Milites est probabile. Nam *Commentariensis* & *Primiscrinius* nomina erant eorum, qui tum Palatinæ, tum Castrensi Militiæ inseruiebant, & in ea militabant: vt constat ex Codice Iustinianeo, Theodosiano, & Nouellis.

VIII.Ivl. Sancti Qvinqvaginta *Milites Martyres* in Portu Romano, qui in confessione S. Bonosæ ad fidem adducti, & à B. Felici Papa baptizati, in persequutione Aureliani occisi sunt. Horum Militum Acta sunt iuncta cum rebus gestis S. Bonosæ, quas manuscriptas haberi Romæ testatur *Baronius in Notis Martyrol.*

XIV. Ivl. S. Ivstvs, Mart. Rom. *Romæ S. Iusti Militis, sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitus* Crvce, *credidit in Christum, & mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberari neruis, galea ignitâ contegi, & in rogum immitti iußus, nec in capillo quidem læsus, in confeßione Domini reddidit Spiritum:* Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi certamen egregium eius describitur, consentaneum compendio, quod hic dedimus.

XIV.Ivl. S.Henricvs Bauariæ Dux, deniqùe Imperator, tam vitæ sanctimonia, quàm Militari scientiâ eximius, multa & ingentia bella admirabili felicitate gessit & confecit. Vt primùm adultâ ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, ante omnia Numen diuinum, quod est Militis Christiani in quauis expeditione, ac negotio propitium sibi reddere studebat, in templis per familiares cum Deo congressus eius implorans præsidium, & felicem euentum. Vicissim Devs pandebat nonnunquam licet per ambages occulta Prouidentiæ suæ, sibi tam caro Capiti. Cùm Ratisponæ intenta supplicatione ad Diui Emmerammi sepulchrum excubaret, cælitus est admonitus, vt scripturam quandam præsagam in muro secus D. Wolffgangi tumulũ legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea hisce duabus duntaxat vocibus, *Post sex.*

Henricvs vt erat sagaci non modò in-

Legendus Baronius Tom. 3. & 4. Annal. De bello illo perarduo & difficili aduersus Sauromatas, quod per Gallicanum confecit Constantinus, Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 5. & 7.

XXIX. Ivn. S. Anastasivs. Martyr. Rom. *In Castro Argentomacho* S. Marcelli Martyris, qui pro fide Christi, vna cum Anastasio Viro Militari capite plexus est.

XXX. Ivn. S. Basilides. Martyr. Rom. Alexandriæ passio S. Basilidis sub Seuero Imperatore, qui cùm S. Potamiænam, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantiâ tutatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit. Nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solùm eum conuertit ad Christum, sed etiam breui agone certantem eius precibus gloriosum Martyrem effecit. Paullò fusius Eusebius lib. 6. histor. capite quarto.

Postqvam lata fuisset in Potamiænam sententia, Basilides vnus ex his, quibus implere spiculatoris officium mos est (Est autem Spiculator, Satelles Principis, à Spiculo quem gestare solet, dictus) susceptum eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter, & impiorum Potamiænæ verbis & iniurijs conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cæpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum Viri votum erga se ad propositum humanitatis amplexa: Certus esto, inquit, quod cùm abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem verba constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ paullatim per artus & membra diffusæ. Et hoc modo beata Virgo è terris migrauit ad cælum. Non multis autem post diebus Basilides, cùm inter collegas suos, ob caussam quandam iuramentum posceretur, ait sibi non licere. Tum deinde cùm constantius adfirmaret, protrahitur ad tribunal, vbi cum perseueraret in confessione, vinculis trahitur. Tum verò, visitantibus eum nostris, & caussam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse fertur, quod Potamiæna, post diem tertiũ sui martyrij, noctu adsistens, coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur. Quibus auditis, confestim Fratres, Signum ei Dominicum tradunt, & die postero ob Domini martyrium capite punitur. Eadem habet *Nicephorus*, lib. v. cap. 7.

IVLIVS.

I. Ivl. Longinvs, Acestvs, Megistvs. Martyrol. Rom. *Romæ passio Sanctorum* Trium Militum, *qui in Martyrio B. Pauli Apostoli ad Christum conuersi cum eo cælestis gloriæ particeps fieri meruerunt.* Vet. Manuscript. habent nomina singulorum expressa. Et eorum mentio fit in Passionibus Apostolorum Petri & Pauli.

II. Ivl. Sancti Triginta Qvinqve Milites. S. Chrysostomus in Oratione encomiasticâ de Principibus Aposto-

postolorum,quæ habetur To.5.non tantùm Tres, sed Triginta quinque simul coronatos martyrio refert his verbis: *Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui repercußit: qui quidem sanguis barbari, cum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit? Sit mihi instar Coronæ gladius ille, qui* Triginta *&* Quinque *viros summa ad seruiendum alacritate* Deo *Domino mancipauit.*

VII.Ivl. Sancti Clavdivs, Nicostratvs, Castorivs, Victorinvs, Symphorianvs. Martyrol. Rom.*Romæ SS.Martyrum.* Claudij Commentariensis, Nicostrati Primiscrinij, Castorij, Victorini, & Symphoriani, *quos S. Sebastianus ad fidem Christi perduxit, & B.Polycarpus Presbyter baptizauit. Eosdem in perquirendis SS.Martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iußit, & per decem dies minis & blanditijs exagitans, cùm in nullo penitus posset commouere, iußit tertio torqueri, ac postea in mare præcipites dari.* Eos fuisse Milites est probabile. Nam *Commentariensis* & *Primiscrinius* nomina erant eorum, qui tum Palatinæ, tum Castrensi Militiæ inseruiebant, & in ea militabant: vt constat ex Codice Iustinianeo, Theodosiano, & Nouellis.

VIII.Ivl. Sancti Qvinqvaginta *Milites Martyres* in Portu Romano, qui in confessione S.Bonosæ ad fidem adducti, & à B.Felici Papa baptizati, in persequutione Aureliani occisi sunt. Horum Militum Acta sunt iuncta cum rebus gestis S.Bonosæ, quas manuscriptas haberi Romæ testatur *Baronius in Notis Martyrol.*

XIV. Ivl. S.Ivstvs. Mart. Rom. *Romæ* S. Iusti Militis, *sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitus* Crvce *credidit in Christum, & mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberatis neruis, galea ignitâ contegi, & in rogum immitti iussus, nec in capillo quidem læsus, in confeßione Domini reddidit Spiritum*: Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi certamen egregium eius describitur, consentaneum compendio, quod hic dedimus.

XIV.Ivl. S.Henricvs Bauariæ Dux, deniqne Imperator, tam vitæ sanctimonia, quàm Militari scientiâ eximius, multa & ingentia bella admirabili felicitate gessit & confecit. Vt primùm adultâ ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, ante omnia Numen diuinum, quod est Militis Christiani in quauis expeditione, ac negotio propitium sibi reddere studebat, in templis per familiares cum Deo congressus eius implorans præsidium, & felicem euentum. Vicissim Devs pandebat nonnunquam licet per ambages occulta Prouidentiæ suæ, sibi tam caro Capiti. Cùm Ratisponæ intenta supplicatione ad Diui Emerammi sepulchrum excubaret, cælitus est admonitus, vt scripturam quandam præsagam in muro secus D.Wolffgangi tumulū legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea hisce duabus duntaxat vocibus; *Post sex.*

Henricvs vterat sagaci non modò in-

Legendus Baronius Tom. 3. & 4. Annal. De bello illo perarduo & difficili aduersus Sauromatas, quod per Gallicanum confecit Constantinus, Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 5. & 7.

XXIX. IVN. S. ANASTASIVS. Martyr. Rom. *In Castro Argentomacho* S. Marcelli Martyris, qui pro fide Christi, vna cum ANASTASIO VIRO MILITARI capite plexus est.

XXX. IVN. S. BASILIDES. Martyr. Rom. Alexandriæ passio S. Basilidis sub Seuero Imperatore, qui cùm S. Potamiænam, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantiâ tutatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit. Nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solùm eum conuertit ad Christum, sed etiam breui agone certantem eius precibus gloriosum Martyrem effecit. Paullò fusius Eusebius lib. 6. histor. capite quarto.

POSTQVAM lata fuisset in Potamiænam sententia, BASILIDES vnus ex his, quibus implere spiculatoris officium mos est (Est autem Spiculator, Satelles Principis, à Spiculo quem gestare solet, dictus) susceptum eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter, & impiorum Potamiænæ verbis & iniurijs conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cæpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum Viri votum erga se ad propositum humanitatis amplexa: Certus esto, inquit, quod cùm abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem verba constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ paullatim per artus & membra diffusæ. Et hoc modo beata Virgo è terris migrauit ad cælum. Non multis autem post diebus BASILIDES, cùm inter collegas suos, ob caussam quandam iuramentum posceretur, ait sibi non licere. Tum deinde cùm constantius adfirmaret, protrahitur ad tribunal, vbi cum perseueraret in confessione, vinculis trahitur. Tum verò, visitantibus eum nostris, & caussam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse fertur, quod Potamiæna, post diem tertiũ sui martyrij, noctu adsistens, coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur. Quibus auditis, confestim Fratres, Signum ei Dominicum tradunt, & die postero ob Dominum martyrium capite punitur. Eadem habet *Nicephorus*, lib. v. cap. 7.

IVLIVS.

II. IVL. LONGINVS, ACESTVS, MEGISTVS. Martyrol. Rom. *Romæ passio Sanctorum* Trium Militum, *qui in Martyrio B. Pauli Apostoli ad Christum conuersi cum eo cælestis gloriæ particeps fieri meruerunt.* Vet. Manuscript. habent nomina singulorum expressa. Et eorum mentio fit in Passionibus Apostolorum Petri & Pauli.

II. IVL. SANCTI TRIGINTA QVINQVE MILITES. S. Chrysostomus in Oratione encomiasticâ de Principibus Aposto-

postolorum, quæ habetur To.5. non tantùm Tres, sed Triginta quinque simul coronatos martyrio refert his verbis: *Qualis locustuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit: qui quidem sanguis barbari, cum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit? Sit mihi instar Coronæ gladius ille, qui* Triginta *&* Quinque *viros summa ad seruiendum alacritate* Deo *Domino mancipauit.*

VII.Ivl. Sancti Clavdivs, Nicostratvs, Castorivs, Victorinvs, Symphorianvs. Martyrol. Rom. *Romæ SS. Martyrum.* Claudij Commentariensis, Nicostrati Primiscrinij, Castorij, Victorini, & Symphoriani, *quos S. Sebastianus ad fidem Christi perduxit, & B. Polycarpus Presbyter baptizauit. Eosdem in perquirendis SS. Martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iussit, & per decem dies minis & blanditijs exagitans, cùm in nullo penitus posset commouere, iussit tertio torqueri, ac postea in mare præcipites dari.* Eos fuisse Milites est probabile. Nam *Commentariensis* & *Primiscrinius* nomina erant eorum, qui tum Palatinæ, tum Castrensi Militiæ inseruiebant, & in ea militabant: vt constat ex Codice Iustinianeo, Theodosiano, & Nouellis.

VIII.Ivl. Sancti Qvinqvaginta *Milites Martyres* in Portu Romano, qui in confessione S. Bonosæ ad fidem adducti, & à B. Felici Papa baptizati, in persequutione Aureliani occisi sunt. Horum Militum Acta sunt iuncta cum rebus gestis S. Bonosæ, quas manuscriptas haberi Romæ testatur *Baronius in Notis Martyrol.*

XIV. Ivl. S. Ivstvs. Mart. Rom. *Romæ* S. Iusti Militis, *sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitus* Crvce, *credidit in Christum, & mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberari neruis, galea ignitâ contegi, & in rogum immitti iussus, nec in capillo quidem læsus, in confessione Domini reddidit Spiritum:* Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi certamen egregium eius describitur, consentaneum compendio, quod hic dedimus.

XIV.Ivl. S. Henricvs Bauariæ Dux, denique Imperator, tam vitæ sanctimonia, quàm Militari scientiâ eximius, multa & ingentia bella admirabili felicitate gessit & confecit. Vt primùm adultâ ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, ante omnia Numen diuinum, quod est Militis Christiani in quauis expeditione, ac negotio propitium sibi reddere studebat, in templis per familiares cum Deo congressus eius implorans præsidium, & felicem euentum. Vicissim Devs pandebat nonnunquam licet per ambages occulta Prouidentiæ suæ, sibi tam caro Capiti. Cùm Ratisponæ intenta supplicatione ad Diui Emerammi sepulchrum excubaret, cælitus est admonitus, vt scripturam quandam præsagam in muro secus D. Wolffgangi tumulū legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea hisce duabus duntaxat vocibus, *Post sex.*

Henricvs vt erat sagaci non modò in-

postolorum,quæ habetur To.5.non tantùm Tres, sed Triginta quinque simul coronatos martyrio refert his verbis: *Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit: qui quidem sanguis barbari, cum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum socijs ad fidem traduceretur ita affecit? Sit mibi instar Coronæ gladius ille, qui* Triginta *&* Quinque *viros summa ad seruiendum alacritate* Deo *Domino mancipauit.*

VII.Ivl. Sancti Clavdivs, Nicostratvs, Castorivs, Victorinvs, Symphorianvs. Martyrol. Rom. *Romæ SS. Martyrum.* Claudij Commentariensis, Nicostrati Primiscrinij, Castorij, Victorini, & Symphoriani, *quos S. Sebastianus ad fidem Christi perduxit, & B. Polycarpus Presbyter baptizauit. Eosdem in perquirendis SS. Martyrum corporibus occupatos Fabianus Iudex comprehendi iussit, & per decem dies minis & blanditijs exagitans, cùm in nullo penitus posset commouere, iussit tertiò torqueri, ac postea in mare præcipites dari.* Eos fuisse Milites est probabile. Nam *Commentariensis* & *Primiscrinius* nomina erant eorum, qui tum Palatinæ, tum Castrensi Militiæ inseruiebant, & in ea militabant: vt constat ex Codice Iustinianeo, Theodosiano, & Nouellis.

VIII.Ivl. Sancti Qvinqvaginta *Milites Martyres* in Portu Romano, qui in confessione S.Bonosæ ad fidem adducti, & à B.Felici Papa baptizati, in persequutione Aureliani occisi sunt. Horum Militum Acta sunt iuncta cum rebus gestis S.Bonosæ, quas manuscriptas haberi Romæ testatur *Baronius in Notis Martyrol.*

XIV. Ivl. S.Ivstvs. Mart. Rom. *Romæ S. Iusti Militis, sub Claudio Tribuno, qui apparente sibi diuinitus* Crvce, *credidit in Christum, & mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberari neruis, galea ignitâ contegi, & in rogum immitti iussus, nec in capillo quidem læsus, in confessione Domini reddidit Spiritum:* Agunt de eodem Græci in Menologio, vbi certamen egregium eius describitur, consentaneum compendio, quod hîc dedimus.

XIV.Ivl. S.Henricvs Bauariæ Dux, deniquè Imperator, tam vitæ sanctimonia, quàm Militari scientiâ eximius, multa & ingentia bella admirabili felicitate gessit & confecit. Vt primùm adultâ ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, ante omnia Numen diuinum, quod est Militis Christiani in quauis expeditione, ac negotio propitium sibi reddere studebat, in templis per familiares cum Deo congressus eius implorans præsidium, & felicem euentum. Vicissim Devs pandebat nonnunquam licet per ambages occulta Prouidentiæ suæ, sibi tam caro Capiti. Cùm Ratisponæ intenta supplicatione ad Diui Emerammi sepulchrum excubaret, cælitus est admonitus, vt scripturam quandam præsagam in muro secus D.Wolffgangi tumulû legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea hisce duabus duntaxat vocibus, *Post sex.*

Henricvs vterat sagaci non modò in-

ingenio sed insigni etiam pietate prædi-tus, sed post sex diesè viuis discessurum suspicatus, animæ suæ intereà diligenter prospexit. Sed cum præter lapso eo dierum curriculo, nihil quod putabat eueniret; senatiunm illum ad sex hebdomadas traduxit. Verùm, cum & ipsis euolutis, nihil incommodi pateretur, ad sex menses transtulit. Ipsis autem pari corporis animique integritate transactis, arbitratus est, annorum senionem denotari. Cùm igitur sex anni effluxissent, & iam septimi illucesceret primus dies, ecce, qui longa expectatione ad Mortem, obuijs, quod aiunt, vlnis excipiendam paratus stabat, diuino nutu, præter expectationem suam ad Imperij gloriam euehitur.

IMPERIO potitus ita gubernacula illius suscepit, tractauitque, vt semper de gloria MILITIÆ CHRISTIANÆ sollicitus, cultum religionis, rectæque & orthodoxæ fidei proueheret. Huc spectabant Christianissimi Imperatoris bellicæ expeditiones in Idololatras, Saracenos, & gentes alias à fide nostra alienas. Hoc fine imprimis Bohemos, Wandalos, atque ijs cohærentes nationes, virtute militari domitas sibi subiecit. Inde in Italiam progressus Saracenos inuasit, ad fugam compulit, superauit, regionemque illam ab infidelium colluuie perpurgauit, tum virtute bellica, tum Diuorum Cælitum præsidijs, ac diuino potissimum auxilio. Ferunt HENRICVM, cùm iam esset in procinctu ad hostem inuadendum, & Mersburgensem agrum miserrimè deuastatum cerneret, votum B. Laurentio nuncupasse, fore, vt perpetuis temporibus ipsius nomini cum dicaret, & in statum pristinæ conditionis reformatum diuino cultui consecraret, si suo apud DEVM interuentu victoriam Romano Imperio impetraret. Mox verò Barbaris irruentibus, prostratum in Oratione vidisse Angelum percutientem suis Militibus præire, animos addere, hostium cuneos in fugam propellere. Itaque prouinciam illam sine suorum effuso sanguine Imperio Romano & Christianæ fidei subiecit: ac confestim se voto magnificè soluit. Apuliam deinde diu Græcorum imperium passam, manu bellica recuperauit. Ibi ordinatis, quæ ad Regni pertinebant necessitates & commoda cæpit calculo conflictari, à quo in monte Cassino, cùm ibidem Fratres religiosos visitaret ad D. Benedicti tumbam est liberatus.

QVID mirabilius, quàm Imperatorem Episcopi Heriberti pedibus prostratum cernere, ab eoque delicti, in quod maleuolorum suasionibus impulsus fuerat suppliciter veniam postulare? Quid magis inauditum, quàm virum bellicosum, in ætatis flore, cum pulcherrima Virgine Kunegundi in coniugem ducta continenter vitam omnem transigere? Idem tamen vt Hungarorum Regnum ad fidem Christianam perduceret, Regem eorum Stephanum postquam monitis precibusque ad religionem Sacrosanctam incitasset, &, vt manus daret promouisset, sororem illi suam matrimonio stabili iunxit. Sic Regnum illud, Hungarorũ dictus Apostolus, Christo desponsauit HENRICVS. Qui post erectum fundatumque Episcopatum Bambergensem, post Episcopales sedes, Hildesheimensem, Magdeburgensem, Argentinensem, Mis-

Misnensem, Mersburgensem, restauratas, ornatas, opulentatas; post ædificata collegia, monasteria, ædes sacras quam plurimas, consummatis vitæ huius laboribus, cùm supremum sibi diem imminere cognosceret, ad illum excipiendum ita se parauit.

Bellis tam in Germania, quàm Italia aduersus rebelles, iustè ac prosperè confectis, & Imperij statu optimè constituto, accersiuit castissimæ suæ coniugis cognatos, & præcipuos Regni proceres: quibus præsentibus lectumque circumstantibus, Augustam dextera apprehensam ipsis hoc modo contradidit: Hanc mihi à vobis, immò, à Christo Domino traditam, Eidem & Vobis Virginem restituo immaculatam. Tum deficientibus paullatim corporis viribus, beato fine in Domino quieuit, Sanctus Miles, Rex, Imperator, sepultus in Ecclesia Imperiali Bambergensi, vbi Christianæ Militiæ summus Moderator Devs Militis sui sanctitatem miraculis consignauit, cæcis illuminatis, obsessis liberatis varijsque infirmitatibus oppressis sospitati optatæ restitutis.

Obijt Anno Domini M.XXIV. *Imperij* XI. *Vitæ* LII. *Legendus* Baronius Tom. XI. *Annal. & in Appendice* Tom. XII. Henricus Canisius *in Lect.* Matthæus Raderus *in Bauaria Sancta, vbi plures alios nominat*: Excubiæ Bauaricæ, Francisc. Haræus Lippelò, Grassus, *alij Vitarum SS. Scriptores*: præ ceteris, Iacobus Gretzerus in DD. Bambergensibus, & Bellarminus lib. 3. de Princip.

ELOGIVM

S. HENRICI CASTI IMPERATORIS.

Gemmam *Romanæ Coronæ vnicam hic exhibeo* Henricvm. *Genuêre Boiorum Duces, D. VVolffgangus educauit. Quid ni ab his bonum Imperatorem speres: Certè, Imperium à se ipso auspicatus, Virgo, idemq́; Coniux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc subacto, facilè alios Imperij hostes omnes fudit; tum præsertim cum Æther illi militauit; & aciem, cui votum ante pugnam fecerat D. Laurentius, & cuius gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius, Angelusq́; praiuerunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantus Miles & belli Imperator, ecce à pueris vincitur. Obsidebat Troiam Apuliæ vrbem, iuratus, nec imbelli ætati parcere. Ciues siue armati, siue supplices in vrbem repulsi. Ad triarios, nempe, res redijt. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius vrbis agmen: Signum* Crvx *præit: barritus vnus omnium, idem Kyrieeleison auditur. Quid multis? primâ pugna* Henricvs *capitur, & vrbs libertate potitur. Adhuc grauior ille conflictus fuit, quem Mortuus cum acie infernâ habuisse, Dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narrauit, fide creditur. Is enim Viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance* Henrici *caussam, donec iterum suppetias ferens Laurentius, Calicem sibi donatum pro clypeo obijciens, rem restituit. Id nisi more suo Dæmon confixit, præsidentem esse oportet, cui cor non palpitat.* Ex fastis Marianis.

ELOGIVM

S. HENRICI IMPERATORIS CASTI.

QVATVOR Syllabis Miraculum Orbis euoluimus. Dici potest, ostendi potest, prædicari pro merito non potest CÆSAR-VIRGO; Pater nihilominus Nobilitatis BOICÆ quam in Triginta Duobus Babonis Abenspergij Filijs adoptauit; ab hæreditate verò virtutum suarum, quæ in illo cupiditatem liberorum extinxerunt, omninò neminem exclusimus. Gloriæ erit BOIIS suum Principem, immò, Orbi vniuerso Cæsarem habere Sanctitatis Magistrum. Eam illi D. WOLFGANGVS infudit, non munusculis Discipuli industriam acuens, sed Coronas in caput, & vera Regna pollicitus, primusq; nostri Cæsaris Inaugurator. Iam cælo receptus Tabellam obiecit indicem anni, qui illi Purpuram esset inuecturus: etsi Sanctus noster eo Oraculo, non ad Solium, sed Tumulum vocari se credidit, itaq; se comparauit, quasi POST SEX, siue dies, siue Menses, siue denique Annos moriturus; vt Cæsarum nullus modestius Inaugurationi suæ prælúserit.

ANTECESSIT tamen vtcumque properantibus in eius honorem annis, maius aliud Augusto nomen, & HENRICO NOSTRO gloriosius, cùm locata Vngariæ Regi Sorore Gisela, Fidem vna Pietatemq; Regno eousq; barbaro intulit, & ex eo cognomentum APOSTOLI VNGARIÆ reportauit. Domi multò humiliora aucupatus B. Senis RAMVVOLDI D. VVOLFGANGI patruelis, funus non tantùm duxit, sed Sandapila Baiulus visus in publico tumulum subijt, & cadauere ritè collocato, Clauem Vrnæ, pretium laboris abstulit, gessitq; etiam Imperator, velut Insigne Triumphi, vt Arnolfus Vohburgius Comes scripsit. Idem Pietatis genus etiam Othoni Imperatori impendit, cùm priùs vitam eius Romanorum insidijs appetitam seruasset: quam illi paullò post Fæmina, veneno in manicis transmisso, abstulit. Exuuias illius HENRICVS Pollingæ excepit, multisq; mundatas lachrymis, iterum Vespillo factus, suis humeris tulit: & in D. Vdalrici Æde Augustæ persolutus liberalissimè piaculis tumulauit.

HIS scilicet artibus prensabat Imperium HENRICVS, ab ambitiosissimis competitoribus Eckhardo Thuringo, & Hermanno Sueuo facilè labefactandus, nisi S. VVOLFGANGI Tabella diuinæ Mentis interpres HENRICO cessuri Septemviralia suffragia collegisset. Imperator factus ea dixit fecitq; HENRICVS, domi militiæq; in politicis & bellicis, quæ sunt supra humanam laudem mutationemq;. Quis Principum omnium Mille templa, quæ Gottfridus Viterbiensis ab eo structa commemorat, suis opibus hodie sustentet? Inter quæ non pauca Cœnobia: immò Episcopatus numeres vel restitutos, vel institutos. Bambergensis prima dignatio, quem in Hæredis locum assumptum, cùm excolere, ornareq; instituisset, haberetq; in eâ re aduersarios potentes, ingressus Comitia HENRICVS Patrum pedibus aduolui non erubuit, eodem oris animiq; habitu Pietatem suam illis commendans, quo Rei pro suo capite supplicant. Nondum perfecerat illud opus, cùm etiam Basileensis Basilicæ fundamenta iecit: ipsa quoque regium ærarium grauantia, nisi eo ingenio HENRICVS fuisset, vt parcitate magis, quàm

quam liberalitate offenderetur, iratus ea nomine Fratri suo, Fabricam [illegible] *Augusta Prafecto, quod non tam Fundatoris pietatem, quàm Architecti sordes oleret.*

VINCITVR *tamen quantacumque Imperatoris* HENRICI *Munificentia miraculis Modestia, quam neque Inaugurationis Imperatoria pompa obruit.* PILAM AVREAM *Offerente Pontifice, subtrahere manum visus est Imaginem illam Orbis Terrarum collocari in tam debili basi non sustinens, misitque paullò post Cluniacensibus Monachis, doctis scilicet hac* PILA *ludere, iactatamque generoso contemptu calcare: inuidens iisdem felicitatem suam, &, si liceret, Purpuram cum eorum centonibus mutaturus, agrèque, ne id faceret, Richardi Virdunensis Abbatis oratione à sententia abductus.*

IAM *illud quis in regia, immò in priuato lare amulatur? ac quod de suspicionis iniquitate, quâ Heriberti Coloniensis Antistitis innocentiam defixerat, edoctus, temeritatis sua veniam non modò publicè & lacrymans petiit, sed substrata insuper pedibus eius Purpurâ, lege in se & rigidissimo iure animaduerti postulauit. Quis iram promptius posuit: Cùm hic iuratum Troianis excidium, Infantibus patria sua Caussidicis, & suum Kyrie eleison balbutientibus, vnica hac voce flexus remiserit. Finem nullum inueniat, quantumuis properans oratio summos tantùm virtutum flores, quorum plenum erat* HENRICI *Viridarium, carpens. Itaque in* LILIO, *à quo cæpi, finio. Vltima morientis, & Kunegundem amicis commendantis vox fuit:* Recipite, quam mihi tradidistis Virginem vestram, *tanto id confidentius professus, quod ignitos calcantem Vomeres, tam illæso pede viderat, quàm intactus impuris ignibus animus fuit. Sed collocemus hoc inter* ADMIRANDA. *Illud nolim de solo* HENRICO *à Gotfrido Viterbiensi dictum, sed commune Regibus omnibus esse:*

Pauperibus, viduis Spes, Via, Vita fuit.

HENRICO IV.

MILITI ET CÆSARI SANCTO.

TV dubites HENRICE, PILA hac quam Mundus adorat,
Sit-ne FERENDA manu? sit-ne FERENDA pede?
Nempe, minus peccant, qui calcauere iacentem.
Indigna quam qui sustinuere vola.
Sed Tu quid trepidas, cùm Te Bonus Augur ad istud.
VVOLFGANGVS certa voce vocarit onus?
POST SEX in curta scripsit duo verba Tabella,
Qua tradenda annos Te docuere PILÆ.
Sed qui Annos cecinit, fortasse & Secla notauit.
Nec a Tibi asserto MAXMILIANE GLOBO:
Quis Te VVOLFGANGO cura neget esse, Kalendis
Qui tibi das PATRIS NOMEN habere sui.

Ex Boicis Excubijs Andreæ Brunner.

XXI. IVL. S. VICTOR MASSILIENSIS. Martyrol. Rom.] Massiliæ natalis S. VICTORIS, qui cùm esset MILES, & nec Militare, nec Idolis sacrificare vellet, primo in carcerem trusus, ibique ab Angelo visitatus, deinde varijs cruciatibus punitus; nouissimè contritus in molâ *pistoria Martyrium consummauit.* De eodem Beda, Ado, & Petrus in catalogo lib. 6. cap. 112. Scribit de eo Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyr. cap. 77. Nomen exprimit Venantius Fortunatus lib. VII. ad Bed. Ducem hoc versu.

Massilia VICTOR Martyr ab vrbe Venit.

Repetiuntur in Vaticana bibliothneca huius S. Victoris Militis Acta metro conscripta, in codice, qui exterius præfert nomen S. Ambrosij. Passus autẽ traditur in persequutione Diocletiani & Maximiani AA. Diuersus ab hoc est S. Victor, seu Victorinus Massiliensis eruditione clarus temporibus Theodosij Iunioris, & Valẽtiniani Imperatorũ: de quo Gennadius de Viris Illustr. cap. 6. & Ado in Chronico.

XXI. IVL. S. ALEXANDER, FELICIANVS, LONGINVS. Cum Victore passi sunt tres alij Milites, quos nominaui, vt ádscritur in Romano Martyrologio.

XXIV. IVL. SS. MILITES LXXXIII. quorum præcipui, FLORENTIVS & FELIX, quos ex manuscriptis Aquilà ad se transmissis nominat in Notis *Baronius*. Hi Sancti milites sunt passi Amiterni, quæ fuit olim nobilissima ciuitas in Vestinis, non in Sabinis, vt accuratè probat *Baronius* loco indicato.

XXIV. IVL. S. VICTOR Hispanus Emeritensis. Mart Rom. *Emerita in Hispania* S. Victoris Viri Militaris, *qui cum duobus fratribus*, quorum nomina erant

STERCATIVS & ANTINOGENES, *in persequutione Diocletiani per diuersa supplicia Martyrium consumauit*. A quidam loco illius *Stercatius*, legitur *Estertius*. De ijs agunt Scriptores Hispani, *Vasæus* in Chron. Hispan. *Flos Sanctorum Hispan.* præter *Vsuardum* & *Adonem*, ac *Thesaur. Concionat.*

XXVII. IVL. S. LADISLAVS. Quem Hungari propter vitæ sanctitatem SANCTVM REGEM nominabant. Hic Dalmatiæ & Croatiæ regna Hungarorum Regum iunxit imperio. Gessit multa bella contra Tartaros, & alios aduersarios æmulos Regni. Decessit absque liberis III. Kalend. Augusti. Sepultus honorificentissimis exequijs in Ecclesiâ Varadiensi ab eo extructa. *Ex Chronologia Regum Hungariæ*. De morte eius ita breuiter *Antonius Bonfinius* Decade secunda rerum Hungaricarum lib. IV. Rex increscente ægritudine, postquam Principes Antistitesque omnes conuocasset, & ijs præsentibus de successore mentem suam declarasset; mox & Testamento quæcumque apud eum bona comperta sunt, omnia basilicis cænobijsque sacris legat: nullam in Vngaria ædem beneficentiæ suæ reliquit expertem. Postero die Rex ille Sanctissimus omnium populorum iudicio habitus, Anno Salutis nonagesimo quinto supra millesimũ tertio Calendas Augusti, Anno verò regni sui vnde viceno in Domino obdormiuit. Tum fusius de funere.

Promulgato Diui Regis interitus, vniuersam Vngariam planctus inuasit, vt ne minimum quidem pagum inueneris, qui non assiduo planctu resonaret. Alij Patrem patriæ, Pientissimum Regem ingeminare alij; pars vnicum Regni Seruatorem, Propugnatoremque fortissimum exclamare: plerique Parentem pauperum, multi Sanctissimum Principem, & Virginitatis assertorem dicere, faustissimis omnes cognominationibus certatim extollere. Nemo autem pro digni-

nitate laudare. Omnes in pulla veste, demissaue barbâ Regem optimum & pientissimum annos tres deplorauerunt. Quies choreis ac ludis & silentium cantibus & citharædis indictum. Quisque sibi vltrò festiuitatem inhibuit, & interdicti passim ioci. Quem Principem amiserint subsequuta miracula ostenderunt.

Subiungit varia historicus, vnum hic pono. Quibus sacri corporis custodia delegata fuerat, dum Varadinum iter faciunt, corpusque deuehunt, cùm labore, tum assiduo mærore fatigatos, altissimus eos somnus inuasit: plus æquo dormitur, quin & ad tertiam diei horam stertitur. Currus cui Corpus eius fuerat impositum, sine iumentis, quæ dudum populatum emissa fuerant, per se citatus creditum sibi pondus rectà Varadinum effert, & tam rapidis vltrò rotis properat, vt ab expectatis custodibus nunquam assequeretur; nec vsquam remorari potuit, donec ibi constitit, vbi Ladislai Numen sibi sepulchrum optarat: nempe in Ecclesia Virginis DEIPARÆ.

ANNO centesimo tertio post mortem, miraculorum multitudine, quæ vim Numinis testabantur, coactus Pontifex Maximus Romæ inter DIVOS LADISLAVM retulit. Atque eadem Anatheoseos horâ se inter Diuos relatum ostendit. Siquidem puer ad sepulchrum eius allatus est, cui pro manibus ac pedibus informis caro fuit, vbi neque ossa, neque neruos cernere fuit. Vix parentes pro filio vota susceperant, cum pedibus ac manibus conuoluisse norunt.

Martyrologium Roman. Varadini in Hungaria Sancti LADISLAI Regis, qui clarissimis miraculis vsque ad diem hodiernum coruscat. *Baronius in Notis.* Hunc Cælestinus Papa Tertius recensuit inter Sanctos. Plura de eo leginus in Breuiario Polenorum.

ELOGIVM

LADISLAI SANCTI REGIS.

LADISLAVM *Belæ primi Regis Vngarorum filium, immò* MARIÆ *vides: ita totus ab huius vberibus, dum vixit pependit; sed neque mortuum, vt audies, dimisit. Ceterùm vix alius Regum tot virtutibus aut Purpuram ornauit, aut Coronam distinxit; vt minus mirer, si legam, Aulam eius ab Angelis frequentatam fuisse. Certè, ipse ab Angelo germanum suum vidit coronari; sed & Angelum sub serui schemate ignitis cornibus locum vidit signare, quo promissam* MATRI MAGNAE *Ædem conderet. Eorundem Celitum ope, cùm in multis alijs pugnis, tum in Duello contra patruum suum Regem Salomonem Victor euasit. Etenim cùm hic cum vno rem sibi* Ladislao *crederet esse, conspexit sub congressum contra duos prætereà Angelos sibi certamen esse, qui gladio iam Salomoni graues imminebant. Noluit igitur, etsi Hercules sibi ipse videretur, in tot tantosque pugnare, sed abiecit arma, pacem coluit. Toties Victor* LADISLAVS, *Coronam tamen ferre Vngariæ semper respuit, nobiliorem & immortalem ambiens. Quam vt facilius obtineret, facere fortiter pro Terra-Sancta constituit. In eâ proinde expe-*

expeditione, cùm Dux lectus esset omnium copiarum, ecce in ipso belli apparatu pulcherrima morte occupuit. Mortuus porrò & currui impositus, sine iumentorum hominumque ope, in Templum, quod ab eo VIRGINI *structum memorauimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum Orbis: At non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere?* Fasti Mariani.

XXXI. IVL. S. FABIVS, *Caesariensis.* Mart. Rom. *Caesareae Passio* B. FABII. Certaminis compendium ex Adone Viennensi Archiepisc. S. FABIVS cùm Caesareae Vexilla praesidialia ferre recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem detrusus, varijs molestijs affectus est. Deinde, antè tribunal productus, & semel atque iterum interrogatus, in Christi confessione, nihil supplicia veritus perstitit. Vnde Iudex ira percitus, capitali eum sententia damnauit. Post haec, corpus triduo, sepulturae beneficio destitutum custodiri iubet. Tandem corpus & caput seorsum, reticulis insuta in maris profundum demersa sunt: sed Domini virtute rescisso reticulo, mēbra capiti reunita fuerunt, & scapulis ceruix copulata cum indicijs passionis. Atque ita suae integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caeternitanum littus euectum, & condigne cultu à fidelibus in basilica tumulatum est. Legendus, *Beda, Vsuardus, Petrus* in Catal. libro 6. cap. 165. *Surius* Tom. 4.

XXXI. IVL. S. FABIVS, post Vincula, carceres, tormenta martyrio coronatus colitur Faesulis XVII. Maij. De eo liber Sanctorum Ecclesiae Faesulanae auctore Fracisco Cattan. Episcopo Fesulano. *Philip. Ferrarius in Catalogo generali SS.*

XXXI. IVL. S. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR. Hic natione Hispanus nobili genere: Loyolae in Cantabria natus, primò Catholici Regis aulam, deindè MILITIAM sequutus est. In propugnatione Pampelonensi, cui operam MILES dabat, accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus ante aram B. Virginis, suspensis Armis profanae Militiae, noctu excubans Sacrae Militiae tyrocinium posuit. Cuius postea factus in Ecclesia Militante Dux, ea dedit exempla in bello contra Cacodaemonem, Mundum, Concupiscentiam, quae orbē vniuersum in stuporem rapuerunt. Denique aetatis anno LXV. domitis superatisq; hostibus ad triumphum tot victorijs debitum à supremo Imperatore, cuius Maiorem Gloriam (quod Militis est verè Christiani) in ore semper habuerat, sēper in omnibus quaesierat, est euocatus. Quē Gregorius XV. magnis in Ecclesiam Militantem meritis, & miraculis illustrem Sanctorum Fastis adscripsit.

Oratio quae ad tutelam & patrociniū exorandū cantatur vbique IGNATIO, Militē respicit, & Ecclesiam Militantem, seu Militem in Ecclesiā Militante.

DEVS, *qui ad maiorem tui Nominis Gloriam propagandam nouo per* B. IGNATIVM *subsidio* MILITANTEM ECCLESIAM *robrasti: concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in caelis.*

QVOD

Qvod illud *Subsidium*? *Haud* dubiè, Religio, cuius ipse sub Deo conditor, Militari vocabulo Societas Iesv dicta. Quia sub Augustissimi Nominis Triumphali signo Nata, confirmata, in campum educta contra teterrimos fidei ac Religionis Ortodoxæ hostes, vitâ pro Diuini cultus incremento paciscens, ad tuendam salutem mortalium Deo & Ecclesiæ Terra Marique, non sine sudore & sanguine, solo Maioris Dei Gloriæ stipendio Militavit, Militabit, Militat.

S. IGNATIVS MILES
Nunquam esse Miles *desijt.*

CVM Bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit Ensem: Non ego lugubri
Defuncta bello, dixit, Arma
Degener aut timidus perire
Miles resigno. Me noua buccina
Me non profani tessera prælij
Deposcit: & magnos sequutus
Auspicio meliore DIVOS,
Non indecorus transfuga, gloria
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris, iam futurus,
Splendidior sine clade Victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelonos, aut Ligeri Tagus
Graues trimphato catenas
Injicias, Rhodanoq; Batis.
Exinde quo te, quo rapuit tuus
Loyola, *Mauors? Exiguus fuis*
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasq; bella.
Caloq; Signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles.
Eduxit Heroas, paresq;
Difficili pugiles arena.

ELOGIVM
S. IGNATII LOYOLÆ MILITIS EX PROFANO SACRI.

Ignativs *è nobile* Milite *Societatis* Iesv *Dux, animi sanitatem pedum debet vulneri: huius curationem D. Petro; vitæ immutationem piorum librorum lectioni. Castitatis verò donum* Virgini Magnæ, *qua cum filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad huius Aram cùm opima spolia (Arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pænitentiæ vigores,* Maria *dictante, libellum illum asceticum scripsit, Militari titulo* Exercitiorvm *notatum, quem ne libro satis laudes. Cùm Horas Virginis percurreret, ad arcanum* S. Triadis *aspectum admissus est. Eiusdem Sabbato extra se raptus, non nisi altero Sabbato ad corpus redijt.*

Animarvm *lucro inhians Vir annorum* xxxiii. *litteras discere est aggressus: mox Socios scribere, futuros Commilitones: paruas copias, sed ingens Orbi laboranti, & Ecclesiæ Militanti præsidium: & cui* Iesvs *ipse propitium Romæ se fore ad promisit. Vnicum ei Symbolũ fuit:* Maior Dei Gloria. *Per quàm familiaris illa cum Lacrymis vox:* Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! *Hoc obtinuit Anno* M.D.LVI. *Vir diuinis ostentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Ecclesiæ bono. Nam Sanctior Iuuentutis educatio, reducta ab exilio Musa, proscripta hæreses, assertus Diuorum & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum vsus, denique vterque Orbis, ille* Christo *subactus, hic seruatus, & quicquid in vtroque filij ac Commilitones vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne* Ignatio, *vt opus ipsius adscri-*

expeditione, cùm Dux lectus esset omnium copiarum, ecce in ipso belli apparatu pulcherrima morte occupuit. Mortuus porrò & curru impositus, sine iumentorum hominumque ope, in Templum, quod ab eo VIRGINI *structum memorauimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum Orbis: At non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere?* Fasti Mariani.

XXXI. IVL. S. FABIVS, *Cæsariensis.* Mart. Rom. *Cæsareæ Passio* B. FABII. Certaminis compendium ex Adone Viennensi Archiepisc. S. FABIVS cùm Cæsareæ Vexilla præsidialia ferre recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem detrusus, varijs molestijs affectus est. Deinde, antè tribunal productus, & semel atque iterum interrogatus, in Christi confessione, nihil supplicia veritus perstitit. Vnde Iudex ira percitus, capitali eum sententia damnauit. Post hæc, corpus triduo, sepulturæ beneficio destitutum custodiri iubet. Tandem corpus & caput seorsum, reticulis insuta in maris profundum demersa sunt; sed Domini virtute rescisso reticulo, mēbra capiti reunita fuerunt, & scapulis ceruix copulata cum indicijs passionis. Atque ita suæ integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caternitanum littus euectum, & condigne cultu à fidelibus in basilica tumulatum est. Legendus, *Beda, Vsuardus, Petrus* in Catal. libro 6. cap. 165. *Surius* Tom. 4.

XXXI. IVL. S. FABIVS, post Vincula, carceres, tormenta martyrio coronatus colitur Fæsulis XVII. Maij. De eo liber Sanctorum Ecclesiæ Fæsulanæ auctore Frācisco Cattan. Episcopo Fesulano. *Philip. Ferrarius in Catalogo generali SS.*

XXXI. IVL. S. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR. Hic natione Hispanus nobili genere: Loyolæ in Cantabria natus, primò Catholici Regis aulam, deindè MILITIAM sequutus est. In propugnatione Pampelonensi, cui operam MILES dabat, accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus ante aram B. Virginis, suspensis Armis profanæ Militiæ, noctu excubans Sacræ Militiæ tyrocinium posuit. Cuius postea factus in Ecclesia Militante Dux, ea dedit exempla in bello contra Cacodæmonem, Mundum, Concupiscentiam, quæ orbē vniuersum in stuporem rapuerunt. Denique ætatis anno LXV. domitis superatisq; hostibus ad triumphum tot victorijs debitum à supremo Imperatore, cuius Maiorem Gloriam (quod Militis est verè Christiani) in ore semper habuerat, sēper in omnibus quæsierat, est euocatus. Quē Gregorius XV. magnis in Ecclesiam Militantem meritis, & miraculis illustrem Sanctorum Fastis adscripsit.

Oratio quæ ad tutelam & patrociniū exorandū cantatur vbique IGNATIO, Militē respicit, & Ecclesiam Militantem, seu Militem in Ecclesiā Militante.

DEVS, *qui ad maiorem tui Nominis Gloriam propagandam nouo per B.* IGNATIVM *subsidio* MILITANTEM ECCLESIAM *roborasti: concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in cælis.*

QVOD illud *Subsidium*? *Haud* dubiè, Religio, cuius ipse sub DEO conditor, Militari vocabulo SOCIETAS IESV dicta. Quia sub Augustissimi Nominis Triumphali signo Nata, confirmata, in campum educta contra teterrimos fidei ac Religionis Ortodoxæ hostes, vitâ pro Diuini cultus incremento paciscens, ad tuendam salutem mortalium DEO & ECCLESIÆ Terra Marique, non sine sudore & sanguine, solo Maioris DEI Gloriæ stipendio MILITAVIT, MILITABIT, MILITAT.

S. IGNATIVS MILES

Nunquam esse Miles *desijt.*

CVM Bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit Ensem: Non ego lugubri
Defuncta bello, dixit, Arma
Degener aut timidus periré
Miles *resigno. Me noua buccina*
Me non profani tessera pralij
Deposcit: & magnos sequutus
Auspicio meliore DIVOS,
Non indecorus transfuga, gloria
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris, iam futurus,
Splendidior sine clade Victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelones, aut Ligeri Tagus
Graues trimphas e catenas
Inijceas, Rhodanoq; Batis.
Exinde quo te, quo rapuit tuus
Loyola, *Mauors? Exiguus fuit*
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasq; bella.
Caloq; Signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles.
Eduxit Heroas, paresq;
Difficili pugiles arena.

ELOGIVM

S. IGNATII LOYOLÆ MILITIS EX PROFANO SACRI.

IGNATIVS è *nobile* MILITE *Societatis* IESV *Dux*, *animi sanitatem pedum debet vulneri: huius curationem D. Petro: vita immutationem piorum librorum lectioni. Castitatis verò donum* VIRGINI MAGNÆ, *qua cum filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad huius Aram cùm opima spolia (Arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentia vigores,* MARIA *dictante, libellum illum asceticum scripsit, Militari titulo* EXERCITIORVM *notatum, quem ne libro satis laudes. Cùm Horas Virginis percurreret, ad arcanum* S. TRIADIS *aspectum admissus est. Eiusdem Sabbato extra se raptus, non nisi altero Sabbato ad corpus rediit.*

ANIMARVM *lucro inhians Vir annorum* XXXIII. *litteras discere est aggressus: mox Socios scribere, futuros Commilitones: paruas copias, sed ingens Orbi laboranti, & Ecclesia Militanti præsidium: & cui* IESVS *ipse propitium Roma se fore ad promisit. Vnicum ei Symbolũ fuit:* MAIOR DEI GLORIA. *Per quàm familiaris illa cum Lacrymis vox:* Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! *Hoc obtinuit Anno* M.D.LVI. *Vir diuinis ostentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Ecclesia bono. Nam Sanctior Iuuentutis educatio, reducta ab exilio Musa, proscripta hæreses, assertus Diuorum & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum vsus, denique vterque Orbis, ille* CHRISTO *subactus, hic seruatus, & quicquid in vtroque filij ac Commilitones vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne* IGNATIO, *vt opus ipsius adscri-*

expeditione, cùm Dux lectus esset omnium copiarum, ecce in ipso belli apparatu pulcherrima morte occupuit. Mortuus porrò & currus impositus, sine iumentorum hominumque ope, in Templum, quod ab eo VIRGINI *structum memorauimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum Orbis: At non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere?* Fasti Mariani.

XXXI. IVL. S. FABIVS, *Cæsariensis*. Mart. Rom. *Cæsareæ Passio* B. FABII. Certaminis compendium ex Adone Viennensi Archiepisc. S. FABIVS cùm Cæsareæ Vexilla præsidialia ferre recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem detrusus, varijs molestijs affectus est. Deinde, antè tribunal productus, & semel atque iterum interrogatus, in Christi confessione, nihil supplicia veritus perstitit. Vnde Iudex ira percitus, capitali eum sententia damnauit. Post hæc, corpus triduo, sepulturæ beneficio destitutum custodiri iubet. Tandem corpus & caput seorsum, reticulis insuta in maris profundum demersa sunt; sed Domini virtute rescisso reticulo, mēbra capiti reunita fuerunt, & scapulis ceruix copulata cum indicijs passionis. Atque ita suæ integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caternitanum littus euectum, & condigne cultu à fidelibus in basilica tumulatum est. Legendus, *Beda*, *Vsuardus*, *Petrus* in Catal. libro 6. cap. 165. *Surius* Tom. 4.

XXXI. IVL. S. FABIVS, post Vincula, carceres, tormenta martyrio coronatus colitur Fæsulis XVII. Maij. De eo liber Sanctorum Ecclesiæ Fæsulanæ auctore Frācisco Cattan. Episcopo Fesulano. *Philip. Ferrarius in Catalogo generali SS.*

XXXI. IVL. S. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR. Hic natione Hispanus nobili genere: Loyolæ in Cantabria natus, primò Catholici Regis aulam, deindè MILITIAM sequutus est. In propugnatione Pampelonensi, cui operam MILES dabat, accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus ante aram B. Virginis, suspensis Armis profanæ Militiæ, noctu excubans Sacræ Militiæ tyrocinium posuit. Cuius postea factus in Ecclesia Militante Dux, ea dedit exempla in bello contra Cacodæmonem, Mundum, Concupiscentiam, quæ orbē vniuersum in stuporem rapuerunt. Denique ætatis anno LXV. domitis superatisq; hostibus ad triumphum tot victorijs debitum à supremo Imperatore, cuius Maiorem Gloriam (quod Militis est verè Christiani) in ore semper habuerat, sēper in omnibus quæsierat, est euocatus. Quē Gregorius XV. magnis in Ecclesiam Militantem meritis, & miraculis illustrem Sanctorum Fastis adscripsit.

Oratio quæ ad tutelam & patrociniū exorandū cantatur vbique IGNATIO, Militē respicit, & Ecclesiam Militantem, seu Militem in Ecclesiā Militante.

DEVS, *qui ad maiorem tui Nominis Gloriam propagandam nouo per B.* IGNATIVM *subsidio* MILITANTEM ECCLESIAM *roborasti: concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in cælis.*

QVOD

QVOD illud *Subsidium*? *Haud* dubiè, Religio, cuius ipse sub DEO conditor, Militari vocabulo SOCIETAS IESV dicta. Quia sub Augustissimi Nominis Triumphali signo Nata, confirmata, in campum educta contra teterrimos fidei ac Religionis Ortodoxæ hostes, vitã pro Diuini cultus incremento paciscens, ad tuendam salutem mortalium DEO & ECCLESIÆ Terra Marique, non sine sudore & sanguine, solo Maioris DEI Gloriæ stipendio MILITAVIT, MILITABIT, MILITAT.

S. IGNATIVS MILES
Nunquam esse Miles *desijt.*

CVM Bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit Ensem: Non ego lugubri
Desuncta bello, dixit, Arma
Degener aut timidus perire
Miles resigno, Me noua buccina
Me non profani tessera pralij
Deposcit: & magnos sequutus
Auspicio meliore DIVOS.
Non indecorus transfuga, gloria
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris, iam futurus,
Splendidior sine clade Victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelones, aut Ligeri Tagus
Graues trimphato catenas
Injiciat, Rhodanoq; Batis.
Exinde quo te, quo rapuit tuus
Loyola, *Mauors? Exiguus fuit*
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasq; bella.
Caloq; Signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles.
Eduxit Heroas, paresq;
Difficili pugiles arena.

ELOGIVM
S. IGNATII LOYOLÆ MILITIS EX PROFANO SACRI.

IGNATIVS è *nobile* MILITE *Societatis* IESV *Dux*, *animi sanitatem pedum debet vulneri: huius curationem D. Petro: vita immutationem piorum librorum lectioni. Castitatis verò donum* VIRGINI MAGNÆ, *qua cum filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad huius Aram cùm opima spolia* (*Arma sibi detracta*) *suspendisset*, *inter miros pænitentia vigores*, MARIA *dictante*, *libellum illum asceticum scripsit, Militari titulo* EXERCITIORVM *notatum, quem ne libro satis laudes. Cùm Horas Virginis percurreret, ad arcanum* S. TRIADIS *aspectum admissus est. Eiusdem Sabbato extra se raptus*, *non nisi altero Sabbato ad corpus redijt.*

ANIMARVM *lucro inhians Vir annorum* XXXIII. *litteras discere est aggressus: mox Socios scribere, futuros Commilitones: paruas copias, sed ingens Orbi laboranti, & Ecclesia Militanti præsidium: & cui* IESVS *ipse propitium Roma se fore ad promisit. Vnicum ei Symbolũ fuit:* MAIOR DEI GLORIA. *Per quàm familiaris illa cum Lacrymis vox:* Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! *Hoc obtinuit Anno* M.D.LVI. *Vir diuinis ostentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Ecclesia bono. Nam Sanctior Iuuentutis educatio, reducta ab exilio Musa, proscripta hareses, asertus Diuorum & templorum cultus, frequens iterum Sacramẽtorum vsus, denique vterque Orbis, ille* CHRISTO *subactus, hic seruatus, & quicquid in vtroque filij ac Commilitones vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne* IGNATIO, *vt opus ipsius*

expeditione, cùm Dux lectus esset omnium copiarum, ecce in ipso belli apparatu pulcherrima morte occupuit. Mortuus porrò & currus impositus, sine iumentorum hominumque ope, in Templum, quod ab eo VIRGINI *structum memorauimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum Orbis: At non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere?* Fasti Mariani.

XXXI.IVL. S. FABIVS, *Cæsariensis.* Mart.Rom. *Cæsareæ Passio* B.FABII. Certaminis compendium ex Adone Viennensi Archiepisc. S. FABIVS cùm Cæsareæ Vexilla præsidialia ferre recusaret, primùm diebus aliquot in carcerem detrusus, varijs molestijs affectus est. Deinde, antè tribunal productus, & semel atque iterum interrogatus, in Christi confessione, nihil supplicia veritus perstitit. Vnde Iudex ira percitus, capitali eum sententia damnauit. Post hæc, corpus triduo, sepulturæ beneficio destitutum custodiri iubet. Tandem corpus & caput seorsum, reticulis insuta in maris profundum demersa sunt: sed Domini virtute rescisso reticulo, mēbra capiti reunita fuerunt, & scapulis ceruix copulata cum indicijs passionis. Atque ita suæ integritati redditum corpus, vnda blandiore ad Caternitanum littus euectum, & condigne cultu à fidelibus in basilica tumulatum est. Legendus, *Beda, Vsuardus, Petrus* in Catal. libro 6. cap. 165. *Surius* Tom. 4.

XXXI.IVL. S. FABIVS, post Vincula, carceres, tormenta martyrio coronatus colitur Fæsulis XVII. Maij. De eo liber Sanctorum Ecclesiæ Fæsulanæ auctore Frācisco Cattan. Episcopo Fesulano. *Philip. Ferrarius in Catalogo generali SS.*

XXXI.IVL. S. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR. Hic natione Hispanus nobili genere: Loyolæ in Cantabria natus, primò Catholici Regis aulam, deindè MILITIAM sequutus est. In propugnatione Pampelonensi, cui operam MILES dabat, accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus ante aram B. Virginis, suspensis Armis profanæ Militiæ, noctu excubans Sacræ Militiæ tyrocinium posuit. Cuius postea factus in Ecclesia Militante Dux, ea dedit exempla in bello contra Cacodæmonem, Mundum, Concupiscentiam, quæ orbē vniuersum in stuporem rapuerunt. Denique ætatis anno LXV. domitis superatisq; hostibus ad triumphum tot victorijs debitum à supremo Imperatore, cuius Maiorem Gloriam (quod Militis est verè Christiani) in ore semper habuerat, sēper in omnibus quæsierat, est euocatus. Quē Gregorius XV. magnis in Ecclesiam Militantem meritis, & miraculis illustrem Sanctorum Fastis adscripsit.

Oratio quæ ad tutelam & patrociniū exorandū cantatur vbique IGNATIO, Militē respicit, & Ecclesiam Militantem, seu Militem in Ecclesiâ Militante.

DEVS, *qui ad maiorem tui Nominis Gloriam propagandam nouo per B.* IGNATIVM *subsidio* MILITANTEM ECCLESIAM *roborasti: concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in cælis.*

QVOD

QVOD illud *Subsidium*? *Haud* dubiè, Religio, cuius ipse sub DEO conditor, Militari vocabulo SOCIETAS IESV dicta. Quia sub Augustissimi Nominis Triumphali signo Nata, confirmata, in campum educta contra teterrimos fidei ac Religionis Ortodoxæ hostes, vitā pro Diuini cultus incremento paciscens, ad tuendam salutem mortalium DEO & ECCLESIÆ Terra Marique, non sine sudore & sanguine, solo Maioris DEI Gloriæ stipendio MILITAVIT, MILITABIT, MILITAT.

S. IGNATIVS MILES

Nunquam esse Miles *desijt.*

CVM Bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit Ensem: Non ego lugubri
Defuncta bello, dixit, Arma
Degener aut timidus perire
Miles resigno, Me noua buccina
Me non profani tessera prælij
Deposcit: & magnos sequutus
Auspicio meliore DIVOS,
Non indecorus transfuga, gloria
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris, iam futurus,
Splendidior fine clade Victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelones, aut Ligeri Tagus
Graues triumphato catenas
Iniiciat, Rhodanoq; Batis.
Exinde quo te, quo rapuit tuus
Loyola, *Mauors? Exiguus fuit*
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasq; bella.
Caloq; Signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles
Eduxit Heroas, paresq;
Difficili pugiles arena.

ELOGIVM

S. IGNATII LOYOLÆ MILITIS EX PROFANO SACRI.

IGNATIVS *è nobile* MILITE *Societatis* IESV *Dux, animi sanitatem pedum debet vulneri: huius curationem D. Petro; vitæ immutationem piorum librorum lectioni. Castitatis verò donum* VIRGINI MAGNÆ, *quæ cum filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad huius Aram cùm opima spolia (Arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ vigores,* MARIA *dictante, libellum illum asceticum scripsit, Militari titulo* EXERCITIORVM *notatum, quem ne libro satis laudes. Cùm Horas Virginis percurreret, ad arcanum* S. TRIADIS *aspectum admissus est. Eiusdem Sabbato extra se raptus, non nisi altero Sabbato ad corpus rediјt.*

ANIMARVM *lucro inhians Vir annorum* XXXIII. *litteras discere est aggressus: mox Socios scribere, futuros Commilitones: paruas copias, sed ingens Orbi laboranti, & Ecclesiæ Militanti præsidium: & cui* IESVS *ipse propitium Romæ se fore ad promisit. Vnicum ei Symbolū fuit:* MAIOR DEI GLORIA. *Per quàm familiaris illa cum lacrymis vox:* Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! *Hoc obtinuit Anno* M.D.LVI. *Vir diuinis ostentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Ecclesiæ bono. Nam Sanctior Iuuentutis educatio, reducta ab exilio Musa, proscriptæ hæreses, assertus Diuorum & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum vsus, denique vterque Orbis, ille* CHRISTO *subactus, hic seruatus, & quicquid in vtroque filij ac Commilitones vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne* IGNATIO, *vt opus ipsius adscri-*

QVOD illud *Subsidium*? *Haud* dubiè, Religio, cuius ipse sub DEO conditor, Militari vocabulo SOCIETAS IESV dicta. Quia sub Augustissimi Nominis Triumphali signo Nata, confirmata, in campum educta contra teterrimos fidei ac Religionis Ortodoxæ hostes, vitâ pro Diuini cultus incremento paciscens, ad tuendam salutem mortalium DEO & ECCLESIÆ Terra Marique, non sine sudore & sanguine, solo Maioris DEI Gloriæ stipendio MILITAVIT, MILITABIT, MILITAT.

S. IGNATIVS MILES

Nunquam esse Miles *desijt*.

CVM Bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit Ensem: Non ego lugubri
Defuncta bello, dixit, Arma
Degener aut timidus perire
Miles *resigno. Me noua buccina*
Me non profani tessera pralij
Deposcit: & magnos sequutus
Auspicio meliore DIVOS,
Non indecorus transfuga, gloria
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris, iam futurus,
Splendidior sine clade Victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelones, aut Ligeri Tagus
Graues trimphato catenas
Inyciat, Rhodanoq; Batis.
Exinde quo te, quo rapuit tuus
Loyola, *Mauors? Exiguus fuit*
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasq; bella.
Caloq; Signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles.
Eduxit Heroas, paresq;
Difficili pugiles arena.

ELOGIVM

S. IGNATII LOYOLÆ MILITIS EX PROFANO SACRI.

IGNATIVS *è nobile* MILITE *Societatis* IESV *Dux, animi sanitatem pedum debet vulneri: huius curationem D. Petro: vita immutationem piorum librorum lectioni. Castitatis verò donum* VIRGINI MAGNÆ, *qua cum filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad huius Aram cùm opima spolia (Arma sibi detracta) suspendisset, inter miros panitentia vigores,* MARIA *dictante, libellum illum asceticum scripsit, Militari titulo* EXERCITIORVM *notatum, quem ne libro satis laudes. Cùm Horas Virginis percurreret, ad arcanum* S. TRIADIS *aspectum admissus est. Eiusdem Sabbato extra se raptus, non nisi altero Sabbato ad corpus redijt.*

ANIMARVM *lucro inhians Vir annorum* XXXIII. *litteras discere est aggressus: mox Socios scribere, futuros Commilitones: paruas copias, sed ingens Orbi laboranti, & Ecclesia Militanti prasidium: & cui* IESVS *ipse propitium Roma se fore adpromisit. Vnicum ei Symbolũ fuit:* MAIOR DEI GLORIA. *Per quàm familiaris illa cum lacrymis vox:* Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! *Hoc obtinuit Anno* M.D.LVI. *Vir diuinis ostentis, vaticinijs, miraculis clarus, & natus Ecclesia bono. Nam Sanctior Iuuentutis educatio, reducta ab exilio Musa, proscripta hareses, asertus Diuorum & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum vsus, denique vterque Orbis, ille* CHRISTO *subactus, hic seruatus, & quicquid in vtroque filij ac Commilitones vel faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne* IGNATIO, *vt opus ipsius*

adscribitur. *De Sodalitatibus Virginis quid dicam? Quicquis ex his* MARIAM MATREM *clamas, rectè* IGNATIVM *Patrem dices. Fasti Mariani.* Plura de Ignatio, quà Duce Copiarum Militari leges Tomo 1. libro 3. Comm. 7.

MILITES

***Societatem* IESV *ingressi: & in eâ laudabiliter vita functi, quamuis ab Ecclesiâ Militante* non dum Titulo Sancti vel Beati donati.**

BENEDICTVS DE GOES Societatis IESV Frater. Coadiutor Temporalis, qui posteà amplissimum Sinense Regnum superiorum iussu, periculosissima peregrinatione peruagatus est, antequam Religiosæ Militiæ nomen daret, profanam illam in Seculo sectatus fuerat; feceratque sub vitijs æquè ac Marte stipendia, vt hodieque habet mos Militum plerorumque: à quo discedere vix vlli cōcessum est, per bellicæ libertatis leges, nisi audire malit *Pius* magis, quam *Martius*: quod inter maxima probra habetur, & Militaris nominis dedecora. Enimuerò *Benedictus* ille noster, quamquam nondum satur esset bellicæ leuitatis, cæpit tamen non rarò inquietum intra se conscientiæ vermem pati, & molestum dentem, quem videre non potuit, persentiscere.

CONTIGIT vt semel D. Virginis ædē intraret: ibi tum mille animi terroribus, ac perplexitatibus propè ad desperationem obrutus fuit: cumque memoraret longum culparum suarum catalogum, fluerentque vbertim geminis ostijs doloris lacrymæ, fortè fortuitò Matris Virginis imaginem, quæ in arâ infantem filium vlnis complectebatur, intuitus est, viditque clarè Puerum protuberantibus vno-que ex oculo, siue gemmulis, siue guttulis sibi collacrymari, quasi indolentem alienis malis. Non se continuit *Benedictus*, sed rei nouitate stupefactus, extra templum festinat, sociosque Commilitones ad fidem faciendam miraculo inducit. Admirabundi tum omnes, neque sine veneratione, insolenti adfuêre spectaculo. Ipse verò Miles *Benedictus*, qui tragædiæ occasionem dedit, eiusque lacrymis, seu potius noxis ad fletum DEI filium prouocauit, meliorem addidit epilogum. Nā malâ totius anteactæ vitæ ratione plenam exhomologesin fecit: tum dein in Societatem Iesu admissus piè vixit obiitque.

HISTORIAM *hanc refert* Petrus Iarricus, tertio *Tomo Indicarum c. 9 ex quo* Paulus Zehentner, *libro, cuius inscriptio*, Vermis conscientiæ, in 1. cap. 1. § . 7. *hoc addens vtile monitum.* Quod Christus in imagine quōdam sua egit cum Milite *Benedicto*, idem hodieque nobiscum in cælo facit: *Et videns malitiam hominum super terram, tangitur dolore cordis intrinsecus* (Genesis VI.) non minus atque olim post Mundi exordiū; fletque identidem super Impietate Militū, fastu nobiliū, auaritia diuitū, libidine lasciuorum, intemperātiū gulâ, liuidorū maleuolentia, vafrorum fraudibus, peruirorum execrationibus, aleatorum blasphemijs, iniuria potentium, magorū sagarumque sacrilegijs, deniq; scelestorū omnium perfidia. Et quidem, tanto plorat largius, quanto videt malos indulgere genio, & suas veneres, ebrietates, calūnias, vim, dolos, aliaque sexcenta scelera, & calidissimis lacrymis deflenda Militū præsertim, facinora iocis condire & risu, sed heu! Sardonico, qui non nisi atro exitu finitur.

Ioan-

IGNATIVS GANDAVILLAIN Collegij Tornacensis Ianitor, magnus anteà Venator, & *Miles*, de quo Poëta religiosus:

GANDAVILLANOS *quis* DEVS *impulit*
Mutare detritis lacernis
Oebalio saturas aheno?
Quos inter vnus materiem meis.
Quantum Camanis IGNATIVS *dedit?*
Tractare solers, siue Martis
Spicula, seu pharetram DIANAE,
Siue hosticarum strenuus vrbium
Quassare portas, maluit ostij
Lateri Custos. Sic beatas
Ipse sibi reserauit arces.

Imago primi Seculi Societatis IESV lib. 2. pag. 310. Plures istiusmodi Milites continet Historia Societatis, & Litteræ Annuæ.

AVGVSTVS.

V. AVG. S. EVSIGNIVS. Martyr. Rom. *Antiochiæ* S. Eusignij Militis, *qui annum agens centesimum decimum, cum Constantini Magni fidem, sub quo militauerat, Iuliano Apostata exprobaret; eumq., vt patriæ pietatis desertorem redargueret, ab eodem iussus est capite cadi.* Græci in Menologio Sancti illius Militis certamen describunt fusius.

VII. AVG. S. FAVSTVS *Mediolanensis.* Mart. Rom. *Mediolani* S. Fausti Militis, *qui sub Aureliano Commodo, post multa certamina Martyrij palmam adeptus est.* De eo plura Tabulæ & Monumenta Ecclesiæ Mediolanensis.

VII. AVG. S. VICTRICIVS. Martyr. Rō. *Rhotomagi* S. Victricij Episcopi, *qui adhuc Miles, sub Iuliano Apostata, pro Christo abijciens cingulum, a Tribuno multis tormentis afficitur, & capitis damnatur; sed carnifice, qui ad eum cadendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutis liber euasit. Posteà Episcopus factus, Morinorum, & Neruiorum gentes indomitas Verbi prædicatione ad fidem Christi perduxit, & demum Confessor in pace quieuit.* Adscribitur hic in tabulis Episcoporū Rhotomagēsium octauus ordine: cuius egregia facta describit S. Paulinus Nolanus Episc. in epist. 26. ad ipsum scripta: ad quē etiam dedit epist. 25. Innocentius Papa ad hunc ipsum scripsit insignem illam Epist. Decretalium, ordine secundam.

IX. AVG. S. ROMANVS. Martyr. Rom. *Romæ* S. Romani Militis, *qui confessione B. Laurentij compunctus, petijt ab eo baptizari, & mox exhibitus ac fustibus cæsus, ad vltimum decollatus est.* Acta S. Romani sunt in Vita S. Laurentij.

X. AVG. SS. CENTVM SEXAGINTA QVINQVE MILITES *Martyres, sub Aureliano Imperatore.* Inter hos nominatim exprimūtur in Manuscrip. CLAVDIVS, SEVERVS, ROMANVS: de quibus *Beda, Vsuardus, Ado, Petrus* in catal. lib. 7. cap. 44.

XII. AVG. S. ANICETVS COMES, & PHOTINVS eius frater, cum alijs pluribus sub Diocletiano Imp. De quibus Græci in Menologio, & Latini in Martyrologio. Comitis nomen ad Castrense munus spectare potest, vt alibi dictum.

XVI. AVG. S. AMBROSIVS CENTVRIO. Qui in persequutione Diocletiani varijs modis cruciatus, nouissimè per ignem illæsus transiens, demersus in aquā eductus est in refrigeriū. Colitur Ferenti-

ni in Hernicis. *Martyrolog.* Roman. Acta manuscrip. celebrat Baronius in Notis.

XVI. AVG. S. ARSACIVS. Qui sub Licinio persequutore, Militia relicta seculari, solitariā vitā ducens, tantis virtutibus claruit, vt & Dæmones expulisse & ingē tē draconē orando interemisse legatur: denique Nicomediæ futurā ciuitatis cladē prænuncians in oratione Spiritū DEO reddidit. *Martyrolog, Romā. Beda, Vsuardus, Ado*: qui tamen VRSACIVM vocant, sed Græcis, qui eius res gestas descripserunt dicitur ARSACIVS, Sozomeno l. 4. hist. cap. 15. Nicephoro lib. 9. cap. 38. alijs.

Vixit temporibus Iuliani Apostatæ *Arsacius* alter Rex Armeniæ Christianus, in quē ob odiū in Christū idē impius Imperator se illiberalē nimis exhibuit: de quo *Sozomenus* lib. 6. cap. 1. & *Aminianus Marcellinus* frequenter meminit.

XIX. AVG. S. ANDREAS *Tribunus*, & Socii *Milites*, qui victoriā de Persis diuinitus adeptā, ad fidem Christi conuersi, & hoc nomine accusati, sub Maximiano Imperatore, in angustijs Tauri montis ab exercitu Seleuci Præsidis trucidati sunt. *Martyrolog. Rom. Vsuard. Ado*, qui *Andream* cum *S. Magno* confundunt. Græci in Menologio addunt Duo Millia, Quingentos & Nonaginta tres Socios, qui cum eo sint passi. Acta ex antiquis codicibus edidit Metaphr. & habet Lipoman. Tom. 7. & Surius. To. 4.

XX. AVG. S. SEVERVS & MEMNO *Centurio*, qui eodem mortis genere consummati victores abierunt in cælum. *Martyrol.* Romanum & *Menologium Græcor.* Quo mortis genere? Quo Triginta septē Martyres, qui præcesserunt, & sub Præside Apelliano pro Christi fide manibus pedibusque præcisis in caminum ardentem iniecti sunt.

XXVI. AVG. S. SECVNDVS. Martyrol. Rom. *Apud Albintimelium Liguriæ ciuitatem* S. Secundi, Martyris, *Viri Spectabilis*, & *Ducis ex legione Thebæorum.* Eundem celebrant Beda, Vsuardus, Ado.

XX AVG. S. STEPHANVS I. Rex Hungarorum, qui eos ad Christi religionem traduxit. Hunc Martyrologiū Romanū hisce verbis deprædicat. *Albæ in Pannonia* S. STEPHANI *Regis*, *qui diuinis virtutibus exornatus primus Hungaros ad fidem Christi conuertit.* Eius corpus xx. Augusti translatū est: migrauit autē ex hac vita xv. eiusdē mensis Anno M XXXIV. Scripsit eius vitā Charturtius Episcopus, ex quo Surius, & ex hoc Bellarminus lib. 3. de Princ. De eod. multa habent Acta S. Gerardi & S. Emerici. Item, Leo Ostiens. in Chronico Cassinensi lib. 2. cap. 79. Bonfinius de rebus Hungar. decade 2. lib. 1. Cromerus in Polō. Baronius in Not. Martyr. & Tō. x. Annal. Hi quam fuerit Princeps, Pius, Prudēs, Liberalis, *Misericors*, alijsq; dotibus principalibus excellens fusè enarrāt, confirmantque exemplis. Quàm bonus autem & religiosus fuerit *Miles*, quæ subiungo ostendunt.

S. STEPHANVS à morte patris rerum potitus, quamuis iuuenis mox animos suorū demereri, & idololatriæ tenebris quibus miserè caligabāt educere cœpit, vt IESV Christi cultum doctrinamque cōplecterētur. Sed cū nō ignoraret, inter

arma non benè disponi religionis negotia, studuit imprimis pacem componere cum Principibus vicinis, vt his inuicem vnitis, nulla re desiderium eius impediretur, quo discupiebat Euangelium propagare. Sed cùm Satanam Sancti Regis consilia haud laterent, vt hæc impediret, proceres ac nobiles Hungaros adhuc Paganos ad rebellandum Regi, Regnumque ferro ac flamma vastandum concitauit. Obsedere Vesprinum, Ciuitatem Stephano magis familiarem, quo contumeliam & facerent, & hac capta reliquarum facilius potirentur. Non despondit animum Rex, quamuis subditos sibi rebelles, & adhuc paganos, ita furere videret. Sed maiori fidei fiduciaque in Devm, cuius agebat caussam, & Sanctorum *Martini* Episcopi & Georgij Martyris patrocinio erectus, ijsdem generosè restitit collatisque signis eos fudit fugauitque. Et quemadmodum hanc omnem victoriam Deo retulit acceptam, sic omnia hostium spolia cultui diuino dedicauit, nec ex ijs quicquam libauit. Itaque ex his Monasterium S. Martino sacrum iussit extrui; quod hic Sanctus Episcopus Pannonius fuisset, labarumque in prælio tulisset eo loco, quo S. Martinus in Pannonia degens orare Devm solebat. Atque hoc Monasterium postea amplis redditibus auxit, iussitque adeò accuratè eidem decimas pendi, vt, si quis decem proles numeraret, decimam S. Martini cænobio offerret.

Hac rebellione militari arte, armisque composita, Religionis Christianæ curam suscepit. Duxit vxorem Giselam sororem Henrici Imperatoris. Quo defuncto, successit in Imperio Conradus, qui moturus aduersus Stephanum Regem Pannoniamque bellum magnas in eum copias concitauit. At S. Rex animo militari, vt se tueretur, & Regnum defenderet, numerosum similiter Militem coëgit. Sed prius ad B. Mariam V. principem Aduocatam Patronamque suam recurrit, orauitque supplex, vt suum populum tueretur, nec ob sua peccata, qui Pastor esset, & Rex gregem puniret. Deinde interritus, hostibus obuiam processit. Sed, ô mira res! postero statim die nuncius aduolauit, cum litteris, nomine Imperatoris scriptis ad Polimarchos, bellique Duces, quibus imperabatur, vt pedem referrent, belloque abstinerent. Sic illi vnde venerant, redierе. Quod vt Conradus Imperator intellexit, quodammodo attonitus hæsit, veritus aliquem à suis tumultuantibus rebellionem aut defectionem, quod eos pedem referre non iussisset. Porrò tamen vt à suis Ducibus didicit, litteras Imperatorias fuisse missas, totiusque rei gestæ seriem, illud bellum omisit, ratus se nequicquam cum Rege Pannoniæ dimicaturum; quem suis Devs ipse fauoribus, atque præsidijs obuallasset.

ELOGIVM S. STEPHANI HVNGARIÆ REGIS

Ex Martyrologio Romano.

Stephanvs *in Hungariam Christi fidem & Regium nomen inuexit, Regia Corona à Romano Pontifice impetrata, eiusque iussit in Regem inunctus, Regnum Sedi Apostolicæ obtulit.*

lit. Varia pietatis domicilia Romæ, Ierosolymis, Constantinopoli. In Hungaria Archiepiscopatum Strigoniensem, Episcopatus decem, admirabili religione & munificentiâ fundauit. Par in pauperes amor & liberalitas. Quarum virtutum merito illius dextera, resoluto cetero corpore, in tumulo incorrupta permansit. DEI Genitricem, quam ardentissimè venerabatur, constructo templo, Hungariæ Patronam constituit. Ab eadem vicissim Virgine receptus in cælum ipso suæ Assumptionis die: quem Hungari è S. Regis instituto Magnæ Dominæ diem appellant. Sacrum eius corpus suauissimo flagrans odore, liquore cælesti scatens, inter multa & varia miracula, hodierno die Pontificis Romani iussu, nobiliorem in locum translatum est, atque honorificentius conditum.

ELOGIVM S. STEPHANI REGIS HVNGARIÆ.

E Fastis Marianis.

STEPHANO nomen necdum nato ipse STEPHANVS Protomartyr indidit. Sponsam duxit Giselam D. Henrici Imper. Sororem. Hæc illi Emericum, Ceterum Christo omnes Vngaros peperit. Tutelam sibi Regnoque suo æternam CASTRORVM ACIEM ORDINATAM VIRGINEM legit. Huius enim auxilio copias Conradi Imperatoris iam Vngariæ imminentes auertit. Ipse inter omnes Milites maximè SANCTVS Vigilias nocturnas habuit: sed preces inter visumque sub his ipsum aliquando tabernaculum regium Angelis baiulis humo sustolli, & tunc per aërem, mox per omnium hominum ora volare. Trophæa pietatis suæ templa ac cœnobia per totum orbem sparsit. Miseros ingenti caritate complexus non dubitauit diademate ornatum caput, manusque sceptro armatas ad horum pedes abluendos demittere, sportulamque in clientes ipse dispensare. Quare factum aliquando, vt certantibus his stipem auferre, barba etiam Regis spolium manibus appetentium cederet. Et hoc ipsum conquestus familiariter VIRGINI STEPHANVS fertur, durius ab eius militibus se acceptum, quam ab hostibus sperare potuisset. Sed pilum ne ille amitteret, qui liberalem manum multis annis à morte integram orbi ostendit? Hanc obijt ipso Virginis Assumptæ die. Huic moriturus vnicè iterum se, Regnumque commendauit. Felices Vngari, si Testamenti Regis STEPHANI meminerint.

XXV. AVG. S. LVDOVICVS Rex Galliæ eius nominis IX. Speculum Regium & Gallicæ coronæ ornamentum incomparabile, cùm alijs virtutibus Regi Christianissimo conuenientibus, tum Militari potissimùm excelluit, Rex vt Sanctissimus ita bellicosissimus; quamuis non semper in bello felicissimus: ne quis hoc existimet, sanctitati Militis optimi esse infallibiliter coniunctum. Anno ab orbe redempto M. CC. XXVII. mortuo Ludouico VIII. eius patre, successit in regnum Rhemis consecratus annos natus circiter XII. mansitque sub tutela matris suæ Blanchæ Regis Castellæ filiæ, quæ per se, perque Religiosos filium in omni virtute instruxit & exercuit.

ANNO M. CC. XXXIV. ducta vxore Margareta Comitis Prouinciæ filia, ex ea quattuor liberos suscepit, Ludouicū, Philippum, Ioannem, & Petrum, quos suis

suis & verbis, & multo magis exemplis docuit Devm timere, mundum contemnere, seipsos nosse, cane peius & angue, quoduis lethale peccatum fugere. Non minus tamen etiam præluxit suis in heroicis Militiæ facinoribus. Anno M. CC. xlii. exercitum comparauit, & eduxit in Hugonem Marchiæ Comitem, qui Henrici Angliæ Regis, & Richardi fratris eius auxilijs fretus aduersus Ludouicum rebellarat sed illam armata manu mox domuit, rebellemque adeò subiecit, vt ille ipse cum superba coniuge regijs aduolutus plantis supplex veniam rogarit. Quam vt erat haud minus mitis, quam fortis Ludouicus adeò facile ac liberaliter impertiuit, vt ei cuncta quæ ceperat oppida restituerit, magnamque captiuorum manum manu miserit. Itaque regiam simul auctoritatem conseruauit, & omnes sapientis, potentisque Polemarhi partes egit, dum rebelles paterna seueritate compescuit, & herili beneuolentia humilibus subiectisq; pepercit.

Hanc ipsam bellicam virtutem suam Sanctus Rex in expeditionibus bellicis aduersus paganos, ac barbaros Sanctam Religionem nostram propugnaturus egregiè ostendit. Siquidem cùm grauiter ægrotaret ecstasim passus, iamque exanimis existimatus, mox sibi restitutus Crvcem poposcit, quæ Anno M. cc. xlviii. Summi Pontificis iussu per orbem Christianum prædicabatur ad Palæstinam à barbaris vindicandam. Crucem autem magna pietate suscepit, eamque paludamento regio affixit magnum diuino Numini obsequium præstiturus suoque exemplo reliquos Principes Christianos, ac Reges inuitaturus ad magnum potentemque exercitũ conflandum. Itaque cùm per omnem Galliam Numen diuinum multis supplicijs voluntarijs, supplicationibusque, esset propitiatum, vt pijs optimi Regis votis annuere, illamque expeditionem eius vnius caussa susceptam secundare dignaretur, relictis Blanchæ Matri regni gubernaculis, cum tota Classe portu soluit Kal. Sept. assumptis secum, comitibus Legato Apostolico, duobus fratribus suis germanis, multisque alijs dynastis, virisque militaribus. Hi magno omnes animo proficiscebantur, quod agi Dei caussam non nescirent, quod huius expeditionis bellicæ Polemarchum haberent Regem, tam potentem, tam Sanctum: quodque Devs ipse, multis editis de cælo signis, huius expeditionis, non tantummodò auctor esse, sed & fautor adiutorque futurus crederetur.

Nam & in diœcesi Coloniensi cum præcedanea Crux prædicaretur, tres in aëre Cruces apparuere, & alibi Cruces aliæ admirandaque signa visa sunt; quæ populus, tanquam voluntatis diuinæ, faustaque expeditionis prognostica interpretatus est. Quamuis, vt sunt iudicia Dei abyssus multa, simulque iusta spe sua frustrati sint. Istud felicitatis fuit, quod secundissimis ventis vsus Rex ad Cypri regnum cum suis venerit: vbi ab illo Rege, Proceribus, & populo festa lætitia exceptus, eos sibi adiunxit, postquã ipsi quoque Crucẽ Militiæ sacræ tessetã suscepissent. Deinde missis Legatis Magnus Cham Tartarorũ & Armeniæ Rex cũ eo pacẽ cõposuit ad Sancti fœderis societatẽ admissus. Adhæc, Burgundiæ Dux, &

Achaiæ Princeps, copias suas, Ludouici copijs coniunxerunt: atque ita vnanimi consensus Cypro in Ægyptum soluerunt.

Mox Damiatam, Regni caput, quam Heliopolim quidam appellant, occuparunt, quod accidit Anno M. CC. XLIX. Bis porrò cum Mauris fuit pugnatum, victoriaque insignis velata, plurimis barbarorum internecione deletis. Ingens quoque parta præda, erepta commeatus magna copia; incredibilis denique bellici apparatus vis hostibus extorta. Verum enimuerò cum secundis adeò Fauonijs proueherentur, & omnia pro voto fluerent; ecce tibi de cælo tempestas ingruit adeò fœda, mortalitasque adeò grauis vt ex duobus, & triginta Militum Christianorum millibus vix sex millia salua fuerint relicta. Atque hic tantillus armatorum manipulus adeò annonæ penuria defecit, vt S. Rex cum Mauris pacisci, Damiatam restituere, omniaque eius belli damna resarcire, & decennales inducias componere sit coactus.

In hæc fœdera S. Rex sanctè iurauit, sicut & iurata sanctè seruauit. Sed datam fregere fidem Mauri, qui suummet regem (Sulthanum vocant) sicut & Christianorum non paucos, qui Christū noluerunt eiurare è medio sustulere. Et verò fuit omninò res prodigio similis, quod barbara crudelitas S. Regi pepercerit, cui tā facile violentas manus adferre potuisset. Sed enim Dominus Exercituum, qui Christianam Remp. hoc flagello corripere, & S. Ludouicum, velut aurum in camino probare, atque excoquere voluit eundem seruauit incolumem, quo tot tantisque calamitatibus redderet illustriorem: qualis nunquam audijsset, si rebus omnib' ex animi sententia gestis, Maurisque extirpatis victoriam retulisset illibatam. Ceterùm, cùm magnam copiarum partem in Gallias remisisset, ipse restitit in Syria minimè ociosus. Nam multos illic exemplo suaque caritate Mauros ad fidem Christianam conuertit, multos à dira barbarorum captiuitate redemit; multas vrbes & oppida muniuit; multorum Christianorum cadauera sub dio prostantia grauemque memphytin halantia, suis ipse manibus humauit, nihil fœtorem quamuis teterrimum, nihil contagium, quamuis præsentissimum moratus. Adeoque victus à Mauris, sui met, suæque Fortunæ VICTOR euasit; nobilioreque & vtiliore Christianis æquè paganisque victoriâ mundum triumphauit, quàm si Barbaros omnes armatus trucidasset.

INTEREA Blancha mater in Gallia moritur. Quare reuocatus Ludouicus ad suum regnum nauigio eò contendit, ingentesque maris frementis procellas expertus saluus peruenit ad propria. Vbi cum Sanctis virtutum exercitationibus incumberet, & dignitatem regiam egregiè tueretur, ac Regnum Galliæ sub ipso mirabiliter floreret, nuncium accepit, quantis Christiani in Syria ærumnis premerentur, & Terra-sancta Christi D. sanguine rigata, diuinisque consecrata vestigijs, cum maxima Christiani nominis ignominia violaretur, profanaretur, conculcaretur. Cuius vindicandæ studio accensus militaris Christianissimi Regis animus haud sequùs, ac si prima expeditio ei feliciter omninò successisset, alteram suscipere, seque ipsum, suosque filios

filios ac subditos, pro defendendâ diuini Numinis gloria, nouis periculis ærumnisque obijcere non dubitauit. Itaque numerosum denuo conscripsit exercitum, & præstituta nauigationi die, tribus assumptis filijs, Philippo, Ioanne, Petro, cùm primogenito Regnum, domumque regiam commendasset:

ANNO M.CC.LXX. Kal. Mart. Massiliensi portu soluit versus Tunetum. Nã Mauri, qui illic agebant, magno Christianis ad sacrum bellum proficiscentibus, Palæstinamque repetentibus erant impedimento. Hos igitur domituruṁ iuit, vt expeditius cursum suum teneret. Ergo Classis secundo cursu delata, portum tenuit Farinam: veterem nempe Carthaginensium stationem, aut certè eidẽ vicinam. Hic exercitus excendit, Maurorum arcem expugnauit, cùmque felicissimi successus spe teneretur, occulto DEI iudicio, pestis mortifera & atrox inuasit castra. & adeò indies desæuijt, vt nullo discrimine nobiles & ignobiles abstulerit. Ex ijs Ioannem Regis filium. Neque Rex fuit immunis à communi contagio: quo cùm sua vitalia carpi sentiret, nihil turbatus, O Militem Sanctum! sed filiali pioque ad Dominum corde conuersus, eidem gratias egit, quod adeò amanter sese sui corporis ergastulo liberare dignaretur, in hæc subinde verba prorumpens: *Fac nos Domine, prospera Mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.* Porrò, pro populo suo precatus aiebat: *Esto, Domine, populo tuo sanctificator & custos.*

HIC oblatam sibi Hostiam Eucharisticam Diuinum viaticum veneratus, singulari pietate, multisque lacrymis rigatus eam accepit. Rogatus autem à Sacerdote, crederet-ne, verum DEI Filium Eucharistia, quam suscipiebat contineri? Respondit minus id apud se habere dubij, quàm si videret Christum in ea ianua, quâ cælum conscendit. Cùm verò supremus ei mortis agon immineret, sublatis in cælum oculis aiebat: *Introibo in Domum tuam Domine. Adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Sic effatus animam DEO reddidit. O virum beatum! O Regem Militemque Sanctum!

ELOGIVM
S. LVDOVICI GALLIÆ REGIS,
Ex Martyrologio Romano.

LVDOVICVS *Nonus Galliæ Rex, duodecim annos natus, patre amisso, & in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, cum iam vigesimum annum in regno ageret, in morbũ incidit: quo tempore cogitauit de recuperanda possessione Ierosolymorum. Quamobrem, vbi conualuisset, Vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit: deinde, mare cum ingenti exercitu traijciens, primo prælio Saracenos fugauit. Sed cum ex pestilentia Militum multitudo perijsset, victus ipse captusque est. Rebus postea cum Saracenis compositis, liber Rex, exercitusque dimititur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos à Barbarorum seruitute redemit: multos etiam infideles ad Christi fidem conuertit: prætereà aliquot Christianorum vrbes refecit suis sumptibus. Interim mater eius migrat è vitâ: quare domum redire cogitur, vbi totum se dedit pietatis officijs.*

MVLTA *ædificauit Monasteria, & pauperum hospitia: beneficentia egentes subleuabat:*

frequens inuisebat ægrotos, quibus ipse non solùm suis sumptibus omnia suppeditabat; sed etiam quæ opus erant manibus ministrabat. Vestitu vulgari vtebatur: cilicio ac ieiunio corpus assiduè affligebat. Sed cum iterum transmisisset bellum Saracenis illaturus, iamquè castra in eorum conspectu posuisset pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in Domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum: & confitebor Nomini tuo. *Eius corpus posteà Lutetiam Parisiorum translatum est, quod in celebri S. Dionysii templo asseruatur & colitur: Caput verò in sacra æde sacra Capellæ. Ipse clarus miraculis à Bonifacio* Papa *Octauo in Sanctorum numerum est relatus.*

ELOGIVM
S. LVDOVICI REGIS
FRANCORVM.

Ex Fastis Marianis.

VITAM *omnem* LVDOVICI *noueris, si leges noueris, quis sibi primò, tum deinde filio dixit. Harum capita habe.* I. DEVM *præ omnibus amato.* II. *Peccatum mortiferum, seu anguem, fugito.* III. *Aduersis ne deprimitor.* IV. *Neque prosperis extollitor.* V. *Animæ plagas spiritali Medico crebrò nudato: & medicinam, quamuis asperam nullam respuito.* VI. *In precandi studio assiduus esto.* VII. *Animum in miseros pium & liberalem gerito.* VIII. *Cùm animo malè est, in consilium, quàm mox virum bonum adhibeto.* IX. *Boni tibi nunquam non adsunto.* X. *Bonum omne amplectitor: Malum omne detestator.* XI. *De* DEO *loquentibus aures libenter dato.* XII. *Obtrectationibus verò obserato.* XIII. DEVM *Diuosquè impunè te Rege nulli lacessunto.* IV. *Gratus* DEO *imprimis, sed & hominibus esse memento.* XV. *Pro tribunali æquus esto, & pauperum querimonias ne negligito.* XVI. *In caussa sua dum res non liquet, contra te stato.* XVII. *Aliena ocius restituito.* XVIII. *Clero & Religiosis pro scuto esto.* XIX. *Parentibus amorem deferto.* XX. *Bella si contra Principes Christianos gerere necessitas suadet, sacris parcito.* XXI. *Lites pro virili dirimito.* XXII. *In Magistratus sedulò inquirito.* XXIII. *Pont. Max. vt par est reueretor.* XXIV. *Impensa modestiam ne excedunto.* XXV. *Pro me vbi obiero, Sacra fieri curato.*

Res gestas S. Ludouici Regis Francorum conscripsit imprimis Gaufridus de Bello loco ipsius Regis Confessarius. Ex quibus Surius To. 4. & Excerpta ex ijsdem Robertus Bellarminus lib. 3. de Principe. Vitam autem accuratè composuit Ioannes de Lauuilia, qui duobus & viginti annis eidem Regi famulatus est & comes indiuiduus adhæsit. De eodem Francicæ historiæ script. Item, S. Antonius 3 p. tit. 20. cap. 1. §. 12. Iodocus Clictoueus, Papyrius, Massonus, qui à ceteris omissa diligenter collegit, Petrus Ribadeneira in Flore Sanctorum: Baronius S. Ludouicum inter Reges Franciæ XLIII. collocat. Consule Spondanum Gualterium, aliosque Chronologos.

XXVI. AVG. S. ALEXANDER *Bergomas*, quem sic indigito, quia *Bergomi* in Galliâ Cisalpina colitur. Fuit autem vnus ex Legione Thebæâ, qui cum nomen Domini IESV Christi constantissimè fateretur, Martyrium capitis abscissione

sione compleuit. Acta exhibet *Mombrit.* *To.1.*

XXVII. Avg. S. Marcellinvs *Tribunus* Martyrol. Rom. *Tomis in Ponto SS. Martyrum* Marcellini Tribuni, *&* vxoris eius *Mannea*, & filiorum, *Ioannis*, *Serapionis*, & *Petri*. De quibus *Beda*, *Vsuardus*, *Ado*, & *Manusc.*

XXVIII. S. Ivlianvs. Qui cũ esset B. Ferreoli Tribuni comes, & in habitu Militari occultè Christo seruiret, in persequutione Diocletiani à Militibus tentus, desecto gutture, morte horribili necatus est, Briuate, apud Aruernos. *Martyrol. Rom.* Itemque *Beda*, *Vsuardus*, *Ado*. Hoc autem die eius memoriam esse celebrandam habetur à Gregorio Turonensi lib. 2 de glor. Martyr. cap. 27. qui ipse librum integrum scripsit de eius agone & miraculis; recenset eum *Lipoman.* Tom. 3. & *Surius* to. 4. *Sidonius Apollinaris* agit de eod epist. 1. lib. 7. *Venantius Fortunatus* in carmine de gaudio vitæ æter. & ad Bodeg. lib. 7.

XXVIII, Avg. S. Moyses Æthiops, Miles, *Latro*, *Monachus*, *Presbyter*.

Qvod inter Milites Latronem ponã, ne mireris: nam apud antiquos dicebantur, Latrones, qui conducti erant Milites, à λατρέια, inseruio, quia seruiebant mercede & à latera cingebant Imperatoris vel Principis, Laterones, qui nunc stipatores & satellites. Et quamuis hoc tempore non omnis Miles sit latro, tamen vix est latro, qui non Miles, sed deploratæ fortunæ, impius, sceleratus, crudelis, homicida: qualis ante conuersionem fuit

Moyses *Æthiops*, seruus, siue satelles cuiusdam, qui gerebat Rempub. quem propter morum improbitatem & latrocinij crimen proiecerat eius dominus. Dicebatur enim etiam vsque ad cædes progredi: cogor namque dicere facta eius improbitatis, vt posteà ostendam virtutem eius pænitentiæ. Narrarunt ergo aliqui, cum fuisse Præfectum magnæ cateruæ Latronum, cuius inter cetera latrocinandi opera, hoc quoque fertur; quod infesto & vindictæ cupido animo erat in pastorem, qui ne rem aliquã ablatam redderet, ei fuerat impedimento, dum cum canibus gregis noctu abiret. Quem cùm vellet occidere, obibat locum, in quo eius oues habebant stationem. Ei autem significatum est, ipsum esse trans Nilum. Et cum fluuius illo tempore redundaret & plus quam mille passus pateret latitudine, ensem tenens mordicus, & tunicam, qua erat indutus, imponens suo capiti, natando sic transmisit fluuium. Dum autem tranaret latro, potuit pastor ouium se abscondere alicubi infodiens.

Cvm ergo Moysi cæptum non successisset, occisis quattuor egregijs arietibus, & catenâ alligatis, iterum tranauit Nilum: & cum in paruam quandam villam venisset, excogitauit arietes, & cùm quæ erant carnes optimæ comedisset, & pelles pro vino venundedisset, cum Saitia octodecim ebibisset, illinc ad quinquaginta lapides est profectus, vbi habebat collegium. Hic princeps latrorum serò tandem casu aliquo, qui ei acciderat,

derat compunctus tradidit seipsum Monasterio, & ad tantam processit pænitentiam, quantam res ipsæ indicarunt. Inter cetera autem dicitur, quòd cùm quattuor latrones in eum in cella sedentem irruissent, ignorantes, eum esse Moysem, B. Moyses eos tanquam saccum paleæ ligatos, & humeris imposuit, & ad fratrum portauit Ecclesiam, dicens: Quoniam non licet mihi alicui facere iniuriam, inueni autem eos me aggressos, quid de ijs iubetis fieri? Hoc modo autem comprehensi à S. Moyse, DEO confessi sunt: & cùm cognouissent eum esse Moysem, qui fuit aliquando insignis Princeps latronum, Christum eo nomine glorificantes, illi quoque Mundo renunciarunt, & euaserunt Monachi probatissimi.

POST HÆC perpetuum fuit Moysi bellum cum Dæmonibus, in quo nunquam succubuit Christi Miles. Grauissimas passus est tentationes à Spiritu fornicationis, quas superauit fuga occasionum, abstinentia cibi, labore, orationū assiduitate. Porrò quamuis suum liquefecisset corpusculum, permansit tamen inflammatus, & præcipuè in somnis. Cùm autem surrexisset, conuenit quendam Monachum Sanctum probatissimum, & ei dicit: quid faciam Abba? Rationi meæ tenebras offundunt somnia animi, vt qui eius ex veteri consuetudine delectet. Dicit ei ille Sanctus, non cohibuisti mentem tuam à visis, quæ in ea versantur: ea de caussâ hæc sustines. Fac ergo quod dico. dedi te paullatim vigiliæ, & ora sobrius, & ab his citò liberaberis. Obsequutus monito Moyses, tota nocte non dormiebat, nec orationis prætextu genua flectebat, vt somni fugeret tyrannidem.

CVM ergo annis sex mansisset in cellâ totas noctes stans in medio cellæ, & DEVM orans assiduè, & non claudens oculos, non potuit tamen (*plene*) intemperantem vincere Cupiditatem: & quamuis seipsum liquefecisset laboribus tamen turpem illam affectionem non potuit (*plane*) subigere. Itaque post hæc aliam sibi suggessit rationem asperæ vitæ agendæ. Egrediens igitur hic Pugil Satanæ, noctibus abibat ad cellas Monachorum, qui se exercendo consenuerant in laboribus, & per se aquam non poterant amplius importare, & accipiens hydrias, eis nescientibus, illas aquâ implebat. Habent enim in illis locis aquam certa distantem longitudine, alij quidem ad duos lapides, alij verò ad quinque, alij verò ad dimidium.

Vna ergo nocte, qua hoc faciebat, Dæmon, qui eum obseruauerat, nō amplius ferens Athletæ fortitudinem, cùm ipse se inclinasset in puteum, vt vnius Monachi impleret hydriam, clauam ei impegit in lumbis, & eum in eo reliquit loco iacentem vt mortuū, nihil omninò sentientē, neq; quid, neq; à quo id passus esset. Cùm ergo alio die venisset quidam Monachus ad aquam hauriendam, inuenit Moysem iacentem destitutum sensu. Is autem id nunciauit Magno Isidoro presbytero Scetæ. Qui abiens cum aliquot alijs, eum accepit, & tulit in Ecclesiam. Ille verò anno toto ægrotauit, vt vix corpus eius & anima conualuerit. Tunc dicit illi Magnus Christi Sacerdos Isidorus: Cessa deinceps, frater Moyses, contendere cum Dæmonibus, & ne sic

eis

eis insultaueris: est enim modus quoque fortitudinis in exercitatione. At Moyses, non cessabo cum eis pugnare, donec mihi cessauerit phantasia somniorum. Tunc ei dixit S. Isidorus presbyter: In nomine Domini nostri Iesu Christi ab hoc temporis articulo cessabunt turpia tua somnia: bono deinceps & fidenti animo cōmunica Sacramentis. Ne enim gloriateris, vt qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideò vehementer in te suam exercuit potestatem, ad tuam vtilitatem ne incideres in animi elationem.

His auditis reuersus est in cellam, quietè deinceps attendens moderato instituto exercitationis. Post duos autem vel tres menses rogatus à B. Isidoro presbytero exercitator Moyses, numquid amplius ei molestiam exhibuisset Spiritus, respondit: Ab illa hora, qua mihi precatus est Christi seruus nihil mihi accidit eiusmodi. Dignatus est autem hic Sanctus gratia aduersus Dæmones, adeò, vt sicut nos muscas hieme contemnimus, ita, atque adeò amplius hic Magnus Moyses contemneret Dæmones. Atque hæc est vita, quam egit Moyses Æthiops, qui ipse quoque numerabatur inter Magnos. Obijt annorum LXXV. in Scete, tum factus esset Presbyter, relictis LXXV. discipulis.

Martyrologium Romanum XXVIII. Augusti. *Sancti Moysis Æthiopis, qui ex insigni Latrone insignis Anachoreta multos Latrones conuertit, & secum duxit ad monasterium.* De eodem, ipso illo die agunt Græci in suo Menologio, paucisque referunt eius Acta, vberius in Vit. Patrum, vnde superiora desumpsimus, & Nicephorus lib. 11. cap. 36. Notat autem Baronius ad Martyrolog. quod S. Moyses Æthiops diuersus sit ab illo Moyse anachoreta, de quo Sozomenus lib. 6. cap. 38.

Saitia octodecim (a)] Σαΐτιον ab Epiphanio vocatur *Saites*, quem dicit continere sextarios vigintiduos. *Scetes*, (b) Solitudo. *Scete*. Vicus in Phænicia. *Scithi*. Eremus. *Scithium* locus. Videndus Index Chorographicus post Vitas Patrum Heriberti Rosvveydi.

Qui sequitur Mutius non est quidem inter Sanctos in Martyrologio, sed adiungitur Moysi, ob professionis ante & post conuersionem similitudinem.

Mutius, Miles, *Latro, Spoliator, Eremicola*. Erat quidam Vir nobilissimus, nomine Mutius, post conuersionem Monachus & Eremi cultor. Hic primò gentilis fuit Latronum maximus, & sepulcrorum violator, atque in omnibus flagitijs opinatissimus; ad quem tali ex modo occasio salutis aduenit. Nocte quadam ad domum cuiusdam Virginis Deo sacratæ exspoliandi caussa perrexit, cùmque machinis quibusdam, quæ huiusmodi artificibus satis notæ sunt, domus eius tecta conscendisset, quærens, quali arte, vel quo aditu ad penetralia eius irreperet, difficultate perpetrandi operis innexus, plurimum noctis tempus in tectis positus, sine vllo transegit effectu. Post multos verò animi conatus frustra adhibitos veluti fessus, somno opprimitur, & per visum adsistere sibi videt, quendam regio habitu dicentem; Desine iam ab his flagitijs, & ab effusione humani sanguinis cessa, atque ab execrabilibus furtis, ad laborem religiosum cōuerte vigilias, & suscipe cælestem Ange-

licamque MILITIAM, atque ex hoc iam animi virtutibus viue, & ego te huius MILITIÆ DVCEM atque Principem faciam.

AT ille cùm gratulanter, quæ sibi offerebantur, audisset, ostenditur ei exercitus Monachorum, & Principatum super eos iubetur tenere. In his euigilans, adstantem videt sibi Virginem, & requirentem, quis? aut vnde? vel cur illuc aduenisset? At ille quasi amens effectus, nihil ei respondit, sed tantùm, vt Ecclesiam sibi ostenderet, rogat. Illa verò cùm intellexisset esse in se aliquid operis diuini, hominem perducit ad Ecclesiam, ac Presbyteris offert. Ad quorum ille vestigia proruens, rogabat Christianum se fieri, & illicò sibi pœnitentiam dari. Presbyteri verò qui cognoscebant virum hunc esse omnium flagitiorum principem, mirabantur, si hæc vera loqueretur. Et cùm perseuerantia sui fidem rei fecisset, monent eum, vt si hæc vellet, illa penitus omitteret. Dehinc cùm religionis initia suscepisset (baptizatus nimirum) orat sibi præcepta dari, quibus viam salutis deberet incedere. At illi tres ei primi psalmi versiculos tradunt. Quibus ille diligenter consideratis, sufficere sibi ait eos ad viam salutis, & scientiam pietatis. Tribusque diebus permanens apud eos, ad Eremum proficiscitur, vbi plurimo tempore demoratus, & die ac nocte in oratione perdurans, cibum ex radicibus accipiebat herbarum.

REGRESSVS autem ad Ecclesiam, tres versiculos Psalmi, quos à Presbyteris perceperat, non solùm verbis, sed & rebus atque operibus reddidit. Presbyteri verò mirabantur, quòd subitò conuersus acerrimam statim iniungeret sibi abstinētiā; & instruentes eum plenius diuinis Scripturis, hortabantur secum demorari. At ille, ne videretur inobediens, vnam apud eos exigens hebdomadam, rursus pergit ad Eremum, atque ibi post septem continuos annos in omni abstinentia degens, plenitudinem gratiæ consequitur à Domino, ita, vt omnes penè Scripturas memoriter teneret. Panem verò Dominicâ tantùm die sumebat: & hunc diuinitus delatum. Nam cùm oraret, surgens ab oratione, inueniebat panem positum, quem nemo hominum detulerat. Hunc vbi cum gratiarum actione sumpsisset, sufficiebat vsque ad alteram Dominicam diem.

PLVRA habet de hoc MVTIO. Milite olim Cacedæmonis, tunc Christi Palladius: Et quomodo à mortuo discipulo responsum audierit: & Solem stiterit, ne noctu in tenebris ambularet: & osculans mortuum ab eo de vitæ desiderio responsum postulauerit: & inducias morituro imparato impetrauerit: & frequenter Nilum fluuim pedibus transiuerit, aquam vsque ad genua habens: & clausis ostijs ad fratres ingressus sit: & post hebdomadæ ieiunium panis ab ignoto oblatus ei fuerit: & Dæmon assistens thesauros auri plurimos, quos Pharaonis fuisse perhibebat ostenderit ei sub terram demersos, cui responderit MVTIVS, Pecunia tua tecum sit in interitum & perditionem. Hæc & his similia plurima effecit per eum Dominus, inquit Senex Copres apud Palladium cap. 54. apud quem nominatur *Pater-Mutius*. Heribertus *Rosvveydus vitis Patrum lib. 2. pag. 355.*

SEP-

SEPTEMBER.

S. MOYSES. Martyrologium Rom. *in Monte Nebo terra Moab Sancti Moysis Legislatoris & Prophetæ.* De quo agunt, tanquam de Sancto eodem die non tantùm Latini omnes in suis Martyrologijs, sed & Græci in Menologio. Frequentissimè de eo in Diuinis Scripturis, & in Iosepho Historico, & Philone, alijsque innumeris Hebræorum, Latinorum ac Græcorum Scriptoribus, tam Sacris, quam profanis fit honorifica mentio. Accipe pauca de multis.

MOSES siue MOYSES ex nepotibus Leui, quintus à Patriarcha Iacob. Hic natus est in Ægypto, & educatus à teneris aula regia, quasi Regis filius, & destinatus Heres Regni, successor Pharaonis. Cuius mandato institutus fuit in omni Sapientia Ægyptiorum, ipsos 40. annos. Inde negans se esse filium filiæ Pharaonis malens affligi cum populo Dei, quàm temporalis regni, & peccati habere iucunditatem, fugit in Madian. Hic oues pascens, Deum in rubo alloquutus 40. annos contemplando diuinam omnem sapientiam hausit. Denique Dux populi delectus, tertios 40. annos illi profuit; non solùm, vt Propheta, Doctor, Legislator, Summus Pontifex, verum etiam Summus Imperator, in Politicis & Militaribus, Pacis & Belli tempore, domi, forisque. Quantum valuerit vtrobique ostendit, quando tres hominum milliones putà trigesies centena hominum millia, duræ magnam partem ceruicis, collegit, & sub signis per arida deserta, 40. annis deduxit, commeatum abundantem lautumque in dies singulos curauit, Dei metu ac religione instituit; pace ac iustitia continuit, litium omnium arbiter ac sequester extitit, contra hostes quoscumque fortiter defendit. Quis hunc neget fuisse Ducem militarem incomparabilem?

QVOD magis declarant res ab eo gestæ, quæ in quattuor sacris libris, Exodo, Leuitico, Numeris & Deuteronomio continentur; ex quibus Philo Iudæus vitam Mosis composuit & tribus libris complexus est, ex Christianis verò Gregorius Nyssenus, de Vita Mosis & vita perfecta. Ad Militarem animum spectat, quod solus defenderit puellas soceri sui aduersus pastorum multitudinem vt legitur Exodi secundo. Et quod egressus ad fratres suos, cum vidisset virum Ægyptum percutientem quendam de Hebræis fratribus suis, eum inuaserit, & percussum absconderit sabulo, vt ibidem narratur. Quod homicidium Scriptura non reprehendit: nimirum, quia perpetratum ad defensionem, & in illa Hebræi innocentis ab Ægyptio violenter oppressi. Et licet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. existimarit, homicidium istud fuisse culpabile, tamen posteà scribens quæstiones in Exodum retractauit sententiam illam priorem, & Mosem à criminis culpa defendit. Sed hoc non agimus, qui in eo solum militarem animositatem consideramus,

VT autem solus occidit vnum, priuatus priuatum, ita factus Princeps Populi DEI, cum suis se Pharaoni, & alijs deinde Regibus ac gentibus opposuit, & ipso Deo opem ferente, de ijs, ac signatè de Pharaone, & omni exercitu eius gloriosissimè triumphauit. Viderunt enim Israëlitæ Duce Mose aduersarios suos Ægyptios *mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuit Deus contra eos*: Exodi XIV.

ELOGIVM MOSIS MILITIS; LEGISLATORIS, PROPHETÆ.

DILECTVS DEO *& hominibus* MOSES: *cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum* (Sanctis Patriarchis.) *Magnificauit eum in timore inimicorum: & in verbis suis monstra placauit* (portentosas plagas Ægypti cessare fecit) *Glorificauit illum in conspectu Regum* (*Regis nimirum Pharaonis, de quo dixit illi Dominus Exodi* VII. 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis) *& iussit illi coram populo suo: & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius* SANCTVM *fecit illum: & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipsius, & induxit illum in nubem: & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ docere Iacob Testamentum suum, & iudicia sua Israël.*

Ecclesiasticus cap. xxv.

Vixit Moses annos cxx. nec caligauit oculis eius, neque dentes sunt emoti. Obijt in monte Nebo. Sepeliuit eum Deus, vt non inueniretur, neque sciretur sepulchrum eius. Deuteron. xxxIV. Encomia Mosis ex Sacrâ Scripturâ; & Auctoribus tum sacris tum profanis accuratè collegit & enarrauit Cornelius à Lapide, in Pentateuchum Proœmij sectione tertia, cuius titulus: *Quis & Quantus Moses.* Virtutes Moysis quà Principis, tum Politici, tum Militaris numerauit, explicauitque *Robertus Bellarminus* lib. Secundo de Principe, vbi habetur Vita Mosis, quam ita concludit. *Hic finis fit vitiæ & virtutum Sancti Mosis, Principis primi & clarissimi in populo* DEI. A MOSE separari non debet, eius in bello substitutus, fidelis administer, & post mortem successor in Militantibus, vide Tom. 2. lib. 5. Comment. 3. cuius Titulus *Moses* Pugnans cum Amalech Typis Christi.

I. SEPT. IOSVE. De quo Martyrologium Romanum, 1. *Septembris*: In Palestinâ Sanctorum IOSVE & GEDEONIS. Qui ambo fuerunt Milites. De *Iosue* præter ea quæ habentur in Sacris voluminibus, agit Iosephus Antiquitatum Iudaicarum lib. 3. & sequentis fuit secundus Dux Hebræorum, descendens à Iosepho Patriarcha, à quo fuit Septimius, ex tribu Ephraim (*Numeror.* XIII.) seruiuit Mosi longo tempore, cui successit in Principatu Politico & Militari. Militiæ se dedit, & illam exercuit, antequam Moses moreretur. Cum quo ascendit in montem Sinai, & fuit inibi XL. diebus; vbi vt alia, sic etiam Artem Militarem discere potuit. In qua certè fuit summus: Prudentia, ac Fortitudine bellica nulli inferior: in bellis gerendis felicissimus. Is quibus artibus hostes vel auerterit,

vel

vel prostrauerit; quomodo tum multas prouincias breui tempore domuerit; qua ratione habitatoribus, interemptis, aut fugatis, filijs Israel inimicorum terras habitandas possidendasque tradiderit: quâ industria exercitus suos in officio continuerit, à sceleribus compensauerit in timore Domini erudierit scriptum habetur in libro ipsiusmet nomine signato. Vixit annos cx. & genti Hebræorum cum imperio felicissimè præfuit annis xxvi.

ELOGIVM
IOSVE
DVCIS HEBRÆORVM.

QVando Devs prædixerat Mosi, quod breui esset moriturus, respondit Moses solicitus de succeßore, Numerorum xxvii. *Prouideat* Devs *hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini, sicut oues sine pastore. Tum Dominus ait ad Mosem: Tolle* Iosue *filium Num, Virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum: Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine; & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ* (nempe, potestatem Politicam in eaque Militarem) *vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius* (Eleazari) *egredietur & ingredietur* (Iosue) *& omnes filij Israel cum eo. Fecit Moses, sicut præceperat Dominus: cumq; tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazare Sacerdote, & omni frequentia populi, & impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.*

Iosve *filius Nun repletus est Spiritu Sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas.* Deuter.xxx.v.

Devs non semel, sed secundò ac tertiò dixit ad Iosue: *Confortare & esto robustus: noli metuere, & noli timere; quoniam tecum est Dominus* Devs *tuus in omnibus ad quacumque perrexeris.* Iosue I.cap. Hæc verba Dei Zabaoth, Domini Exercituum, non solum fuerunt significantia, sed etiam efficientia. Quocirca abstulerunt ab hoc Duce militari omnem pauorem ac timorem, & induerunt eum fiducia incredibili, & fortitudine admirabili, vt facilè Victor euaserit aduersus Reges plurimos, & expugnauerit omnes vrbes eorum.

Legendi interpretes libri Iosue, inter quos eminet Nicolaus Serarius. Robertus Bellarminus lib.2.de Principe, Virtutes Iosue probat & exornat: sunt autem, I. Innocentia communis cum Patriarcha Ioseph. II. Sanctitas, qua superauerit Mosem. III. Castitas virginalis, qua excellentior fuerit Iosepho coniugato. IV. Fides. V. Spes. VI. Caritas. omnes in excellenti gradu.

Adnumerabatur olim Iosve inter Prophetas secundum Epiphanium, hæresi 66. Vsque ad tempora S. Hieronymi (mirum dictu) extabat sepulchrum Iosue in monte Ephraim. Quod S. Paula circumiens loca Sacra venerata est, vt scribit idem S. Hieronym. in Epitaphio Paulæ Epist. 27. his verbis: *Sepulchra quoque in monte Ephraim Iesu filij Naue, & Eleazari filij Aaron Sacerdotis è regione venerata est: quorũ alter conditus est in Tamatsare à Septentrionali parte montis Gaas: alter in Cabaa filij sui Phinees.*

S.SEP.S.GEDEON. Huius nomē exprimit Martyrologiū Rom.1. Septemb.& eodem die *Beda, Vsuardus Ado*, alijque recentiores. Eius Acta narrantur in lib. Iudic. cap. 7. & 8. Adnumeratur inter laudatissimos Viros à Paulo Apostolo in Epist. ad Hebræos cap. 11. De eo agit Iosephus Antiquit. lib. 5. cap. 9. & Isidorus de Vita & morte Sanctorum. Gedeonem vt Ducem bellicum exhibuimus Tomo. 2. l. 5. comment. 4. Membro V. cuius Titulus: *Gedeon Madianitarum Debellator, Debellatoris Cacodæmonum Christi in Passione Icon.*

S.SEP. SANCTI EVDOXIVS, ZENO, MACARIVS, & SOCII MILITES *Mille Centū & Quatuor*; qui abijcientes Militiæ cingulum in persequutione Diocletiani pro confessione Christi necati sunt. Passi sunt Meletine in Armeniâ. Martyrol. Rom. & Græci ex Actis S. Romuli. Dignum notatu, quod ex horum Militum numero, qui Meletine in Armenia coronati sunt, quatuor sacra corpora delata Constantinopolin, reperta sint temporibus Iustiniani Imperator, quorum beneficio idem Imperator letali morbo curatus est. Rem gestam perpetuis dignam monumentis conscripsit *Procopius* lib. 1. de Ædificijs Iustiniani Imperat.

S.SEP. S. HADRIANVS cū alijs Viginti & Tribus. Qui cum Duce suo post multa supplicia, sub Diocletiano & Maximiano Augustis Martyrium cruriflagio consummarunt quarto Nonas Martij Nicomediæ. Sed eorum Reliquiæ à Christianis Bizantium delatæ, reuerenti honore sepultæ fuerunt. Inde postea S. Hadriani Corpus Romam octaua Septembris translatum fuit, in quâ ipsius festiuitas potissimùm celebratur.

VITÆ BREVIARIVM.

HADRIANVS *in Militia clarus, ideoq; Maximiano Imperatori carus, eius iussu apud Nicomediam Christianos persequebatur. Verùm cùm eorum constantiam in fidei confessione, & tormentorum perpeßione sæpe demiratus esset, vehementer ea re commotus ad Christum se conuertit, Christi factus Miles. Quamobrem cum alijs, eiusdem professionis Socijs viginti tribus coniectus est in carcerem. Vbi eum visitans Natalia vxor, quæ & ipsa anteà in Christum crediderat, ad Martyrium eum vehementer incendit. Denique, è custodiâ eductus, tam diu flagellis cæsus est, donec intestina defluerent. Postremò tandem fractis cruribus, & manibus pedibusq; præcisis Martyrij certamen feliciter absoluit.*

ELOGIVM
S. HADRIANI DVCIS MILITVM.

MAPPAM *dixisses Martyrum sanguine, qui hunc mitti vidisset: tam ad pugnam olim Christianos excitauit. Ita* HADRIANVM, *virum ex equestri ordine Militarem, vt Christo militaret, eadem prælia Martyrum gloriosa, & inuicta in tormentis constantia accenderunt. Et vicisse etiam feratus est, cùm manus Tyranno dedit vinculis ligandas. Ex quibus cum aliquot post dies, cùm bona veniâ egressus ades suas repeteret, Coniunx eius* NATALIA *fortissima matrona, transfugam ex sanctis castris aduentare rata, tecto exclusit; nec prius admisit, quàm fidem se* DEO *seruasse ostenderet. Quin ipsa in vincula reduxit maritum, ipsa cum ca-*

sus illa effunderet, dictis firmauit. Et quia feminis aditus ad ergastula Martyrum iam negabatur, positis capillis, vt viro femina animos adderet, virum induit: cùmq; membris truncandi iam CHRISTI MILITES *essent, id scilicet à carnifice multis precibus blanditijsq; exorauit Natalia, vt primas Coniux teneret; ab hoc verò, vt sponte manus securi subijceret. Ipsa Dexteram* HADRIANI *legens, thesauri loco (& erat) asseruauit. Nec multo post, cùm Hadrianus ad Cælitum gaudia Nataliam etiam inuitasset, Coniugi suo Coniunx iterum & aeternum iuncta est. Quamuis quid Coniuges dico, quando in vtroque virum agnouimus. Tibi quid, obsecro animi est, cùm vtrumque attentius consideras?*

Passus est circa Annum Christi CCCXI. sub Valer. Maxmin. in Oriente regnante legendus *Baronius* in Not. & To. 3. Annal.

IX. SEPT. S. SEVERIANVS *Sebastensis*, Miles Licinij Imperatoris, qui cum Quadraginta Martyres in carcere detentos frequens visitaret, iussu Lysiæ Præsidis, saxo ad pedes ligato suspensus & verberibus cæsus, & flagris laniatus in tormentis reddidit spiritum Sebastæ. Acta sunt in Menologio Græcor. *Metaphraste, Lipomano* Tom. 6. *Sur.* Tom. 5.

XIV. SEPT. S. CÆRBALIS cum SALVSTIA vxore, quos Cornelius Papa in fide instruxerat, & eodem quo ipse die, capite plexi sunt.

XVIII SEPT. S. FERREOLVS. Hic cùm esset Tribuniciæ potestatis, iussu Crispini impijssimi Præsidis tentus, & crudelissimè verberatus, deinde, graui catenarum pondere onustus in teterrimum carcerē tristius est; vnde solutis DEI nutu vinculis, & ianuis carceris perfractis, exiens, ab insequentibus iterum captus Martyrij palmam capitis obtruncatione percepit, in territorio Viennensi.

ELOGIVM
S. FERREOLI
MILITVM ANTESIGNANI.

ANNVM *à Christi ortu tertium supra trecentesimum victorijs suis nobilem fecit* FERREOLVS, *non magis* MILITVM, *quàm* MARTYRVM *Antesignanus. Hostis, qui cum ei bellandum erat atrox & versipellis Crispinus Proconsul fuit; vt, qui modò insidias (blāditias) admouit, modo aperto Marte (tormentis) pugnauit. Vtraque vel elusit prudenter, vel vicit fortiter* FERREOLVS. *Et poterat facilè pacem cum hoste cōponere, si semel sacrificasset. Sed maluit suum Sanguinem Christo, quam vel alienum Dis improbis litare. Et iam tota agmina carnificum vicerat, cùm ferro oneratus in carceres triumphans abijt. Inde ruptis cælesti ope vinculis, per sopitas custodias & portas patentes ad Rhodanum euasit: quem cum Angelis succolantibus transnatasset, retractus à fuga, vltimam nobilissimamq; Pugnam edidit. Nam capite D. Iuliani Commilitis obiecto, iussus est, aut suam mutare, aut similem expectare sententiam. Ille carum caput amplexatus, multumq; dissuauiatus, sanguinem sanguini, caput capiti, tumulumq; tumulo sociauit. Hunc aiunt multis post annis D. Mamerti opera adapertū,* FERREOLI, *& in manibus* FERREOLI *Iuliani caput, vtrumque integrum, ostendisse Exemplo, vel Gracia Iudice, supra omnes Pylades & Orestes amico.* Fasti Mariani.

Coronatus est S. *Ferreolus Tribunus* circa annum Salutis 303. qui fuit Marcelli Papæ 7. Diocletiani Imp. 20. lege *Baronium* Tom. 2. Annal. & *Not.* ad Martyrol.

XX. SEPT. S. EVSTACHIVS, idemque PLACIDVS, & à Græcis PLACIDAS dictus, quo tempore Traianus Imp. expeditionem in Decebalum Dacorum Regem parabat, primo Militiæ ordini propter egregiam Militaris virtutis opinionem, qua ipsi Traiano imprimis carus erat, Dux ab eo fuit præfectus Magister Militũ dictus. Et quidem præclaram strenuamque suo Imperatori in rebus bellicis (vt & ante in bello Iudaico, sub Vespasiano & Tito, agens tum Magistrum Equitũ, cùm & ipse Traianus Ductor esset Decimæ Legionis) nauabat operam, vt hostes vel sola aduentus illius mentione in fugam converterentur. Porrò, quoties à militari pugna ociũ aut requies dabatur, frequens belli meditatio ad assiduam penè venationem eum prouocabat. Itaque cum sese aliquando in venatione exerceret, ac fugientem miræ magnitudinis ceruũ insequeretur, vidit repentè, inter consistentis feræ cornua excelsam atque fulgẽtem Christi Domini è Cruce pendentis imaginem: cuius voce ad immortalis vitæ prædam inuitatur, vnà cum vxore Theopista, ac duobus paruulis filijs, Agapito & Theopisto Christianæ Militiæ nomen dedit.

Mox ad visionis pristinæ locum, sicut ei Dominus præceperat, regressus, illum prænunciantem audiuit, quantum sibi deinceps pro eius gloria perferenda essent. Quocirca incredibiles calamitates mira patientia perpessus, breui in summã egestatem redactus est. Cumque clam se subducere cogeretur, in itinere cõiugem primum, deinde etiam liberos sibi miserabiliter ereptos ingemuit. Tantis ò buo- lutus ærumnis, in regione lõginqua Villicum agens, longo tempore delituit, donec cælesti voce recreatus, ac noua occasione à Traiano conquisitus iterum bello præficitur.

Illa in expeditione, liberis simul cum vxore insperatò receptis, victor Vrbem ingenti omniũ gratulatione ingreditur. Sed paullò post, Manibus Dijs pro parta victoria sacrificare iussus constantissimè renuit. Cumque varijs artibus ad Christi fidẽ abiurandũ frustrà tentaretur, vnà cũ vxore & liberis Leonibus obijcitur. Horum mansuetudine concitatus Imperator, æneum in taurum subiectis flammis cãdentem eos immitti iubet; vbi diuinis in laudibus consummato Martyrio, duodecimo Kalendas Octobris ad sempiternam felicitatem conuolarunt. Quorum illæsa corpora religiosè à fidelibus s[e]pulta, postmodum ad Ecclesiam eorum nomine erectam honorificè translata sunt.

ELOGIVM
EVSTACHII, VENATORIS, MILIT. S. MARTYRIS.

EVSTACHIVS, *olim* PLACIDVS (*cuius vel nomen* Romani Imperij *hostes debel'abat*) *dum feras sectatur*, CHRISTVM *inter cerui cornua conspicuum habet, domumq́, nobile venationis spolium* FIDEM *portat. Ab eo tẽpore etiã Christiani suum lobum habuerunt. Nã opes & familiam euersam mitto. Ab exilio exordior. In hoc Coniugem impurus nauta sub oculis*

auchi

auebu: mox ipsos oculos (filios geminos) illum quidem Leo, hunc lupus rapit. Iam ille tantorum nuper exercituum Imperator, pecoris fit Dictator, classicum bubus canit, Dux oues praeit, baculo in lupos pugnat. Sed productus demum à cicatrice, ad Traianum iterum, ad exercitus ab aratro abducitur. Et vide mihi sis Fortunæ ludum. Merent sub illo AGAPIVS & THEOPISTVS, *quos dentibus ferarum olim Opiliones excusserant, ipsissimi filij Eustachij. Hi dum alter alteri pueritiam suam narrant, & repentè fratres se mutuò salutant, audit hæc è vicino mater (cuius pudicitiæ* DEVS *consuluit, impio nautæ extincto) & vtrumque ad Ducem rapit, petitque, filios sibi vindicet. Hic insperatò* EVSTACHIVS *pro se pronunciat, agnitusq́; & vxorem & filios sibi addicit. Victor deinde Romam ingressus ipsos in triumphum Deos ducit. Dum enim bis sacrificare renuit, ad bestias cum suis damnatur; innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipsum alij credebant, sed ille* FORTVNAM *ridebat.* Fasti Mariani.

Coronati sunt Anno Christi, quorundam calculatione 120. Legendum *Menologium* Græcorum, *Baronius* in Not. & To. 2. Annal. 103. & 120. *Metaphrastes*, *Lipoman. Surius.* Breuiter Martyrologium Romanum. *Romæ passio SS. Martyrum*, Eustachij & Theopistis *vxoris eius, cum duobus filijs*, Agapio & Theopisto: *qui sub Hadriano Imperatore damnati, ad bestias, sed* DEI *ope ab ijs nil læsi, in bouem æneum candentem inclusi, Martyrium consummarunt.*

XX. SEPT. S. THEODORVS PERGAMENVS. Antonino rem Romanam administrante, Præside Pergæ Pamphiliæ Theodoro, flos iuuentutis, forma & oris dignitate præstantissimus in MILITIÆ rudimentum, & Tyrocinium conscriptus THEODORVS ad Ducem est deductus. Accinctus militari more, & signo Martis, ceterorum ritu, instructus, signum mox abrupit: Ego, inquit, ab ipso natali meo, per IESVM CHRISTVM Imperatorem meum insignitur, apud nullum alterum Imperatorem Sacramentum dico. Et Præses, eccui, ait Imperatori militasti? Et Sanctus: illi, qui cælum terramque architectatus est: Et Præses: Et tu Dijs nostris non litabis? Et Sanctus: Impuris Cacodæmonibus litaui ego nunquam.

TVM cædi illum Præses imperauit: cæsumque rursum interrogat: numquid nunc tandem modestè ad quæsita respondere didicisti? Vtinam, inquit Sanctus Miles & tu Conditorem nosses tuum & adorares. Tum in feruente craticula distentum, cera, pice, viuo sulphure perfundunt. Quibus hoc agentibus, DEVS ingens prodigium errorum nocte confusis ostendit. Nam ingenti terra mugitu reclusa discessit, vndamque emisit, quæ flammam & craticulam, totumque penitus rogum extinxit. Quod Christi opus esse Theodorus professus fuit, dixitque Præsidi. Si vicissim iuuat explorare tuorum potentiam Numinum, aliam excita pyram, sternaturque in ea vnus de Militibus in horum nomine, tunc intelliges DEI mei immensam potentiam. Deprecati fuere Milites: adductus fuit Flamen: hic suasit vt Idolum ipsum flammis traderetur & virtutem suam demonstraret. Præses irritatus ludibrio, vt interpretabatur Theodorum post varia supplicia, Cruci addixit. Sic fuit Miles Sanctus Crucifixus. & pependit vi-

tius, deinde mortuus pulcherrimo Militibus Christianis ad constantiam spectaculo.

MVLTI sunt alij in Ecclesia, fastisque Ecclesiasticis insignes Martyres, & Milites aliqui eiusdem nominis, vocati THEODORI: & videtur factum, vt quod vnius est proprium, alteri tribuatur, aut planè gemina dixerint, fecerint, passi sint. Subiungo indiculum.

Theodorus Mar. Heracleæ sub Licinio. 7. Februarij.

Theodorus Mar. Romæ cum Alexandro. 17. Martij.

Theodorus Episc. cum Socijs martyr Pentapoli. 26. martij.

Theodorus & Pausilippus martyres sub Hadriano 15. Aprilis.

Theodorus Trichinas, vel *Trachinas* 20. Aprilis.

Theodorus mart. Romæ sub Gallieno cum Lucilla. 29. Iulij.

Theodorus mart. Nicomediæ cum Zenone 2. Septemb.

Theodorus, Oceanus, Ammianus, & Iulianus mart. sub maximiano. 4. Sept.

Theodorus mart. Constantinopoli sub Valente cum Vrbano 5. Sept.

Theodorus mart. Hadrianopoli cum Maximo sub maximiano 15. Septemb.

Theodorus, Philippa eius mater, & Socij milites martyres sub Antonino Pergæ 20. Septemb. in menologio & martyrologio Rom.

Theodorus Presbyt. mart. Antiochiæ sub Iuliano. 23. Octob.

Theodorus miles mart. Amaseæ sub Maximiano. 9. Nouemb.

Theodorus Episc. Ægyptius Mart. Alexandriæ sub *Maximino*, cum Fausto, 26. Nouemb.

Theodorus Mart. Antiochiæ cum Polycarpo. 7. Decemb.

Theodorus Mart. Antiochiæ cum Druso 14. Decemb.

Theodorus Mart. Romæ sub Valeriano cum Irenæo. 15. Decemb.

XXII. SEPT. S. *MAVRITIVS* MILES Ecclesiæ Latinæ. Cùm maximianus Imperator ducto in Galliam exercitis in finibus Sedunorum Sacrificij caussa constitisset Thebæorum legio, ne se impiorum Sacrorum societate contaminaret, à reliquis copijs discessit. Quare Imperator misit ad eos milites, qui suo nomine nunciarent, vt si salui esse vellent, in castra ad sacrificia redirent. Qui se Christianâ religione impediri responderunt. Quorum responsum ille indignissimè ferens, maiori iracundiâ, quam anteà exarsit. Itaque immissa parte exercitus in Thebæos, decimum quemque eorum iussit occidi. Quo perfecto scelere, MAVRITIVS Primicerius conuocans reliquam Legionem, grauiter, vti persistant, in fide vniuersè hortatur. Quo factum est, vt hæc audiens Tyrannus, & insaniens, primò iterum decimum quemque iusserit trucidari; ac demum, circumfuso exercitu ad vnum omnes. Nempe, cum hortante EXVPERIO Campiductore signorumque monstratore, eos, qui relicti fuerant, æquè videret à Christi fide nolle discedere.

ELO-

ELOGIVM
S. MAVRITII LATINI PRIMICERII.

VOCAVERAT *ex Thebæâ Legione iam semel iterumquéad supplicium decimũ quemque Maximianus, cum ita ad reliquos* Dvx Mavritivs:*Libauimus, Milites, hodie sanguinem nostrum nondum litauimus. Sed bonum factum! litabimus, vbi nostrum cum Sociorum cruore miscebimus. Illos è cælo iam spectare vos, è cælo audire credite. Quid enim erubescite. Primus è nobis cælum subijt, quisquis decimus cecidit. Proinde, si viri estis, vni semper nouem inuidetis. Me non Ducem putate, nisi ad mortem moriendo vos duxero: vos modò Mortem triumphalem portam credite. Nimirum vno iam ore omnes Maximianum incusare; Quid tam parcè biberet, quem tam sitiret sanguinem? Indulgeret improba siti, quando sibi tantundem sanguinis in diuite vena ac socijs bulliret. Si crimen esset, Dijs non sacrificare, crimen hoc omnium esse: cur pauci luerent, quod omnes peccassent? Itaque cingit omnis exercitus fortissimam Phalangem, mactatque: omnem; Cùm ecce* Veteranus *superuenit, clamat frustra Veteranum se dici, si præmia iuuenes præripiant: frustrà tot stipendia numerare, si nullam martyrij palmam: per emeritam denique senectam orat, sequi saltem triumphãtes in cælum Thebæos liceret, quos præire tarda ætas prohibuisset. Et annuit etiam huic Maximianus, in hoc vno aduersus Christi cultores liberalis. Et profectò in nullis, puto, canis tam pulchrè vel sanguis rubuit, vel laurus viruit.*

XXII. Sept. Milites Martyres Thebæi:

S. Mavritivs. S. Exvperivs,
S. Candidvs. S. Victor.
S. Innocentivs. S. Vitalis.
Sancti Socii eiusdem Legionis.

Qui Seduni in Galliâ in loco Agauno sub Maximiano pro Christo necati gloriosâ passione mundum illustrarunt, Anno Christi 297. Marcellini Papæ 2. Maximiani & Diocletiani 14. Legendus *Baronius* Tom. 2. Annal. & *Not. Martyr.* ac post plurimos alios auctores, *Guilelmus Baldesanus* in Historia Thebæâ. Frequentem fuisse fidelium Occidentalium peregrinationem ad Agaunenses plurima antiquitatis monumenta produnt. De Decimatione quam subierunt Martyres Thebæi dictum est alibi, cum de pœnis militaribus.

XXII. Sept. S. Mavritivs miles Ecclesiæ Græcæ. Græci etiam habent suum Mavritivm, & Commilitones Martyres, qui eadem, de quâ dictum proximè vrgente persequutione Diocletiani & Maximiani Impp. passi sunt Apameæ in Syria. Quorum res præclarè gestas descripsit *Metaphrastes*, & recitat *Surius* To. 4. mense Iulio, alij mense Februario. Hinc factum, vt plerique vnum eundemque *Mauritium* esse putauerint, Latinum & Græcum; Agaunensem, & Apamensem; Gallum & Syrum. Quod censuit aliquando Baronius, qui deinde sententiam mutauit, & argumento efficaci, vt in hac materia probat esse diuersos Notis ad Martyrol. Septemb. 22.

***

ELO-

ELOGIVM
S. MAVRITII SYRI MILITIS.

NVNQVAm tam fortiter pro sua Vrbe Romanus Miles, quàm pro fide Romana MAVRITIVS *Syrus cum Socijs Militibus depugnauit, Thebææ Legionis Antesignano, vt nomine, ita virtute par, & cum eodem Religionis hoste Maximiano Apamea compositus, quem prior ille Aganni in Gallia superauit. Pugnabat Tyrannus in pium agmen vinculis, flagris, vncis, equuleo, ferro, ac flammis; ingerebat quicquid telorum carnificum turba suggerebant. Sed stabat immota ad hæc omnia fortissima Militum Phalanx. Gaudebat in vinculis, ridebat ad flagra, hebetabat vncos, ac ferrum, ouabat in equuleo, in flāmis triumphabat etiam. Quare ad dolos confugere coactus Imperator, cuniculis inuictum* MAVRITII *animum tentare aggressus est. Addicitur proinde morti filius Photinus, & per huius iugulum parentis cor petitur: sed repulit affectum paternum facilè Christi amor, & vicit iterum in filio parens. Locus erat medius paludem inter & flumen, muscis, vespis, & id genus animalculorum examinibus infessus. Hic vltimum committit Maximianus. Pendet in oculis paternis filij corpus, scopulus omnium Militum iaculis & sagittis; & quot mortuum accipit vulnera, tot viuo parenti reddit. Stat interim nudus in acie, cum suis,* MAVRITIVS, *palo alligatus, melle illitus, innumeris vesparum aculeis confossus: & tamen vel sic etiam victor triumphat in paruis bestiolis maximum Tyrannum, mortemque demum obit, melle quo manabat dulciorem.* Fasti Mariani.

XXV. SEPT. S. HERCVLANVS Miles & Martyr: qui miraculis in passione B. Alexandri Episcopi ad Christum conuersus, sub Antonino Imper. post multa tormenta gladio cæsus est. Est huius S. Militis mentio in Actis S. Alexandri Episcopi, de quo Petrus in Catal. lib. 8. cap. 102. & 120. & celebratur hic Alexander diuersus ab Alexandro Papa 21. Septemb.

XXVI. SEPT. S. CALLISTRATVS & aliorum XLIX. MILITVM, qui in persequutione Diocletiani, cùm Callistratus insutus culeo, & in mare demersus, DEI ope euasisset incolumis, conuersi ad Christum, cum eo pariter Martyrium subierunt. Horum Acta habet Metaphrastes. Lipoman. Tom. 6. Surius To. 5. Legend. *Baronius* in Not.

XXVIII. SEPT. SANCTI MILITES XXX. Anonymi. Martyrol. Rom. Antiochiæ Pisidiæ Sanctorum Martyrum MARCI Pastoris ouium, *Alphii, Alexandri, & Zosimi* eius fratrum, *Niconis, Neonis, Heliodori*, & TRIGINTA MILITVM, qui ad miracula B. Marci credentes in Christum, diuersis in locis, varijsque modis Martyrio coronati sunt. De his quoque Græci in Martyrum suorum Menologio, vbi passos tradunt in persequutione Diocletiani Imperat.

. XXVIII. SEPT. S. WENCESLAVS DVX BOHEMORVM, & Martyr, Sanctitate, & miraculis gloriosus, qui Militari animositate & fortitudine claritatem adeptus, maximè Duello suscepto, vt Militum

litum sanguinis parceret, in domo fratris sui necatus victor peruenit ad palmam. Eius Vitam esse scriptam à varijs tradit *Baronius* Notis ad Martyr. Verissima habetur Ioannis Dubrauij Olomucensis Episcopi in Historia Boëmica libro 4. & 5. cui consentiunt Manu-scripti Codices & antiquissima Martyrologia, vt testatur *Bellarminus*. Libro 3. de Principe Christiano, vbi eam descriptam exhibet.

ELOGIVM
S. VVENCESLAI DVCIS BOHEMORVM.

DIsparis *educationis dispares exitus vide. Erant* VVENCESLAVS *&* BOLESLAVS *germani fratres, Boëmia vterque Dux. Sed illum auia Ludmilla sanctissima matrona, hunc monstrum mulieris Drahomira mater eduxit. Nempe, vterque mores nutricis imbibit. Fratres negares: tam iste pietatem oderat, tam ille amauerat. Ille diuina humanaque omnia susque deque habere; hic verò nudis pedibus summa hieme templa obire, & facienti Sacerdoti Minister adesse. Ostendit cœlum gratum sibi esse, hominem ijs munijs assuescere, quibus ciues sui Angeli delectarentur. Cùm enim in Radislaum moueret* VVENCESLAVS, *parcus sanguinis suorum, sed prodigus sui, hosti duellum obtulit, ensiculo breui succinctus, sed benè lorica è cilicio & Cruce armatus. Adest ille totus ferreus, hastaque ingenti & machæra timendus verùm pugnam sibi non cum homine esse, sed Angelo videt, qui perterritum ad genua* VVENCESLAI *cogit descendere. Quin Otto etiam Imperator, cùm comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi aulam* VVENCESLAVM *vidit, comitatu profecto ipsi etiam Imperatori inuidendo. Tandem, Drahomira blandis verbis ad se inuitatum, per Boleslaum in mensa obtruncat. Sed parricidium Nouercæ Matris, neque ipsa quidem Styx tulit: currum quippe vectam, cum omni comitatu (si modò Aurigam excipias, qui ære campano excitus ad Aram accurrerat) viuam absorpsit: vtique non leuem terram habituram, cui viua tam grauis fuerat.* Fasti Mariani.

XXIX. Sept. S. Michael sub Christi Imperatore supremo, tum in Ecclesia Militante, tum in Triumphante Princeps Exercitus Domini; Archistrategus, copiarum Angelicarum Ductor, Humanarum Defensor, vt demonstratum est Tomo. I. lib. III. Commentatio V. non vno tantum die, sed quolibet in Ecclesia Militante memoria ex gratitudine colendus.

ELOGIVM
S. MICHAELIS PRINCIPIS EXERCITVS DOMINI.

MICHAELEM *vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium Domitorem, Numinis ad mortales principem Legatum, horum ad cœlos Ductorem fidissimum, operumque æquissimum librependens. Tam benè itaque de se merito, Ecclesia Militans, Christiana Respublica, fidelium Vniuersitas iam olim Trophæa, Aras & Templa statuit. Nam vt Montem Garganum hic taceam, D. Ioannis Apostoli ætate Michaelis nomen, quod salutiferas in hominum vsum aquas eduxisset apud complures populos celeberri-*

mum fuit. D. etiam Autbertus sub annum Christianum DCCIX. *ita iubenti* MICHAELI *Ædem in rupe, quam mare vndique alluit, exadificauit. Imperator deinde Constantinus, cùm eius auspicijs hostes suos omnes deuicisset Gratitudinis monumentum, splendidissimum Templum posuit. Cuius exempli fuit heredes Viros deinceps principes permultos, sed nostra potissimum tempestate habuit. Vidit certè Bauaria in eam magnificentiam iuxta D.* MICHAELI *tecta exsurgere, vt aut has ædes Terra dignas, aut nullas habeat, quas Cæli Princeps, post cælum, incolat. Quamuis, si verùm loqui volumus, non tam Angeli nobiscum, quàm nos secum habitare percupiant.* Fasti Mariani.

XXX.SEPT.SS. VICTOR & VRSVS ex gloriosa Legione Thebæorum, qui primò sub Maximiano Imperatore diris supplicijs excruciati, sed cælesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris erepti, deinde in ignem missi, sed in nullo penitus læsi nouissimè gladio consummati sunt. Coluntur Solodori in Gallia. De his plenè agitur in Actis SS. Mauritij & sociorum, quæ scripsit S. *Eucherius* cap.13. & *Ado Viennensis* in Chronico Anno 188.

XXX.SEPT. S. ANTONINVS Miles ex legione Thebæorum, & Martyr, quamuis Ado Confessorem indigitet: constat enim ex Actis, occubuisse martyrio. Recitat ea *Petrus* in catal. lib. VIII. cap.133. vbi & de inuentione corporis eiusdem. Colitur Placentiæ.

OCTOBER.

I. OCTOB. ANGELVS CVSTOS. Miles Tutelaris. Bellator. Commilito. Hyperaspistes. (a) Fidelis, Fortis, Impauidus, Victoriosus.

Dux ò robore Martio
Pollens, cui Genitor me benè credidit,
Fidus praesidium Aiiti,
Tollenti patrijs sideribus caput,
Adsis rebus in arduis
Et præsens vigili præsidio regas,
Fortis sternere Tartaro
Examen tumida mente furentium,
Et Plutona domabilem
Alto deuoluens præcipitem polo.
Te vidit Polus aureo
Ardentem Clypeo: Te benè fratribus
Decertantem Acherontijs,
Augentem spolijs & Capitolium.
Tum cælum Pater abscidit
Cocyto Superis dissociabili,
Et septemplici Tænaro.
Obstrictis tacito carcere manibus.
Nobis sed tamen inuida
Pestes, & misera reliquiæ incubant,
Post Ditem patrio polo
Depulsum Furia, & Gorgones impia
Terris ira licentius
Visa, fraude mala perdere callida.
Tu si corripias gradum
Velox præsidio, cur metuam Stygas?
Votis sæpe Parens tuus
Iram ponit amans, telaque proijcit.

AN-

(a) *Ioan. Bapt. Masculus S.I.*

ANGELO COMMILITONI.

CÆLESTIS Ales matris ab vbere
Decrete Custos tempus in vltimum,
Te magnum Olympi, Te Quiritem
Sollicita Vigilem salutis

Donauit Auctor. Si trepidum polo
Debes Clientem, quid moror? euehe
Tecum coronatum virenti
Fronde comas, nitiduroquê nardo.

Tecum refregi tela Cupidinis
BELLATOR: obiecit benè paruulam
Obnixa Virtus: me nec artes
Fraudesquê mali laeuere Ditis.

Tu me per hostes prouidus expedis
Casus pauentem nullius vnicè
Omnes resident & procella
Te facilem moderante clauum.

Ergo obligato thure adolebitur
Ara, & beatam gratior hostiam
Flamen dicabe, pignus almi
Numinis arbitrio potenti.

Et voce fundens non humili DEVM
Seu liba permutem Cerealia
Siue incruente de cruore
Vina Tibi simulata ponam. (a)

ANGELO HYPERASPYSTI.

Da mihi Arge, ô Angele mi! da pennam vel vnam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ô! vnde incipiam? vbi desinam? nondum natus eram, & tamen iam latus stipabas meum ô Custos vniæ! infanti sinum, puero manum dedisti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba Fornare, & nunc Patrem in cælis, IESVM, nunc Matrem MARIAM clamare: Tu nunc Artes humaniores, nunc seueriores docuisti, O Doctor subtilissime! Tum hunc vitæ dubio viam Mercurius monstrasti, præisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium, ô quale! introduxisti, Dux fidelissimè! Sed vin' compendium tuarum laudum?

Morituro quotidie aurem vellicas, dum irati Iudicis timere vultum doces, mones præcipitia infera cauere, cæli ardua digito ostendis: ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manuducis, succumbentem portas, ægrum foues, impugnatum propugnas & Clypeo tegis O Hyperaspisten! Illud quantum est; quod nisi ego Te viuus, Tu etiam mortuum non es deserturus. O mi Arge! O Angele mi: cur, vt laudes tuas scriberem pennam è tuis vnam aliquam non dedisti? Sed eia hanc meam cape, & si placet, Crucifixo ac Cruciformi Iesu & Mariæ, cui tot annis laborauit, substerne. Vt multæ aliæ tam altiùm, certè altius nulla volauerit penna. (b)

Angele mi bone Dux Animæ, bone mentis Achates
Te sine non possum viuere, nolo mori.

Memoria siue Festum Angeli Custodis celebrabatur ante hac diuersis diebus & Mensibus, in quibusdam maximè Hispaniæ Ecclesijs Kalend. Martij, alibi, mense & die alio Paulus V. Angeli Custodis cultum ac venerationem, solemni festo, & proprio, vt vocamus, Officio honorans, diem illi addixit primam non impeditam Officio nouem

(a) *Ioan. Bapt. Masculus S. I.* (b) *Hyperaspistes, propugnator, defensor, ἀπὸ τοῦ ὑπερασπίζειν, quod est, scuto protegere Vnde Hyperaspistes dicitur, qui velut Scuto aliquem protegit.*

lectionum post Festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

II. OCTOB. S. ELEVTHERIVS MILES & MARTYR Nicomediæ, cum alijs innumeris: qui cùm Diocletiani regia incendio conflagrasset, falsò huius criminis accusati, iubente eodem sæuissimo Imperatore, aceruatim necati sunt: quorum alij gladijs obtruncabantur, & alij ignibus cremabantur, alij in mare præcipitabantur. Sed horum primus ELEVTHERIVS, cùm diu cruciatus, per singula tormenta validior redderetur Martyrium victoriæ suæ, ignibus, velut aurum examinatus, compleuit. *Martyrol. Rom. Beda*, *Vsuardus*, *Ado*, & Antiquior his Eusebius hist. lib. 8. cap. 6. Quomodo autem à Militibus Christianis exordium sumpserit Diocletiani persequutio scribit idem *lib. 8. cap.* 4.

IX. OCTOB. ABRAHAM PATRIARCHA. Martyrologium Roman. *Memoriæ S. Abrahæ Patriarchæ, & omnium Credentium Patris.* Agunt de eodem die IX. Oct. tum Latini tum Græci, qui addunt & LOTH. De Abraham, qui meritò dictus est *Pater credentium*, præter ea, quæ locupletissimè de eo scribuntur in Diuinis litteris, scribunt Iosephus lib. Antiquit. Philo Iudæus, & alij Hebræorum, Latinorum & Græcorum plurimi. Quàm autem præclarus MILES fuerit Abraham, & quàm *Sanctus Miles*, narratur Genesis XIV. vbi describitur Babylonicum bellum. Babylonij bello superarant Pentapolitas, inter quos ceperant Loth, quē Abraham liberauit cæsis Babylonijs. Victoriâ potitus gratias egit DEO: tum decimas dedit Melchisedeco Sacerdoti Altissimi, à quo accepit benedictionem. Omnia hæc spirant Militem præclarum & Sanctum. Cùm audisset Abram captum Loth filium fratris sui, *numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persequutus est hostes vsque Dan. Et diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitque eos, & persequutus est eos. Reduxitque omnem substantiam, & Loth, & Mulieres, & populum.*

Diuidit Abram exercitum suum vt peritus Imperator in quattuor turmas, vnam duxit ipse; tres alias socij, Aner, Escol, & Mambre vt omnes effugij vias hosti præcluderet: vtque à quattuor partibus eos adortus perculleret, opinantes à magno exercitu se vndique cingi, sicque somno vinoque sepultos omnes opprimeret. Animaduerte hic Abræ spiritum militarem, bellicam fortitudinem, prudentiam, vigilantiam, fidem, iustitiam: ad hæc, caritatem, amicitiam, liberalitatem, tum erga Loth, tum erga suos socios & amicos: quæ sunt dotes Ducis bellici: denique pietatem ac religionem, quam exercuit multipliciter corā Melchisedeco, vt decebat Militem DEO carum, & Sanctum. Non minorem commendationē militarem ex hoc bello reportauit Abrā, quam Rex Lacedæmonū Leonidas, quādo cum trecentis in castra Xerxis, quæ numerosissima erāt, irrumpens, non ante cædendi finem fecit, quàm fessus occumberet. Qui ad suos, *Prandete*, aiebat, *commilitones, quasi apud inferos cœnaturi.*

AD bellicam etiam virtutē Abrahami spectat, quod cùm se pararet ad prælium numerauerit expeditos vernaculos suos.

In Hebræo est;(a) expediuerit initiatos, vel instructos suos, quos scilicet iam ferrum, armaq; tractare docuerat, optimus armorũ Magister & in armis benè exercitatus, quod necessarium erat, vt peregrè inter impios & infideles habitans, contra eorum iniurias bello iusto se tueretur. Habebat enim ius belli, tanquam Princeps independens familiæ suæ numerosæ & ab alijs populis segregatæ à DEO constitutus.

GENEROSITAS fuit Ducis Militaris in Abrahamo, quam declarauit, cum dicenti Regi Sodomorum, *Da mihi animas*: id est, homines, ciues, subditos meos captiuos, quos cum Loth hostibus excussisti: *cetera tolle tibi*: reliquam prædam omnem tibi serua; respondit cum vehementia: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt: ne dicas; Ego ditaui Abram.* (b) Tam erat animi generosi Dux Abram vt non dignaretur sibi accipere, quæ Pentapolitanorum fuerant, quamuis ipse suo periculo ea ab hoste recuperasset. Hoc generositas, hoc continentia, hoc æquitas quodammodo, hoc pietas suadebat in Militari Ducis pectore. Cuius caussas Viris militaribus proponendas & perpendendas post quodlibet prælium, quando legunt spolia, suggerit præclarus Interpres. (c)

PRIMO, vt omnes viderent, eum non propter lucrum pugnasse, sed ex caritate proximi, ad liberandos captiuos. Vtinam imitentur Duces Christiani. *Secundò*, vt quia illa bona pauperibus erepta erant, ijs restituerentur potius, quàm suis bonis adiungerentur, seque ditarent. *Tertiò*, ne obnoxius fieret Regi ea offerenti. *Quartò*, vt Victoriæ gloriam non sibi, sed DEO attribueret. (d) *Quintò*, vt insignem animum terrena omnia paruipendentem impijs ostenderet, seque maius quiddam habere quàm opes, in quibus infideles omnem spem suam collocant. Quasi dicat generosus Miles: Habeo DEVM qui plus potest, quàm omnia mundi bona. *Perfecta mentis est*, inquit Antistes Mediolensis, laudans Abrahamum, *nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere. Ideò Abraham dicit*: Nihil sumã ab omnibus tuis. *Quasi contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi reijcit, quærens quæ supra mundum sunt, hoc est*, Extendere manus ad Dominũ. *Manus operaria virtus est animæ. Angusta mētes inuitētur promissis, erigātur spe artis mercedibus.* Accommodatè magis ad hodiernam Militiã interpres recentior ita commentatur: (e) *Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*: Id est, quæ tua fuerunt: sed iam mea sunt. Nam capta bello iusto, cuiuscumq; illa fuerunt fiunt Victoris, lege non naturali, sed positiua multarum gentium. Quam in Hispaniâ seruari docet Abulensis & Couarruuias. Eandem in Belgio obtinere nonnulli dicunt: vt nimirum præda ab hoste abacta, & hosti rursùm excussa cedat excussori, modò illa spacio XXIV. horarum fuerit in manu hostium. Sed Abraham præscriptum continentiæ, æquitatis, caritatisque sequebatur, & legem naturæ respiciebat.

(a) ירקהוניב *iarec chanichaf.* (b) *Genes. xiv. 22.* (c) *Cornel. Gen. xiv.* (d) *S. Ambros. lib. de Abrah.* (e) *Perer. in Genes.*

ELOGIVM
ABRAHÆ PATRIARCHÆ.

ABRAHAM *magnus Pater multitudinis Gentium. Et non est inuentus similis illi in gloria. Qui conseruauit legem excelsi: & fuit in testamento cum illo. In carne eius fecit stare testamentum. Et in tentatione inuentus est fidelis. Ideò iureiurādo dedit illi gloriam in gente suâ: crescere illum, quasi terræ cumulum. Et, vt stellas exaltare semen eius, & hæreditare illos à mare vsq; ad mare: & à flumine vsq; ad terminos terræ.* Ecclesiast. XLIV. 20. 21. 22. 23.

ABRAHAM *Pater fidei. Princeps familiæ Gentium* (fuit enim Abraham ante Circumcisionem Gentilis (*& Generationis Domini. Pater electionis, piæ confessionis : per iustitiam fidei factus Mundi heres:* FORTISSIMVS *ac patientissimus. Fons deuotionis, & fidei.* VIRTVTVM *omnium* EXEMPLAR. *Qui propter fidem seminarium posteritatis suæ toto orbe diffudit.* Ex S. Ambrosio lib. de Abraham, & in Psal. 118.

Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni. Et deficiens, mortuus est in senectute bona (*mature, tempore suo, quoad ætatem & gratiam*) plenus dierum (*viuendi satur*, Hebr. *& cupiens dissolui*) prouectæ ætatis: congregatusque est ad populum suum. (*A statu viuentium hic inter mortales transiuit ad statum Patrum degentium in altera vita:* seu, *ad societatem Iustorum.*) Genesis XXV. Vide, quæ de Abrahamo, vt Duce Militari dissero Tom. 2. lib. 5. Commentatione 1. quæ est de Abraham pugnante cum suis vernaculis CCC. XVIII.

X. OCTOB. S. GEREON cum socijs Trecentis, Decem & Octo Militibus Coloniæ Agrippinæ, qui in persequutione Maximiani pro vera pietate gladijs patienter colla subdiderunt.

S. VICTOR, & Socij Milites Martyres in territorio eiusdem Vrbis.

SANCTI CASSIVS & FLORENTIVS, cum alijs plurimis Militibus. Bonnæ.

Vt horum aliorumq́, Sanctorum Militum, quos deinde nominabo, habeatur notitia, præmitto historiam, quam scripsisse dicitur Helmandus, celebris & fide dignus eius æui auctor. Maximianus coadunato exercitu, permixta fideliū Christianorum & infidelium societate, festinus Alpium iuga transgrediens Galliæ appropinquabat, soloque aduentu suo Amando & Æliano rebellium Ducibus perterritis, seditionis illius tempestatem, sine exercitus sui detrimento sedauit. Cùm autem intellexisset, Carausium qui Procurator constitutus erat Prouinciæ iuxta Oceanum vbi Franci ad rebellionem proni consederant, nouas turbas excitare, misit illuc per Rheni alueum sui exercitus partē, cuius militari virtute dissiparentur rebelles, vel opprimerētur. Duces præcipui fuerunt GEREON, VICTOR CASSIVS & FLORENTIVS, quos selecta Militū Christianorū manus sequebatur.

INTERIA Maximianus erecto iuxta radices Alpium Zeli Idolo, præcepit, vt omnes exercitus viritim adoratione & sacrificijs Numen illud propitium redderet. Renuit Mauritius cum Thebæa legione, cuius Dux erat: vnde post iteratam decimationem omnes morti adiudicati sunt, quam constanter subierunt apud

Agaunum. Progressi deinde feralis decreti nuncij & exequutores, *Cassium & Florentium*, cum septem alijs similis constantiæ Militibus, repererunt iuxta Veronam (substitue *Bonnam*) ciuitatem, in ripa Rheni considentes, alios que cum ijs quam plurimos eiusdem agminis, sed non eiusdem fidei satellites. examinantur illi, fatentur se Christianos, Dei veri, non idolorum cultores. Itaque extempla Cassius & Florentius cum Socijs eiusdem fidei mactantur. Præcesserat aliquantulum Gereon cum sibi ac Christo fidis, *Trecentis decem & octo*, qui antè subsequentes carnifices progressi in campis Agrippinæ vrbis, sese inuicem instigantes ad Martyrij decus, præstolabantur percussores, qui nunciantes quod in mandatis habebant, vt & Christum abiurarent, & Dijs se subderent, quod Sacrificio testarentur, cùm nihil impetrarent blanditijs aut minis, Gereoni Socios animante, vitam illis extorquere potuerunt, non fidem Christo datam: itaque omnes vt spontaneæ victimæ mactati sunt: corporibus in profundissimum puteum, cuius superest vestigium proiectis.

Hæc dum agerentur, cohors illa, quæ Victorem comitabatur, ad locum cui destinata erat, properans, peruenit ad oppidum Francorum, quod ex Maiorum suorum sede, Troiam & Xanthum nuncupabant, ibiq; consistens cùm aliquamdiu in pratis virentibus moratur, ecce tibi Satellites ad carnificinam Christianorum Militum missi adueniunt: mandatum proferunt, vel moriendum, vel idolo sacrificandum. Prius elegit generosissimus *Victor* cum suis *Trecentis triginta*: quorum post interfectionem, corpora in locis palustribus submerserunt immanitatis ministri. Qui tandem optatis ditati spolijs (nam Carausius Hostis in Britanniam fugerat) per viam quâ venerant, læti pro scelere redierunt. Sed vnde

S. Gregorius Maurus? Erat is Dux Militum Cæsareanorum, quos Imperator de Mauritaniâ finitimisque regionibus collectos miserat in Gallias, & vlterius ad Rhenum cum superioribus propter frequentes ab illa parte Imperij hostes & Gallorum Francorumque tumultus coërcendos. Numerabantur autem *Mauri* Milites Christiani *Trecenti quinquaginta*, omnes cum Gregorio Ductore suo Martyrio coronati circa Annum Domini 297. sedente Marcellino Papa. Legatur Baronius Tom. 2. *Annal.* & *Notis* ad Martyrol. vbi multos nominat Auctores Militum illorum præcones, quibus addatur recentissimus, & in Historia sacra profanaque benè versatus *Ægidius Gelenius*; ex quo ista, libro tertio de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine, Syntagmate secundo.

In Ecclesiâ S. Gereonis eminent duo sarcophagi argentei, auro & gemmis ornati, longitudine ferè hominem æquantes. Primus continet S. Gereonem ccc.xviii. *Popularium suorum ex Thebaide Ægypti regione in Romanum Militiam adscriptorum Ducem. Alter claudit* S. Gregorium Maurum ccc.lx. *Militum popularium suorum eodem Tempore in Romanis castris stipendia merentium Ducem. Qui pro stipendijs variis seculi meruerunt præmia æterna, purpureâ chlamyde vestiti, & corona Martyrij redimiti in cœlo. Nam cùm Maximinus Herculeus Diocletiani seu ipse fautor in Imperio Collega, non aliter ad Dæmonum cultum propensus, quam Herculius lapis ad Aquilo-*

nem (vbi Satan regni sedem collocare ab olim intendit) cùm in quã, iste cognomento Herculius in Gallias Bagandarũ (nunc Aduocatiæ, seu Vogteij infra Kempenam populũ) tumultis turbatas, pacaturus ex Italia cum exercitu properaret, in Alpium descensu loco, qui Agaunum (nunc S. Moritz nuncupatur, iuxta Rhodanum in Valesia, Legionem Dij sacrificare recusantem morti addixit; & mox alias toto secundum Rhenum & Mosellam itinere, singulis penè castris simili caussâ obtruncandos curauit. Inter hos verò CASSIVM, FLORENTIVM, & MALLVSIVM *Bonnæ.* IVLIVM, *vti videtur, Gelduba, Gelb, propè Orteeniỹ castra (Ordingam)* VICTOREM *Veteribus, nunc Sanctis:* GEREONEM & GREGORIVM *Coloniæ peremit: in quorum memoriam Fl. Helena Augusta Regale templum extruxit, magno in Diuos Thebæos & Mauros Milites affectu pietatis. Monumentum quod* GREGORII *lipsana texit hos habet inscriptos versus.*

Princeps Maurorum GREGORIVS *alta polorum.*
Scandens ad mortem dat secũ suam q; cohortem.

In hac tumbâ conditum est corpus S. GREGORII Principis & Martyris.

Plura habet Sacrarium Coloniense.

XIX. OCTOB. VARVS *Miles Ægyptius*, qui sub Maximino Imper. dum Sanctos septem Monachos in carcere detentos visitarent, atq; reficerent, vno ex ipsis defuncto in eius locum subrogari voluit, & cum illis sæuissima passus, Martyrij palmam adeptus est. *Martyrol. Rom. Menolog. Græcor. Lipoman.* Tomo 6. *Surius* Tomo 5.

ELOGIVM

S. VARI MILITIS ÆGYPTII.

VIDIT & *persæpe laudauit Ægyptus* VARI *Militis virtutem; sed nunquam magis, quàm cùm in ipsum Imperatorem suum Maximianum, Maximinum alij, pugnauit sine perfidia, quia pro fide. Pugnandi verò occasio hæc fuit. Septemgemini Martyres è vinculis libertatem Christianam propugnabant. His dum* VARVS *inseruit ecce vni ex eorum numero cælum beata morte vacationem à Militia donat. Sed ne numero suo fortissima cohors destitueretur, vltrò* VARVS *in demortui stationem succedit. Mox Christiana fortitudinis ingentia documenta contra equuleum, scorpiones, & plumbatas edit : nec prius à pugna, quàm Mortuus & Victor abit: via ingenti, & fortissima anima per nouaculã discussum ventrem facta: Corpus Martyris sepultum in Canibus volebat Tyrannus. Sed Cleopatra nobilis matrona secum hoc in Palæstinam auexit, toto templo, quod illi posteà extruxit, tumulandum. Finem vbi ædificandi fecit, ausa mercedem à Martyrè sperare, induxit in templum filium, petijtq; optima quaque illi.* VARVS *à* DEO *impetraret. Mox alia omnia, quàm orasset fieri putauit, cùm mori filium sub oculis suis vidit. Tunc verò lachrymis mater & singultibus cælum accusare:* VARVM *ingratitudinis notare. Sed hic vna cum filio multa gloria vestito & coronato visus Cleopatra, docuit nihil petere filijs matres, nihil dare cælum posse beatius, quàm mortem beatam.*

XX. OCTOB. ARTEMIVS *Dux Augustalis*, qui sub Constantino Magno præclaris Militiæ honoribus functus à Iuliano Apostata, quem sæuitiæ in Christianos

nos arguerat, fustibus cædi, alijsque tormentis affligi, ac demum capite truncari est iussus. *Martyrol. Roman. Menolog. Græcor.* Acta descripta a *Metaphraste* recitat *Lipoman.* Tom. 6. *Surius* Tom. 5. Eius meminit Ammian. Marcellinus lib. 22. *Theodoretus* histor. lib. 3. cap. 17. *Nicephor.* lib. 10. cap. 33. Dictus est *Dux Augustalis* aliàs *Præfectus Augustalis*, à Præfectura, quæ fuit amplissimæ dignitatis Magistratus vt qui sex prouincijs Ægyptiis diceret. De qua ex Dione lib. 51. & Tacito lib. 2. Annal. quæ dam scitu digna adfert Baronius Notis ad Martyrol.

XXI. Octob. SS. Dasius, Zoticus, Caius, & alij XII. Milites, qui post diuersa tormenta in mare demersi sunt. Coluntur Nicomediæ. Legabatur olim mendosè *Duodecim millium*, sed germana Lectio *Duo decim Militum* ex antiquis Manuscrip. restituta est. Videndus *Beda*, *Vsuard. Ado*, *Baronius* Not. Mart.

XXII. Octob. Heraclius Martyrol. Rom. Sanctorum Martyrum Alexandri Episcopi Heraclii Militis & Sociorum. Quæ nomina sunt etiam apud Græcos in Menologio.

XXV. Octob SS. Milites *Quadraginta sex*, qui Romæ simul baptizati à Dionysio Papa, mox iubente Claudio Imperatore decollati sunt, & in via Salaria sepulti. De quibus *Beda*, Vsuardus, Ado, & recentiores alij, ex Actis S. Laurentij, in quibus eorum Martyrij res gestæ descriptæ habentur.

XXV. Octob. SS. Theodosius, Lucius, Marcus, Petrus. Martyrol. Rom. In via Salaria cum superius nominatis Martyres Centum viginti, & vnus positi sunt, in quorum numero fuerunt Quatuor isti Milites, *Theodorus, Lucius, Marcus*, & *Petrus*.

XXV. Octob. S. Minias *Miles*. Cuius passio Florentiæ recolitur, vbi sub Decio Principe pro fide Christi egregiè certans, nobili martyrio est coronatus. Eius Acta ex antiquis tabulis descripsit Surius To. 5. Antoninus 1. p. tit. 7. cap. 8. Petrus in Catalogo lib. 9. cap. 108. De translatione Reliquiarum illius in Gallias, tempore Ottonis Imper. meminit Sigebertus in Chronico Anno Domini 969.

XXVII. Octob. S. Elesbaan Æthiops Rex bellicosus, & Miles fortunatus, qui Christi hostibus expugnatis, misso regio diademate Ierosolymam tempore Iustini Imperatoris, monasticam vitam, vt vouerat, agens, migrauit ad Dominum. Habentur eius Militaria facinora, & rei gestæ in Actis S. Aretæ Martyris apud Metaphrasten 24. Octob. De eodem Nicephorus histor lib. 17. cap. 6. & Cedren. anno 5. Iustini Imper.

ELOGIVM S. ELESBAAN REGIS ÆTHIOPVM.

NON erubescant Reges in Regem Elesbaanum intueri, & ex eius vultu, Æthiopis licet, mores tamen suos componere. Bellum illi graue erat cum Rege altero Dunaana Iudaicæ superstitioni addicto. Caussæ Deo fidens, purpuram quidem pugnaturus exuit: cæterum, ingentes animos induit: quos maiores etiam Anachoretes nescio quis illi fecit, cùm ve-

sibi DD. Martyrum præsidia (optimas vtique Auxiliares Copias) accesseret, persuasit. His fretus cum in aciem descendisset, etsi initio laborare hic videretur pugnâ tamen ad extremum vicit, auspicatissimo D. GABRIELIS nomine, velut Militari tesserâ, tertiò in aere conclamato. Adhæc, Superi Auxiliares Dunaanum hostem ita delusêre, vt veluti fascinatus, catenâ aurea, & se & amicos illigatos ELESBAANO obijceret. Quos quidem Victoria hic Sacrificaturus, eodem ferro omnes immolauit. Sed nunc Triumphum specta Miles Christiane, Hunc ecce, Triumphali Coronâ Ierosolymam missa. ELESBAANVS Triumphator saccum non Togam palmatam indutus, & solus obscurâ nocte in montem proximum ducit: Casam non Capitolium subit, Vota Victor vouet, nunquam inde egrediendi. Iamq; triumphales epulas pane nudo, herbis, ac fontana continuat: nulli hominum visus, vni sibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos Triumphos ait Romulus. Sed sic Triumphanti Militi Sancto cælum applausit. Ex Metaphr. Fasti Mariani.

XXX. OCTOB. MARCELLVS CENTVRIO, qui Tingi in Mauritaniâ capitis abscissione Martyrium compleuit, sub Agricolao agente vices Præf. ctî Prætorio. Extant eius Martyrij Acta publica à Notarijs excepta. Descripsit eadem Surius To. 5. Eius certamen & corona præclarè canuntur Hymno sacro in Breuiario Toletano. Fuit MARCELLVS pater filiorum XII. quos omnes fuisse MILITES est verosimile: & quoniam omnes pari triumpho dignati, parem patri assequuti sunt Coronam Martyrij, hinc crescit numerus Militum Sanctorum in nostro hoc catalogo. De his omnibus agitur in Breuiario Eborensi, & in Chronico Hisp. Vasæi, qui de Marcello loquens, passum dicit Fausto iterum & Gallo Coss. qui est Annus à Christo ducentesimus nonagesimus octauus. Legendus Baronius To. 2. Annal.

XXX. OCTOB. SS. CLAVDIVS, LVPERCVS, & VICTORIVS, filij S. MARCELLI *Centurionis* quos fuisse Milites dubitare haud possum. Coluntur Legione in Hispania. Hi in persequutione Diocletiani & Maximiani sub Digniano Præside iussi sunt decollari. Singulorum nomina leguntur apud Vasæum in Chronico Hispan. & in Flore Sanctor. Hispan. itemque in Thesauro Concion. Tom. 2.

XXXI. OCTOB. S. OLYMPIVS *Tribunus*, Martyrol. Roman. *Corpora B. Nemesij Diaconi & Lucillæ Virginis filiæ, à B. Stephano Papa Romæ sepulta, deinde à B. Sixto via Appia honestius hac die tumulata, Gregorius V. in Diaconiam, S. MARIÆ Nouæ transtulit, vnà cum Sanctis, Symphronio, OLYMPIO TRIBVNO, Exuperia eius vxore, & Theodulo filio. Qui omnes Symphronij opera conuersi, & ab eodem S. Stephano baptizati, Martyrio coronati fuerunt.* De his Martyribus agitur in Actis S. Stephani Papæ & Martyris apud Surium Tom. 4. die 2. Augusti. & Martyrol. Rom. 26. Iulij.

NOVEMBER.

IX. NOVEMB. THEODORVS TYRO Amaseæ in Ponto *Miles*, *tempore Maximiani Imperatoris pro Christiana fidei confessione fortiter cæsus, & in carcerem trusus, deinde, Domino sibi apparente, ac monente, vt confi-*

Haec

constanter & viriliter ageret, relegatus est: nouissimè, postquam equuleo suspensus, & vngulis corrasus est, ita, vt eius interiora nuda apparerent, ardentibus ignibus comburendus traditur. Cuius laudes S. Gregorius Nyssenus praeclaro encomio celebrauit. Graeci XIII. Kal. Mart. siue XVII. Febr. in Menologio Theodorum colunt; & in constitut. Emmanuel. Imp. Diciturque ab ijs Theodorus Tyro, ad differentiam Theodori Ducis. Appellatus est & Amasenus, ob locum vbi passus est. Dicitur quoque Euchaita, à ciuitate, in quam eius corpus translatum: quae ab eodem postea nominata est Theodoropolis à Ioanne Zimisca Imp. qui ob ingentem victoriam eius precibus habitam, eidem amplissimam erexit basilicam, annuamque celebritatem auxit, vt scribit Zonaras 3. par. Annal. in Ioan. Imper. & Cedren. in Comp. in eod. De celebratione eius diei festi habetur in Actis S. Alipij Cionitae cap. 7. ex Metaphraste die XXVI. Nouemb. Tom. 6.

Sancti huius Theodori res gestas ac praeclarum Martyrium descripsit Metaph. die 17. Febr. vbi etiam recitantur duae orationes in eius laudem, quarum altera dicta est à Gregorio Nysseno, altera à Nectario Episcopo Constantinopolitano: Constantinopoli enim percelebris fuit eiusdem Martyris cultus, vbi basilicam vetustate pene collapsam Iustinianus Imperator restituendam curauit, vt scribit Procopius lib. 1. de aedif. Iustin. Imp. De eadem in Auth. vt determ. sit num. Cler. Coll. 1. tit. 3. Romae etiam adhuc Palatini radices, quae inter Diaconas numerata fuit. De nobili memoria Theodori Martyris apud Damascum posita meminit S. Ioannes Damascenus Orat. 3. de Imag. vbi & de miraculo ex Imagine eiusdem Martyris agitur. Erat olim celebris peregrinatio in Oriente Euchaitam ad S. Theodorum, de qua Pratum spirituale capite 180. Legendus *Matthaeus Raderus in Viridario SS. Par. 1. à pagina 178.*

ELOGIVM
THEODORI MILITIS & MARTYRIS.

Theodorvs cùm *Sacramentum, quod* Christo *dederat Marti negasset, post fustuarium, ratiuulae impositus pice, ac sulphure perfunditur. Sed cùm crudelitate hac tellus commota è sinu aquas, quae rogum extinguerent, effudisset,* Theodorvs *incolumis ad Marti deuotos prouocauit: iret ex omnibus vnus aliquis in rogum, Deumque suum etiam ipse probaret. Illi causa diffisi rem ad sacrificulos reiecerunt. Ex his etiam Dioscorus adductus palam Iouis patrocinium respuit, suasitque, ipse è flammis causam ducere Iupiter iuberetur, si diem ei dictum, se ex fano, obtorto collo ad luduces ignes rapturum, caeloque pulcherrimo, quod nunquam fecisset, sacrificio ipsum Iouem immolaturum: probaret ille fulmine se* Devm, *pictosque suos ignes, & vna bos in caput sacrificantis, si posset, congereret. Indoluit Iouem ludos fieri Proconsul. & Dioscorum iam Christianum flammis,* Theodorvm *verò quadrigis raptandum dedit. Hic verò abeuntibus in praecipitium equis, alio è caelo curru triumphans in praetorium venit. In succensam exinde cum Militibus, quibus haec miracula fidem fecerant, fornacem coniectus, altero mane loquus reperitur Philippa Matri, quae triennio ante captiua abducta, ad preces filij per Angelum tum erat reducta. Aduolat igitur Tyrannus, Milites basi à*

transfigit, Matrem capite multat, THEODORVM *ipsum in Crucem agit. Sed ille post tot victorias, non petiisset aliud Trophaeum.* Fasti Mariani.

XI.NOVEMB.S.MENNAS *Miles Ægyptius*, cuius insignis fuit passio Cotyces in Phrygia tempore persequutionis Diocletiani. Postquam enim abiecto Militiae cingulo, meruit Regi caelesti secreta conuersatione in Eremo militare, procedens in publicum, & se Christianum libera voce proclamans, primo diris cruciatibus examinatus, nouissimè fixis in oratione genibus, Domino IESV Christo gratias agens, gladio caesus est, ac multis post mortem miraculis claruit.

Acta eius à Metaphraste conscripta habet Lipomanus To. v & Surius To. vi. ibique extat praeclarum de eo encomium conscriptum à Timotheo Alexandrino, vbi plura de eius miraculis. De peregrinatione ad sepulchrum S. MENNÆ mentio habetur in vita S. Apollinaris Virg. apud Metaphr. quinta die Ianuarij.

AMBIGITVR, An hic S. MENNAS sit alius ab eo, qui colitur X. Decemb. vbi in Martyrol. Rom. *Alexandriae Sanctorum Martyrum* MENNÆ, HERMOGENIS, & EVGRAPHI, qui sub Maximiano passi sunt. Nonnulli hunc *Mennam*, illum esse dicunt. Huius autem corpus translatum est Constantinopolim: in cuius honorem Iustinianus Imper. basilicam excitauit, vt Procopius de Ædificijs Iustiniani lib. I. testatur. Sed alia planè sunt Acta illius & huius, vt manifestum est.

ELOGIVM

S. MENNÆ MILITIS MARTYRIS.

MENNAM *Maximinus Antiochiae praefecit suis, vt quidem putabat, actis, reuerà Christianis addictum. Erant sibi tamen Imperator: neq; Respublica vnquam melius illic stetit, quàm cùm Christianis ius Christianus Proconsul diceret; & alios verbis alias miraculis, omnes vitae exemplo ad Christum traheret. Id. vbi aliquanto serius resciuit Maximinus, qui rem Deorum restitueret, Hermogenem misit, Hic de loco ac munere* MENNAM, *sed non perinde de constantia deiecit, vt qui reiecta fede à pedibus carne, in sententia tamen perstitit, neque post erutos oculos, linguamq;, vel à via virtutis excessit, vel clamare animo Christum destitit. Quin cùm sub noctem medicinam membris omnibus ipse Christus fecisset, & Angeli palam se Martyri iunxissent, assotiare etiam se Hermogenes non dubitauit pulchra metamorphosi, ex Tyranno Episcopus Vrbis factus. Tot damnis mactatus Imperator ipse adsit, vtrosq; & se vlturus, Hermogenis manus pedesq; auferri, cremariq;, ipsum ventre discisso, aquis mergi,* MENNAM *verò ex arbore, ex* MENNÆ *pede saxum suspendi iussit, nobile anathema. Sed ecce mortem aiunt vterq;, sed & postridie Maximinum triumpharunt capite truncati. Ossa quoque tum bâ ferrea condita & in marca abiecta naata Angeli Byzantium deportarunt à loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc quiescunt, qui duriter olim vixerunt.* Fasti Mariani.

IX.NOVEMB. SS. MILITES à S. Theodoro conuersi, & cum eo Martyrio affecti

fecti Cùm S. Theodorus ad ferocium equorum pedes religatus atque ad carpentū restrictus susque dèque raptatus, nec tamen læsus fuisset, qui ad stabant Milites magna simul fide & voce exclamarunt: Magnus Devs Christianorum. Quod Præses audiens, & S. Theodorum & Milites qui crediderant in custodiam dedit, fornacemque incendi præcepit, in quem omnes coniecti sunt. Sed mox cælesti, qui descendebat in incendium rore perfusi, inter se familiariter cœperunt colloqui. Et adfuit mox B. Philippa Theodori mater, quæ viso filio lætabunda eum complexa vnà cum Militibus consalutauit. Postridie Præses cubitu mane surgens; Ego, inquit, nec ossa quidem reliqua puto de Theodoro & 155 Militibus, qui cum illo in rogum heri coniecti sunt.

Quæ dum Præses dicit adest à fornace qui nunciat, Theodoro precante flammam extinctam esse, matremque eius aliunde repentè apparentem fornacem ingressam esse, vbi velut in thalamo confidentes familiariter inter se de Deo suo loquantur. Attonitus hoc nuncio Præses ad rogum aduolat, matremque inde euocat, &: An tu, inquit, esse Theodori mater? & illa: Ego verò, inquit, sum. Fac, inquit Præses, vt filius tuus Dijs sacrificet, ne & malus ille malè pereat, & tu orba relinquaris. Tum Philippa: Filius meus abs te in Crucem actus, Hostiam verò Domino meo Iesv Christo Deo verò immolabit: Et Præses: quando ergo tute genus supplicij filio reperisti, illud ille experietur: extemploque præcepit S. *Theodorum* de Cruce suspendi, *Milites* verò lanceis transuerberari, Matri denique caput à ceruicibus amputari. Ita pariter omnes laureis Martyrij sunt insigniti. S. autem *Theodorus* clauis Cruci affixus toto triduo suspensus vixit: tandemque ex Cruce ad Dominum profectus est: Cuius sacra lipsana vnguentis delibuta, & linteis inuoluta honesto in loco sunt condita. *Ex Menæis Græcor.*

XV. Novem. S. Leopoldvs Marchio Austriæ. Non vereor Leopoldvm hic locare inter Sanctos Milites, cùm reuera Gladium portauerit vt Princeps: & nō sine caussà, vt illum exerceret contra malos, & eodem, quod est Militaris Principis, quamuis maximè Pacifici, defenderet bonos, ad vtrumque paratus. Hæc laus est Leopoldi, de quo vitæ Scriptor. *In iure dicundo seruabat æqualitatem temperatam misericordia, suosque in pace, concordia & rerum humanæ vitæ necessariarum copia conseruabat. Virtute præditos honorabat & præmijs decorabat: inquietos & insolentes frenabat, aut suis ditionibus exigebat.* Quod non fit commode rebelles, nisi animo & manu militari.

ELOGIVM

S. LEOPOLDI MARCHIONIS AVSTRIÆ.

Leopoldvs *ob insignem Pietatem cognomento* Pivs, *Sextus Austriæ Marchio, filius Leopoldi Pulchri, iisdem Austriæ Marchionis; Principis Illustrissimi & Præpotentis soboles, ab infantia cum lacte nutricis hausisse Pietatem visus, quantum ætate, tantum virtutibus etiam proficiebat. Erat admodum com-*

positus, pudicus, comis & grauis, vanitatis omnis inimicus. In ætate iuuenili, vitiorum iuuenilium expers. Et quamuis tantus esset Dinasta, tamen medias inter delicias, atque diuitias, erat nitidissimum temperantiæ, pudicitiæ ac modestiæ Speculum. Mortuo Marchione patre, LEOPOLDVS primogenitus successit in regimine. Vnde fuit et occasio magis etiam suam exerendi virtutes, præclarasque dotes quas eius in pectore DIVS concluserat.

MAGNO illi præsidio fuit in virtutum studio & exercitio vxor eius AGNES, Henrici IV. Imperatoris filia, Princeps piissima, è quâ octodecim omninò liberos suscepit: decem fœminas & octo mares. Quamuis autem tot esset fœcunda prolibus, tamen in suo statu præclarum fuit castitatis exemplum; tamque feruens, vt quamuis Leopoldus maritus eius, con[...]ito ad omnē virtutem, pietatemque gradu contenderet, currenti tamen etiam cal[c]aria admoueret. Annis omninò quadraginta Marchionatum suum gubernauit, magna diuinæ gloriæ amplificatione, Ecclesiæ emolumento, suorum subditorum commodo, & suomet honore. Denique, vt vixit, ita sanctè quoque decessit, Anno P.C.N. CIↃ C.XXXVI. Innocentio II. Summo Pontifice, qui præclaram sanctimoniam eius, æstimauit, & laudauit. Multis cum Dominus miraculis illustrauit: complures energumeni liberati, cæci illuminati: surdi, claudi, muti, ægri curati, multæ puerperæ partu laborantes adiutæ: multi denique mortui ad vitam reuocati.

Flos Sanctorum Petri Ribadineiræ.

ELOGIVM
LEOPOLDI PII. IVSTI. SANCTI.

LEOPOLDVS Leopoldo Pulchro Marchione Austriæ, & Itba Henrici Imperatoris filia natus, iam tum ab incunabulis cælum intueri, terræ sordes horrere, innocentiam colere, litteras tractare, omnesque regias virtutes (inter quas est Militaris) exercere cœpit; vt à prima adolescentia pulcherrimum à Pietate cognomentum, quod nunquam postea exuit, mutuaretur, PIVS que vulgo diceretur. Et paullo post, duo potissimum gratum DEO Principem reddidere: Effusa benignitas in miseros, & summa Religio in DEVM, quam publicis cœnobijs iisque amplissimis condendis maximè demonstrauit, vt essent (quemadmodum in dotis assignatæ tabulis ipse refert) qui dum ipse tractandâ Republicâ, negotiisque politicis distringeretur, & rem diuinam pro dignitate votis ac desiderijs non posset obire, DEI interim laudes diu noctuque celebrarent, suamque apud DEVM quodammodo vicem fungerentur. Matthæus. Raderus in Bauaria sancta Volum.3.

Martyrologium Romanum XV. Nou. In Austria S. LEOPOLDI eiusdem Prouinciæ Marchionis, quem Innocentius VIII. Sanctorum numero adscripsit. In Mausolæo legitur hæc epigraphe.

Austriaco Princeps fueram LEOPOLDVS in orbe,
Iustitia populos & Pietate regens.

Plurimi vitam illius, & res gestas scripserunt, qui nominantur in Flore Sanctorum. Præcipui sunt, Æneas Sylvius, Hist. de Principatu Austriæ, Franciscus Patauus apud

Surium To. 7. *Cuspinianus* in Austriæ Marchionatu par. 2. *Auentinus* lib. 6. *Manlius* in SS recent, quique carmina collegit in eundem Diuum composita *Palæmannus*.

XVIII. Nov. S. HESYCHIVS ANTIOCHENVS, qui cùm esset MILES, & præceptum audisset, vt quisquis non sacrificaret Idolis Cingulum Militiæ deponeret, repentè cingulum soluit. Ob quam caussam ligato in dexterâ eius ingenti saxo in fluuium præcipitari iussus est. *Martyrol. Rom. Beda, Vsuardus, Ado.* & *Petrus* in Catalogo lib. 10. cap. 76.

XIX. Nov. AZAS & SOCII centum quinquaginta MILITES in Isauria sub Diocletiano Imperatore & Aquilino Tribuno, *Martyrol. Rom. Menologium* Græcorum qui copiosius eorum Martyrij Acta referunt.

XX. Nov. SS. OCTAVIVS, SOLVTOR, ADVENTOR, Thebanæ legionis Milites, qui sub Maximiano Imperatore egregiè decertantes Martyrio coronati sunt. Coluntur Taurini, cuius Episcopus S. Maximus de ijs scripsit Sermonem, qui tribuitur etiam S. Ambrosio. Acta eorum Manuscripta se accepisse ab Ecclesia Taurinensi testatur *Baronius in Notis ad Martyrol. Rom.*

XXV. Nov. S. MERCVRIVS Miles *Cæsariensis* in Cappadociâ, qui custodientis se Angeli patrocinio, & barbaros vicit, & Decij sæuitiam superauit, multisq; auctus tormentorum trophæis Martyrio coronatus migrauit in cælum, *Martyrolog. Rom. Menolog. Græcorum*: in quo eius res gestæ paucis describuntur. Acta eius à Metaphraste fusius descripta extant apud Lipomanum To. 5. & Surium To. 6. De eo præterea agit Petrus in Catalogo lib. 10. cap. 106. De his autem quæ à S. Mercurio in Iulianum Apostatam gesta sunt agit Sozomenus lib. 6. cap. 2. licet nomen eius non exprimat. Eadem commemorat S. Ioann. Damascenus oratione 1. de imag. item Vita S. Basilij, ac Nicephorus lib. 10. cap. 34. & 35.

ELOGIVM

S. MERCVRII MILITIS CÆSARIENSIS.

AVDETE MILITES. *Non excludit Vos cælum, si quam alij vim, etiam huic faciu. Fecit* MERCVRIVS *Sanctus Miles, qui malè Decio primò, sed benè post Christo militauit. Cùm enim in ipsa acie de Angeli sui Tutelaris manu Gladium accepisset, quo hostium bene magnam partem trucidauerat, non moratus est deinceps sub illo mereri, qui optimum stipendium, certam victoriam numeraret. Quam ille etiam contra Decium reportauit. Quid enim Superi? quattuor palis alligatus distractusque, abstrahi tamen ad Tyranni partes non potuit. Suspensum è capite saxum ipse pedes suspensus, velut fascem suum generosus* MILES *portauit. Sed neque ignes horruit, & plagas pro Christo etiam auersas aduersas putauit. Exiliū, velut missionem accepit. Caput speculatori, velut Imperatori coronandum prorexit. Illud imprimis memorabile, quod* MERCVRII *operâ, etiam cùm in cælo iam ageret,* VIRGO MATER *sit vsa. Nam aiunt D.* *Basi-*

Basilium ante VIRGINIS *effigium Iuliani impietatem accusasse: Hanc capitis in Tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse suum* MILITEM MERCVRIVM, *à quo ille confessus, haustum è vulnere cruorem, cùm hac impia voce in cælum eiaculatus sit:* Vicisti Galilæe: *rem omnem ab absente tunc Martyrij hasta, & postridie cruenta proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicaqit quæ semper* MATER *audit, etiam nonnunquam eam Iudicem esse.* Fasti Mariani.

XXIV. NOVEM. S. NICOLAVS Miles mirè castus: & ex Milite Monachus. Hic Nicephori Imperio conditione Miles erat. Imperatore expeditionem in Bulgaros adornante, & hic cum exercitu est profectus: ac circa solis occasum, in cauponam publicam diuertit, & cum hospite cœnauit. Fusis (post cœnam de more) precibus, se ad somnum composuit; circaque secundam aut tertiam noctis vigiliam, cauponis filia telo Cupidinis saucia Virum iustum pungere, & ad stuprum solicitare cæpit. At Sanctus Miles ad eam: Apage, inquit mulier cum nefarijs & odiosissimis tuis amoribus, nec virginitatis tuæ florem corrumpe, nec me infelicem inquina, ne ambo in Orci chaos præcipites agamur. Recessit ad momentum illa, & mox denuo viro optimo molestam grauiter increpitam à se amandauit. Sed percita amoris æstro repedauit ad eundem immobilis constantiæ Militem.

Qui tandem incitatior: infelix, inquit, effronsque & impudens lamia omnis oblita pudoris, ac cooperta flagitijs, non vides te à cacodæmonibus agitari, impellique vt animam in exitium trahant tuá, pudorem extorqueant, ac te omnibus totique familiæ tuæ, ludibrio, dedecorique & contumeliæ prostituant? Non intelligis & me postremissimum nunc ad gentem barbaram, bellique turbinem, solo DEI præsidio fretum properare, & quomodo corpus inquinabo ad arma abiturus? Hæc & his plura cum dixisset, illam abegit, cubituque surgens, votis persolutis, viam est ingressus.

Sequenti porro nocte conspitus, videt se ad amæna quædam tempe deductum, iuxtaque se Principem, pede dextro supra sinistrum imposito considentem, à quo in hæc verba compellabatur. Vides vtriusque partis exercitus? Næ ego video, ait, Domine, Bulgaros à Romanis cædi. Et is, qui apparuerat ad Militem Nicolaum. Ad nos, inquit, respice. Spectansque videt ab illo dextrum pedem in terram demitti, sinistrumque dextro imponi. Quo facto respicit bonus Miles [illegible] castra, cernitque Romanos ab hostibus atrociter mactari. Et cùm [illegible] euersa essent, ille qui residebat ad [illegible] dixit: Perpende diligenter te [illegible] demolitionem, & expone quid [illegible] sibi velit? Et cùm oculis omnia [illegible], vidit totam illam terram cadaueribus albentem & in medio virentem vnius lectuli campum. Et Domine, inquit, [illegible] uersa terra cæsis Romanorum corporibus, oppleta est, præter vnicum lectulũ.

Et is qui spectandum se terribilem [illegible] obtulerat: Quid, inquit, hoc esse existimas. Et Miles: Ego, Domine idiota sũ nec quid hoc sibi velit, intelligo. Et formidandus ille rursũ: Vacuus ille campus, qui nius lectuli occupat spacium, [illegible] quo tibi oppetendũ erat, cũ [illegible]

te tu o, vt quod desiderabatur expleres. Sed quia præterita nocte, trigeminum Serpentem, qui tertiò expugnare, & mactare aggressus est feliciter repulisti, ecce teipsum tute ex hac cæde liberasti, lectulique vestem intemeratam custodisti, & salutem animæ corporique tuo peperisti.

Hæc cùm vidisset Miles, attonitus, ac tremebundus expergiscitur. Cùmque surrexisset, se mox in preces dedit, & vnius diei itinere regressus, montem conscendit, pro exercitu Deum deprecatus. Imperatore Romanorum claustra Bulgariæ ingresso, Bulgari ad montem confugere, paucis infra quindecim nempe præter propter millibus relictis: quos & Romani cùm deleuissent stultè rem gesserunt: in cautè enim per regionem diffusi, exercitum cum Imperatore cæsum amisère, Bulgarique cædis prioris iacturam compensauere. Tum Miles ille noster, memor nocturnæ visionis, gratijs Deo persolutis, inde flens gemensque reuersus, in cænobium se contulit, sacraque indutus veste, Deo militare incipiens, multis illi annis toto pectore deseruijt: atque in eximium Virum, rerumque religiosarum petitissimum Magistrum euasit.

Observatiuncula. De Nicephori Imperatoris, qui Irenæ successit in Bulgaros expeditione, clade, nece, Historicos Græcos consule: Zonaram in eius vita, Cedrenum, Glycam, Constantinū Manassem, Curapalatem, qui ab eius nece suam historiam auspicatur. Zonaras & Cedrenus scribunt ex eius nudato cranio poculum formatum Bulgarumque proceribus à Crumo propinatum. Nec minus suis inuisus occubuit, quàm Bulgaris: quin à domesticis interfectum tradunt in tabernaculo. Tu Militem selectum intuere, in quo tam rara castimonia tam singularem à Numine tutelam expressit. Exemplum Militibus ad imitationem proponendum, & sæpè inculcandum. Quod ex Menæis in Viridarium & in Viridarij primā partem transtulit Matthæus Raderus.

DECEMBER.

III. Decemb. SS. Martyres, Claudius Tribunus, & vxor eius Hilaria, ac Filij, Iason & Maurus, cum Septuaginta Militibus, Romæ. Ex ijs *Claudiū* iussit Numerianus Imperator ingenti saxo alligatum in flumen præcipitem dari: Milites verò & filios ipsius *Claudii*, capitali sententia puniri. Beata autem *Hilaria*, cum filiorum corpora sepelisset, ad eorum sepulchra orans, paulò pòst à paganis tenta migrauit ad Dominum. *Martyrol. Rom. Beda, Vsuardus, Ado.* Eorum res gestæ iunctæ habentur Actis SS. Chrysanti & Dariæ apud Surium To. 5. die 25. Octob. & Petrum in Catal. lib. 1. cap. 23.

VII. Decemb. S. Agatho Alexandrinus Militaris. Qui in persequutione Decij, cùm prohiberet quosdam volentes illudere cadaueribus Martyrum, clamor repentè totius vulgi aduersus eum extollitur: oblatus autem Iudici cum in confessione Christi persisteret, capite pro pietate damnatus est. *Martyrol. Rom. Beda, Vsuardus, Ado.*

Simile certamen *Sanctus* iste *Miles* subijsse videtur, ac ille de quo ex Dionysio Alexandrino Eusebius in translatione Ruffin. lib. 6. cap. 34. qui & in editione Christophorsoni BESAS appellatur (de quo Februarij XXVII.) Porrò diuersum nomen, & dies natalis, alium à *Besa* esse persuadet, inquit Baronius in Notis Martyr: illud addens: *Eiusmodi enim caussa subeundi Martyrium, communis multis facile esse potuit.*

X. DECEMB. S. MERCVRIVS Siculus, & Socij MILITES, qui apud Leontinos in Sicilia sub Tertyllo Præside tempore Licinij Imperatoris gladio cæsi sunt. Horum Acta edita sunt ab Ecclesia Leontina, vt scribit Baronius in Notis ad Martyrologium Rom.

XVI. DECEMB. SS. VALENTINVS Magister Militum, CONCORDII eius filij, NAVALIS & AGRICOLÆ, qui in persequutione Maximiniani Rauennæ pro Christo passi sunt. *Martyrol. Romanum, Beda, Ado.* Eorum Martyrium describit Hieronymus Rubeus Histor. Rauenn. lib. 2.

XVIII. DECEMB. S. AVXENTIVS Miles, Episcopus, Confessor Mopsuestiæ in Cilicia. Is olim sub Licinio Miles, potius elegit cingulum exuere, quàm vuas Baccho offerre, factusque Episcopus, præclarus meritis, in pace quieuit. Græci in Menologio. Eius certamen, temporibus Licinij exhibitum describit Suidas, ex quo Lipomanus To. 4. Eiusdem nominis vel sanctitate vel Martyrio nobiles habentur in Martyrologijs & Menologijs, sed non Milites, vt hic noster Mopsuestenus.

XX. DECEMB. SS. AMMON, ZENO, PTOLEMÆVS, INGENES, THEOPHILVS Milites Alexandrini, qui tribunalibus adstantes, cum Christianus quidam in supplicijs positus trepidaret, & iampenè ad negandum declinaret, vultu, oculis, ac nutibus illum conabantur erigere: cùmque hac de caussa totius populi clamor in eos prosiliret, prorumpentes in medium Christianos se esse testati sunt. Per quorum victoriam Christus, qui suis eam animi constantiam dederat, gloriosissimè triumphauit. *Ex Epistola S. Dionysij Episcopi Alexandrini*, quam recitat Eusebius lib. 6. histor. qua eorum describitur Martyrium.

XXII. DECEMB. S. ZENO *Miles*, qui cùm Nicomediæ Diocletianum Cereri immolantem derisisset, maxillis confractis, dentibusque excussis, capite truncatus est. Eius certamen describitur in Actis Sanctorum Indes & Domnæ apud Metaphrast. die 25. Decemb. Habet eadem Lipoman. Tom. 5. & Surius To. 6.

XXIX. DECEMB. S. DAVID Rex Martyrolog Roman. *Ierosolymis* S DAVID *Regis & Prophetæ.* Eundem celebrat Beda, alijque Martyrologiorum concinnatores, hoc die. Plenæ sunt de illo Scripturæ Diuinæ: multaque de eo scribit Iosephus in libris Antiquit. Hebraicarum. Huc spectant, quæ subiungo. DAVID à puero habuit, vel induit spiritum Militarem,

rem, quando vnctus à Samuele simul indutus fuit robur corporis & animi planè admirabile, quod facto ipso ostendit. Adolescentulus & penè puer oues patris sui custodiens Leonem & vrsum inermis interfecit: & paullò post singulari certamine, cum Gigante Goliath armato ipse puer inermis depugnauit & vicit. Attende animum Militarem in animosa ad Saulem contestatione: *Non concidat cor cuiusquam in eo* (Goliath) *ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philistaeum. Et ait Saul ad Dauid: Non vales resistere Philistaeo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia suâ. Dixitque Dauid ad Saul: pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo vel vrsus, & tollebant arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & Leonem & Vrsum interfeci ego seruus tuus. Erit ergo & Philistaeus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis.* Vt autem Sanctus Puer non videretur de suo robore gloriari, & non de auxilio Dei, in quo praecipuè sperabat, adiunxit: *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam, quis est iste Philistaeus incircumcisus, qui audet maledicere exercitui Dei viuentis? Et ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu Leonis & de manu Vrsi, ipse me liberabit de manu Philistaei huius.*

Dixit Dauid, & factum est. Nam procedens ad singulare certamen cum Philistaeo, Deo adiuuante vicit Puer inermis Virum armatum, & proprio hostis sui gladio caput eius praecidit. Neque solùm de Gigante triumphauit Dauid adhuc adolescentulus; sed caussa fuit, vt in totis castris Philistinorum trepidaretur: & Israëlitae resumptis animis, ac viribus fugientes persequerentur, & magna strage affectos à finibus suis eijcerent. Atque hoc fuit initium operum heroicorum, inter Militaria, Dauidis. Quod totum debetur magnae fidei & fiduciae innocentis & religiosi Militis in Deum Zabaoth.

Hoc singulari certamine consequutus est Dauid encomium cantantium: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia* 1. Reg. XVIII. Sed Saul datus in reprobum sensum hunc fidelissimum sibi Militem ob inuidiam persequutus est, tanquam hostem. Quo indignatus Dominus Exercituum, tradidit Saulem cum exercitu suo in potestatem Philistinorum, & vno die ceciderunt interfecti Saul, cum tribus filijs suis, & ingens populi multitudo. Defuncto Rege impio, translatum est Regnum ad pium & amicum Dei Dauidem cùm esset annorum XXX. Qui inimici sui funus ieiunio & lacrymis prosequutus est: En animum Militis placidissimi! Qui deinde exercitum duxit, vrbes oppugnauit, hostes caecidit, omniaque Militis fortissimi, strenuissimi, victoriosissimi, simulque Sanctissimi exequutus est. Non quod nullum peccatum commiserit; sed quod quae commisit, detestatus fuerit, defleuerit, satisfactione longâ, & acerba remissionem impetrauerit. Certè, in duo grauissima incidisse eum constat, ex diuinâ permissione, per carnis fragilitatem, à quibus per veram paenitentiam, diuina gratiâ ita fuit liberatus, vt Devs ipse testimonio suo saepe ac saepius repetito eũ in Sanctorũ numerum singulari priuilegio retulisse videatur.

Singula testimonia sunt totidem Elogia Sancti nostri Militis.


III. Regum xi. sic loquitur DEVS de Salomone sene: *Depravatum est cor eius per mulieres vt sequeretur Deos alienos. Nec erat cor eius cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris eius.* Item lib. III. Reg. XVI. ad Ieroboam. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea in toto corde suo.* Iterum in libro eodem de Abia Rege. *Non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris eius.* Adhæc, lib. IV. Reg. XIV. de Amasia Rege. *Fecit rectum coram Domino: verumtamen, non vt Dauid Pater eius: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis.* Præterea lib. IV. cap. XXXVI. *Non fecit, quod erat placitum in conspectu Domini DEI sui, sicut Dauid Pater eius.* Item eod. libro cap. XVIII. de Ezechia. *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid Pater eius.* Denique lib. IV. Reg. II. de Iosia. *Fecit quod erat placitum coram Deo, & ambulauit per omnes vias Dauid Patris sui, non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram.* Itaque laudatur Dauid à Spiritu Sancto in Scriptura sacra vt Militum Regumque eminentissimus. Regnauit autē annis XL. vixit annis LXX. Lib. III. Reg. II. cap.

ELOGIVM DAVIDIS REGIS.

QVASI *adeps separatus à carne, sic* DAVID *à filiis Israël. Cum Leonibus lusit quasi cum agnis: & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium, in iuuentute sua. Numquid non occidit Gigantem & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ. Nam inuocauit Dominum Omnipotentem, & dedit in dexterâ eius, tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini, in offerendo ei coronam gloriæ. Contriuit enim inimicos vndique, & extirpauit Philisthijm contrarios vsque in hodiernum diem: contriuit cornu ipsorum vsque in æternum. In omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit DEVM qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam. Et stare fecit Cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent nomen Sanctum Domini, & amplificarent mane DEI Sanctitatem. Dominus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum Cornu eius: & dedit illi testamentum regni, & Sedem gloriæ in Israel.* Ecclesiasticus cap. XLVII.

ELOGIVM aliud scripsit sibi ipsemet Rex DAVID, quamuis non tam ipse, quàm Spiritus Domini, cuius erat Calamus velociter scribentis, & qui loquebatur in eo & per eum. Sic enim protestatur lib. 2. Reg. cap. 23. *Spiritus Domini loquutus est per me & sermo eius per linguam meam.* Et in Actis Apostolorum cap. 4. tota Ecclesia profitetur. *Domine, qui Spiritu-Sancto per Os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes?* In eo Elogio declaratur, Qualis Dux, Princeps, Imperator, quàm Pius, Fortis, Prudens Miles fuerit: quomodo cum hostibus, quomodo cum suis commilitonibus se habuerit. Continetur Elogium istud in Psalmo Centesimo hisce versibus.

Misericordiam & Iudicium cantabo Tibi Domine. Psallam & intelligam in via immaculata quando venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prauaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. O Militem Zelosum, Iustum, Pium, Sanctum! qualem decet esse MILITEM CHRISTIANUM, & fuit reuerà DAVID, qui Sanctorum Militum agmen hic claudat.



AVCTARIVM.

In quo, extra ordinem Mensium Anni & Kalendarij, nominantur selecti aliquot Milites, vel Sancti, vel Beati, vel Pij: omnes digni memoriâ, cultu, veneratione.

Ex Testamento Veteri.

I. EZECHIAS REX. Qui filius fuit Regis Achaz, & pater Manassæ: filius optimus patris pessimi, & pater optimus filij pessimi, Religioni & pietati fuit deditissimus; ita tamen vt se Militem esse meminisset, à militaribus occupationibus, cùm id necessitas postulabat, minimè alienus, fortis æquè ac pius. Cuius quidem Fortitudinis bellicæ caussa erat, quod plurimum speraret in Domino, non hæsitans in fide, nec diffidens de auxilio Domini, sed sentiens haud dubiè, & fortasse dicens frequenter cum parente suo Dauid: *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra non timebit cor meum* (Psal. XXVI.) Hæc eius fiducia nota etiam fuit hostibus qui improperabant Optimo Regi tanquam imbelli.

Sanè cùm Sennacherib Rex Assyriorum cum ingentibus copijs varias prouincias deuastasset, iam Ierosolymæ immineret & præ multis victorijs tumidus, misit nuncios & litteras ad Ezechiam, in quibus erant ista lib. IV. Reg. XIX. *Non te seducat* DEVS *tuus, in quo habes fiduciam. Numquid liberauerunt Dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei? Ezechias autē ascendit in domum Domini, & expandit litteras corā Domino, & ait: Domine* DEVS *Israel, qui sedes super Cherubim, Tu es Deus solus Regum omnium terræ: Tu fecisti cælum & terrā: Inclina aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos & vide: audi omnia verba Sennacherib, quæ misit, vt exprobraret nobis* DEVM *viuentem. Verè Domine, dissipauerunt Reges Assyriorum gentes & terras omnium, & miserunt Deos eorum in ignem: non enim erant Dij, sed opera manuum hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos. Nunc ergo Domine* DEVS *noster, saluos*

nos facilè de manu eius, vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus DEVS *solus.*

HANC orationem plenam fide ac fiducia Dominus audiuit, & misit Isaiam, ad Ezechiam, qui diceret: *Hæc dicit Dominus* DEVS *Israel, quæ deprecatus es me super Sennacherib Regem Assyriorum, audiui.* Nec distulit Dominus. Sed illa ipsa nocte misit Angelum suum, qui percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et ipse Rex visa strage tanti exercitus recessit inglorius. Cum autem redijsset in regnum suum, & adoraret Idolum suum, à proprijs filijs cæsus miserè vitam finiuit. Ex quibus apparet, DEVM Ezechiæ esse verè DEVM solum, & ipsum Ezechiam verum seruum & amicum DEI.

NON propterea tamen Ezechias omisit partes suas in præparatione belli velut Ducis Militaris, quamuis fiducia eius potissimùm esset in DEO. Siquidem vt scribitur in libro posteriore Paralipomenon, cap. 32. antequam Sennacherib perueniret ad portas Ierusalē, Ezechias *inito cum Principibus consilio, virisque fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem, & hoc omnium decernente sententia, congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt omnes fontes, & riuum, qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant Reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. Ædificauit quoque, agens industriè, omnem murum, instaurauitq;* Mello *in ciuitate Dauid; & fecit vniuersi generis armaturam, & clypeos, constituitq; Principes bellatorum in exercitu, & conuocauit vniuersos in platea portæ ciuitatis, ac loquutus est ad cor eorum dicens: Viriliter agite, & confortamini: nolite timere: nec paueatis* Regem *Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt quam cum illo: cum illo enim sunt brachium carneum; nobiscum Dominus* DEVS *noster, qui Auxiliator est nostri pugnatq; pro nobis.*

